Carmeli Bonmerani

XVIII 4 71

CONCIONES ADVENTUALES

QUARUM PARS PRIMA AGIT

DE PECCATIS ALIENIS,

SECUNDA

DE CAPTIVITATE PETRI

Figurante Captivitatem Peccatoris

ET TERTIA

DE CARCERE PURGATORII;

AUCTORE

F. LEONE A S. LAURENTIO

S. Ord: Fratrum Beatiſsimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Jubilario.

PARS PRIMA,

In qua non minus, quàm in duabus aliis, conceptus, & materiæ abundantiſſimæ ſubminiſtrantur ad omnes Conciones per annum, ut ex argumentis & quolibet rerum Indice conſtabit.



ANTVERPIÆ,

Ex Typographia Knobbariana Apud FRANCISCUM MULLER, 1699.

Cum Gratia & Privilegio.

Ampliſsimo ac Reverendiſsimo

DOMINO

D. JOANNI CHRYSOSTOMO

TENIERS

Celeberrimæ Abbatiæ D. Michaëlis in civitate Antverp.

PRÆSULI DIGNISSIMO,

PATRI ABBATI ABBATIÆ

Averbodienſis, Tongerloënſis, & Middelburgenſis,

nec non Candidi ac Canonici Ordinis Præmonſtratenſis

per circarias Brabantiæ & Friſiæ

VICARIO GENERALI,

Patriæ ſtatuum Aſſeſſori &c.

R.me DOMINE.

SErmones Adventuales de *Peccatis Alienis* in lucem daturus, ſimulq; quas habui Conciones de *Captivitate Petri, figurante Captivitatem Peccatoris*, & alias, quas recentiſsimè ad animarum ſolatiũ de *Carcere Purgatorii* conſcripſi, non alteri id opus tripartitum Patrono inſcribendum judicavi, quàm GRATIÆ VESTRÆ REVERENDISSIMÆ. Et verò ſi

† 2 (Inno-

(Innocentio Quarto atteſtante) *Ipſa Religio Præmonſtratenſis in domo Domini, contra tentatoris impetum, & turbinem vitiorum ſit quaſi turris eburnea, virtutum munita propugnaculis*, ubi unquam deliteſcere poterit ſecuriùs, vel à quo defendi potentiùs, quàm ab Illo, cui tantæ arcis gubernacula concredita ſunt? Certè ea fuit non ſubditorum tuorum tantùm, ſed & Superiorum in Ordine, & Patriæ Patrum de TE concepta opinio, ex qua id factum, ut certatim, & iſti Infulas ſuas, & illi Provinciarum circarias, & hi totam TIBI voluiſſent commiſſam videre Brabantiam. Et quî poſſet aliter? cum vix locum in D. Michaëlis Eccleſia, candidiſsimis votis tuis parem, ſortitus, jam inde ab aſſumpto habitu adeò flexilem ad optimos mores animum, & diſciplinæ cujuſcumque capacem præſignâris, ut ſpem omninò feceris maximam, non tantùm probitatis, ſed & eruditionis prorſus ſingularis: ita ut neſcirent planè, cui poſtmodum prius dare TE, vel ſcholæ ſuæ, ut præceptis altioris ſcientiæ imbueres alios, vel Monaſterio ut eoſdem ad perfectionis apicem dirigeres inſtitutis. Utrumque rei eventus comprobavit, dum & Lectoratûs munere, & Prioratûs officio æqualiter TE omnibus ſpectabilem exhibuiſti, & quod magìs adhuc mirandum, Abbatialem dignitatem, curamque, ſimul cum Scripturarum Divinarum expoſitione ab anno ætatis trigeſimo, raro hodie exemplo, in unum conjunxiſti, nil intermittens interea, quod ad ornatum Eccleſiæ, domûſque ſplendorem, & ſubditorum tuorum ſalutem, ac proximi ædificationem valeret conferre. Lapides de pariete id clamitant, & ad ſolis hujus radios oſtendunt, quos incomparabili

lucernâ

lucernâ per totum dormitorium, locum antè ſub-obſcurum, ita modò ſplendere feciſti, ut Phœbi ſedem illic fixam putares. Ne quid dicam de ædificiis elegantioribus cæteris, & de ſacello S. Martini, ſacrificiis atque Prædicationibus ſanctiſsimi TVI Patriarchæ totâ urbe Celeberrimo, quod etiam nunc in talem formam amplificas, ut cum auguſtioribus locis aliis facillimè poterit congredi: ſicut & ſchola, quam extruis, nulli alteri volet eſſe ſecunda; ſcilicet ſic proficiunt ſingula TVIS ſub auſpiciis, & quidem ut plurimum ſumptu TIBI ipſi aliundè religiosè ſubtracto; ex quo pariter tantâ in pauperes liberalitate profuſus es, ut ad æviternam memoriam dici de te poſſet, quod S. P. Norberti patrimonium in diebus TVIS, eis in effectu & quoad fructum volueris eſſe commune. Manifeſtant id omnibus calamitoſiſsima hæc tempora, & tot ora eloquuntur, quot millia à manu TVA propria per ſeptimanas ſingulas, ſuum in hac urbe accipiunt nutrimentum. Et quia *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, eloquentiâ illâ aureâ, quâ polles plurimùm, & à qua non minùs quàm à nomine dici poſſes CHRYSOSTOMUS, non in TVA tantùm, ſed & in extraneis Eccleſiis ad hoc uſus es, ut cœleſtis doctrinæ pabulo reficeres univerſos. Vidit hoc in unum quaſi conglomerata tota populi Antverpienſis frequentia, dum ab anno & medio in Cathedrali D. Virginis Æde, & per TE IPSVM initium dares ſolemni illi Octavæ, quæ ad Animarum refrigerium ibidem inſtituta eſt, & per TVOS alternatim cum Ampliſsimis ac Reverendis Admodùm Dominis Canonicis iſtius Templi, quibuſcum ſingulari Confraternitate, &

optimâ harmoniâ conjungeris, eandem ad plauſum viventium abſolveres, & ad requiem, ut ſperamus, defunctorum: tanta quippe erat dicendi vis, tantaque ad commiſerationem animos permovendi efficacia, ut in ipſo quaſi candore habitûs TVI, candorem præſagirent lucis æternæ, quo à Deo perſunderentur. Et hæc eſt ratio omninò ſingularis, quare hujus operis pars tertia, tanto majori cum fiducia ſe MANIBVS VESTRIS AMPLISSIMIS ſubmittat: quia nimirum ex ſimili effectu colligit, quantus ſit futurus Protectionis TVÆ affectus ergà eos, qui conſimili non tantùm labore lætantur, ſed & omnem conatum eò dirigunt, ut miſeras illas animas à Purgatorii carcere in libertatem filiorum Dei tranſcribere valeant. Nec minus ſperant duæ aliæ, cum in omnibus majoribus feſtivitatibus anni, hæc TVA potiſsimùm prædicandi materia ſit, quâ vel ab *Alienis peccatis* deterreas alios, vel certè à *diaboli captivitate* diriſsima liberare valeas univerſos; ſcilicet ſic imitaris ad vivum exemplàr ſanctiſsimi Patriarchæ TVI NORBERTI, cujus hæc apud Baronium perpetua laus eſt ad annum 1126, quod hanc civitatem alienis ſpurcitiis ex integro fœdatam, ita repurgârit, ut & Tanchelinum devicerit hæreſiarcham infamiſsimum, & in eo ſimul de graviſsimis ſcandalis ac diabolica ſervitute erexerit triumphum. Illi, illi eſt, quod & verum Dei cultum reſtitutum, & Sacramentorum religionem, & fidei puritatem, & morum innocentiam, & quidquid ſanctum eſt, acceptum refert Antverpia; Illi, illi eſt, quod ſe debitorem agnoſcit omnis populus, & in eo Ordini, de quo Bonifacius VIII. teſtatur, quod *In Eccleſiæ firmamento claro nitore coruſcans,*

univer-

univerſalem Dominici gregis aulam illuminat,& currentibus in ſtadio rectum iter inſinuat, quo ad ſalutis bravium faciliùs pervenitur. Quod ſi verum ullibi, ſignanter eſt in Belgio, & in TVA hac Abbatia, ubi ſtudia cum Divino officio feliciſſimo fœdere conjungis, ſacroſque per omnia ritus & obſervas ipſe, & obſervari ab aliis facis, ac Eccleſiaſticæ & Cœnobiticæ diſciplinæ ita intendis, ut nemo ſit qui neſciat, nemo qui non laudet ac celebret, præſertim tamen in REVERENDISSIMA VESTRA GRATIA, cujus Urſum inter àrma elevatum, ut genuinum Symbolum ſuſpiciunt, quo indigitetur quod ſiderum inſtar illius nominis in Ordine fulgeas, & extra Ordinem quaquaverſum ſapientiæ, prudentiæ, benignitatiſq; diſpergas radios. Senſit hos Carmelus noſter, ſed magis ego, qui & idcircò opus meum tripartitum, laborum meorum primitias, unà mecum AMPLITVDINI VESTRÆ in ſignum gratitudinis perfectiſsimæ dico & conſecro, rogaturus Altiſsimum ut EANDEM cœleſtibus pariter & terrenis cumulare pergat benedictionibus, & Ordini ſuo, nobiſque hîc diu lucere concedat, donec tandem plena bonorum operum & dierum longitudine, æterno Soli adjuncta fulgere queat *Sicut ſtella in perpetuas æternitates.* Ita vovet

REVERENDISSIMÆ VESTRÆ GRATIÆ.

Devinctiſſimus Servus

F. LEO A S. LAURENTIO,

Carm.

Facultas Reverendiſſimi Patris Generalis.

Fr. Carolus Philibertus Barberiis S. Theologiæ Magiſter, publicus in Romana Sapientia Lector & humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de monte Carmelo antiquæ obſervantiæ Regularis.

AUctoritate noſtra præſentium tenore Tibi R.do Patri *Leoni à S. Laurentio* Noſtræ Provinciæ Flandro Belgicæ profeſſo Sacerdoti, licentiam concedimus imprimendi librum ſub titulo *Conciones Adventuales de Peccatis alienis, Captivitate Petri, figurante captivitatem peccatoris, & Carcere Purgatorii*, dummodò prius examinetur & approbetur à duobus noſtris Religioſis S. Theologiæ Profeſſoribus, ab Adm. R.do Patre Provinciali deputandis, & in reliquis omnia ſerventur de jure ſervanda. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Tranſpontinæ de Urbe die 15. Auguſti 1698.

& ſignatum erat

FR. CAROLUS PHILIBERTUS BARBERIIS
Generalis Carmelitarum.

& inferius

Fr. Angelus Pizolante Provincialis Hiberniæ
& Secretarius Ordinis.

Locus ✠ Sigilli.

Facultas Reverendi Adm. Patris Provincialis.

FR. *Marius à S. Iacobo*, humilis Prior Provincialis, Ordinis Fratrum B.mæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo, Provinciæ Flandro-Belgicæ. Auctoritate noſtrâ, tenore præſentium, quantum ad nos ſpectat, Tibi Reverendo Patri *Leoni à S. Laurentio*. Concionatori Emerito, & antehac ſæpiùs Priori & Definitori Provinciæ, licentiam concedimus, typis mandandi tuas *Conciones Adventuales & Quadrageſimales, cum Octavis Animarum &c.* Dummodò à duobus Theologis Ordinis noſtri approbatæ fuerint: In quorum fidem has propriâ manu ſignatas Officii noſtri Sigillo munivimus, in Conventu noſtro Antverpienſi die 7. Decembris 1698. *& ſignatum erat.*

Locus ✠ ſigilli. F. MARIUS A S. JACOBO *Provincialis qui ſuprà.*

Approbationes Theologorum Ordinis.

EX ordinatione R.di Adm. P. Provincialis, non abſque ſumma animi delectatione doctiſſimas legi & pervolvi Conciones Adventuales, quarum pars prima tractat *De Peccatis Alienis*, Secunda *De Captivitate Petri*, Tertia *De Carcere Purgatorii*, quas R.P. Leo à S. Laurentio Ordinis FF. B.mæ Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo Jubilarius, diverſis in locis Prior, ac iteratis vicibus Provinciæ Definitor, nec non 35. Quadrageſimarum Concionator emeritus in primariis totius Belgii Cathedris ſumma cum laude & animarum fructu ad populum dixit, uti notorium eſt, quaſq; tandem pro bono communi ad prælum diſpoſuit: in quibus cum nihil prorſus repererim reprehenſione dignum, ſed è contra bonam & undequaque ſanam doctrinam Catholicam, bonis moribus omninò conformem, omnibus Verbi Dei prædicatoribus perutilem, utpote eruditione Chriſtianâ ac elegantiâ concionatoriâ refertam, eas luce judicavi digniſſimas. Datum in Carmelo noſtro Antverpienſi hac die 6. Majî 1699.

F. SEBASTIANUS à S. PAULO *Exprovincialis olim S. Theol. Lovanii Profeſſor Ord. FF. B.mæ Virg. Dei Genitricis MARIÆ de Monte Carmelo.*

SI S. Antonino *Part. 3. Tit. 18. Cap. 1.* teſte: *Verus Prædicator ſit, qui provocat populum ad luctum, non ad riſum*: & Sapientiſſimo Papa Gregorio Magno *Lib. 18. Moral. Cap. 14.* inſtruente, *Qui ad vera Prædicationis verba ſe præparat, neceſſe ſit, ut cauſarum origines à Sacris paginis ſumat: ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis ſuæ firmet.* Certè bonum Prædicatorem ſeſe omnino exhibet R.P. Leo à S. Laurentio, S. Ordinis noſtri Jubilarius longè digniſſimus, & Concionator emeritus, in hoc Concionum ſuarum opere, quod ex R. Adm. P. Marii à S. Jacobo, Provinciæ noſtræ Moderatoris commiſſione examinavi. Cum in Concionibus, ſive pro vivis, ſive pro defunctis in Purgatorii carcere detentis, æquè laborioſè, ac ingenioſè, in eo eleganter digeſtis, nedum populum, non ad riſum, ſed efficaciſſimis ſtimulis (ex Sacris paginis uſque adeò depromptis, ut omne quod loquitur, ad Divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis firmet) provocet ac incitet ad luctum, ad pœnitentiam, ad vitæ emendationem, ad veram ſalutis ſuæ æternæ curam ac ſolicitudinem, & animarum Fidelium defunctorum commiſerationem: verum etiam verbi Dei Prædicatoribus, animarumque, pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptarum, curatoribus faces præbeat, quibus fructuoſè & dignè munerum ſuorum debito ſatisfaciant, & nihil orthodoxæ fidei, nihil ſalutaribus moribus, aut ſanæ doctrinæ adverſum offenderim, illud prælo ac luce publicâ digniſſimum cenſui ac ſenſi, in Carmelo noſtro Mechlinienſi die 10. Maji 1699.

F. JACOBUS A S. ANTONIO
Ord. Fratrum B.^{mæ} Virg. Mariæ de Monte Carmelo
Exprovincialis, Prior Mechlin. olim S. Theol.
Profeſſor Lovanii.

EX commiſſione R. A. P. Provincialis legi Conciones, quas R.P *Leo à S. Laurentio Iubilarius* & Concionator facilè quinies emeritus, ſi Adventus & Octavæ ſolemnes ſimul cum triginta quinque quadrageſis in primariis totius Belgii Cathedris deprædicatis ſupputentur, in lucem emiſſurus eſt. Utque verbo teſtimonium de illis abſolvam, dico id, quod olim Abbas Ferrus de meritis Cardinalis San-Siſti dixit: invenietur in iis UBIQUE LEO; Sive enim de *Peccatis* dicat *Alienis*, ſive de *Captivitate Petri figurante Captivitatem peccatoris*, aut etiam de *Carcere Purgatorii*, quod Leoni proprium eſt, *vivificat & terret* cum *catulis rugientibus* apud Pſalmo-graphum Pſalmo 103. *Quærendo* ad id *à Deo eſcam ſibi*, id eſt locis ſacræ Scripturæ aptiſſimis. Cumque aliunde nil contineant quod orthodoxæ fidei, ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus adverſetur, illas prælo digniſſimas cenſeo. Antverpiæ 26. Junii 1699.

F. ISIDORUS A S. M. MAGD. DE PAZZI *Prior & Definitor & ante hac Lovanii S. Theologiæ Profeſſor.*

Approbatio Cenſoris.

COnciones Adventuales *De Peccatis Alienis*, & *De Captivitate Petri* ac *De Carcere Purgatorii*, Auctore Rev.^{do} Adm: *P. Leone à S. Laurentio* Ord FF. B.^{mæ} Virg. de Monte Carmelo Concionatore famoſiſſimo, typis meritò evulgabuntur, Datum Antverpiæ 18. Maji 1699.

Locus † Sigilli. *A. HOEFSLACH. Eccl. Cath. Can Grad. Lib. Cenſor.*

Summa Privilegii Regii.

CAROLI II. Hiſpaniarum ac Indiarum &c. Regis Catholici ac Sereniſſimi Belgarum Principis diplomate cautum eſt, ne quis *Conciones Adventuales*, *Quadrageſimales*, & alias, quas R. P. Leo à S. Laurentio Ord. Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo Concionator, Jubilarius &c. in lucem daturus eſt, præter voluntatem *Franciſci Muller* Typographi Antverpienſis, ullo modo intra novennium imprimat, aut alibi impreſſas in hæce Ditiones Germaniæ inferioris importet, ſub confiſcatione librorum & aliâ gravi pœna ut latiùs patet in Literis datis Bruxellis 17. Junii 1699 & habebatur *Gryſp Vidit.*
& ſignatum erat LOYENS.

AD LECTOREM.

URſerunt me dudùm tum exteri, tum domeſtici, ut habiti à me ſermones publicæ lucis fierent: hactenus calamum ſtiti, veritus ne hoc ſcripturiente ſeculo, quo tot viri eruditi frumentum, ego fortè ſiliquas darem, & ſtylo potius ferreo, quam calamo illos conſcriberem; at inſtanter, inſtantius, inſtantiſſimè precibus illorum preſſus, auſus ſum proviſionaliter ad prælum parare duo Adventualia, unum De Peccatis Alienis, *alterum* De Captivitate Petri, *& occaſione hujus captivitatis ſermones aliquot* De Carcere Purgatorii, *proximè daturus Quadrageſimale* de Chriſtianiſmo labaſcente *cum octava animarum ſuper ſeptem verbis Chriſti. Dein Conciones encomiaſticas de Patriarchis & ſanctis quorumdam Ordinum, ſignanter Candidi ac Canonici Præmonſtratenſis, Benedictinorum, Bernardinorum, Prædicatorum, Minorum, Auguſtinianorum, Carmeli utriuſque, Societatis Jeſu, Carthuſianorum & Minimorum.*

Cum autem concionari ſit ad populum dicere, ſermones hos ſcribo, eo quo dixi modo & ſtylo ſimplici & familiari. Non ſervo regulas rethoricæ mundanæ, ſed Apoſtolicæ, non phraſes do, nec floſculos qui magis ſerviunt ad deprædicandum ſe, quàm Evangelium; do cum M.P. Auguſtino Serm. 18. de Verbis Domini: Exhortationes morales ad corrigendos mores. *Nolim enim de numero eſſe illorum, de quibus D. Chryſoſtomus,* Floſculos prædicant, ut laudem reportent, *quia*: Hi Eccleſiam Dei ſubvertunt. *Sequor monitum D. Proſperi de vita contemplat Lib.* 1. Nec plauſum à populo ſtudeat exſpectare ſed gemitum. Non enim ſumus (*cum Doctore gentium loquor*

quor 1. *Cor.* 2. 17.) ſicut plurimi adulterantes verbum Dei, *quia ut rectè D. Anſelmus*, Adulter voluptatem quærit, non prolem. *Unde rogo te*, *Lector benevole*, *ut æquo animo feras*, *ſi aures tuas vitioſus forſitan ſermo perculerit*, *quia regnum Dei non in eloquentia*, *ſed in fide conſtat*. *Noſti ſalutem ſeculo non ab oratoribus, ſed à piſcatoribus prædicatam*, *cum utique, ſi utile fuiſſet, id quoque Dominus præſtare potuiſſet. Amplector M. Auguſtini verba in Pſal.* 138. Melius eſt ut reprehendant nos grammatici, quàm non intelligant populi.

Furti fortè me aliquis arguat, *ſed loquor cum Theodoreto Lib.* 1. *in Cant.* Nec furti nos inſimulent, ſi aliquid, quod à Patribus dictum eſt, in his commentariis offenderint. Fatemur, enim, & nos ab illis explicationis occaſione accepiſſe. Hoc autem non furtum appellari debet, ſed paterna hæreditas, quamquam ad illa, quæ ab eis accepimus, adjunximus quæ noſtra ſunt. *Purgo me ab hac impoſtura cum Lipſio in politica, ſcriptore adeò erudito.* Lapides & ligna ab aliis accipio, ædificii tamen exſtructio mea eſt. Architectus ego ſum, ſed & materiam variè undique conduxi; nec aranearum ſanè textus ideò melior, quia ex ſe fila gignunt; nec noſter vilior, quia ab aliis libamus ut apes. *Quod olim M. P. Auguſtinus in* Pſal. 137. *Clerum*, *idipſum ego te rogo*, *Lector*: Orate pro me, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar.

INDEX CONCIONUM

Quæ in hoc Adventu de Peccatis Alienis continentur.

DOMINICA PRIMA. pag. 1

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

DAntur duo genera peccatorum, ob quæ (etiam justi) meritò angantur, *Occulta* & *Aliena*, unde Pſalmiſta: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* Agitur in hac Concione de Peccatis *occultis*, in extremo judicii die ſolummodò manifeſtandis, quando fiet denudatio omnium conſcientiarum.

FERIA SECUNDA. p. 15

De Peccatis Ignorantiæ.

Ab occultis meis munda me. Pſal. 18.

NOn ſolùm peccata quædam occulta, ſed etiam Peccata Ignorantiæ, quæ, licèt nunquam cognovimus, nos perdere poſſunt in æternam damnationem; quia multa ſcienda ignoramus; aut ſciendi incuriâ, aut diſcendi deſidiâ, aut verecundiâ inquirendi. Unà oſtenditur cur Deus illos in ſimiles ignorantias labi ſinat.

FERIA TERTIA. p. 29.

De Peccatis Alienis in genere.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

NOn ſolùm peccata occulta, & ignorantiæ nos angere, ſed maximè *Aliena* conturbare debent animas noſtras. *Aliena* ſunt quæ licèt ab aliis fiant, nobis tamen imputantur, noſque coram Deo, reos æternæ damnationis conſtituunt: ſunt autem novem: *Conſilium*, *Juſſio*, *Conſenſus*, *Irritatio*, *Laudatio*, ſeu *Adulatio*, *Reticentia culpæ alienæ*, *Conniventia*, *Participatio rei alienæ*, *prava Defenſio*: qui in his partem habent, coadjutores ſunt diaboli. Agitur hîc de Alienis in genere.

FERIA QUARTA. p. 40.

De Conſilio, Primo peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo ſuo. Pſal. 18.

PRimum Peccatum Alienum dicitur *Conſilium*, quod peccatum contrahitur ab illis, qui, tamquàm coadjutores diaboli, pravo ſuo conſilio alios ad peccandum impellunt, Deo de omnibus peccatis inde ſecutis rationem reddituri. Unà oſtenditur quomodò conſilium malum ſit conſultori peſſimum.

FERIA QUINTA. p. 49.

De Juſſione, ſecundo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

SEcundum peccatum Alienum committitur *Juſſione*, quâ quidem aliquis opus malum non facit per ſemetipſum, ſed imperat alteri, in quem habet poteſtatem jubendi: hujuſmodi

ſunt Reges, Principes, Magiſtratus, Parentes, Domini, Patresfamiliâs reſpectu ſubditorum; qui omnes participes ſunt illarum tranſgreſſionum, quas juſſione ſuâ cauſant. Peccato *Juſſionis* peccatur duobus modis: ore, & opere.

FERIA SEXTA. pag. 59

De Juſſione, ſecundo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

NOn ſolùm peccatur peccato *Juſſionis* verbo, ſed etiam opere, & illo maximè, ſignanter peccato ſcandali, quo ſcandaloſus cogit proximum peccare, non quidem imperio, ſed ſuæ converſationis exemplo, tot animas occidens, quot ſcandalizat, juſtas Dei manus minimè evaſurus, neque in hoc, neque in futuro ſeculo.

DOMINICA II. pag. 69

De Juſſione, ſecundo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

INter ſcandaloſos, facilè palmam ferunt mulieres, *Quæ mollibus veſtiuntur*, nimio veſtium luxu, & impudenti denudatione ſuâ animas trahentes in ruinam: quæ, licèt *Virgines* ſint, etiam dici poſſunt *Matres fornicationum*; tamquàm animarum homicidæ, & incendiariæ à Deo in extremo judicii die puniendæ.

FERIA SECUNDA. p. 79

De Conſenſu, tertio Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

TErtium Peccatum Alienum committitur *Conſenſu* in malum alterius: quod peccatum contrahunt illi, qui, videntes fieri mala, ea, dum poſſunt, non impediunt; aut ſi impedire non poſſint, corde in illa conſentiunt; non minùs, quàm ipſi malè operantes, poſt hanc vitam puniendi: juxta illud Apoſtoli ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni ſunt morte; non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

FERIA TERTIA. pag. 88

De Conſenſu, tertio Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

PEccatum alienum *Conſenſûs* contrahit auditor detractionum, conſequenter detrahens & audiens pari reatu detinentur, imò quid damnabilius ſit, detrahere, aut detrahentem audire, nemo facilè dixerit, quia ſi non eſſet auditor, non eſſet murmurator.

FERIA QUARTA. p. 97

De Immaculata Conceptione B. V. Mariæ.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

A Peccatis Alienis Conſenſûs, & Irritationis in ſua Conceptione alieniſſima fuit Beatiſſima Virgo Maria Mater Dei, quæ Adæ Protoparenti noſtro,

noſtro, Deum irritanti, non conſenſit: neque perſuaſioni ſerpentis aures præbuit; undè à Natura reverenter eſt conſervata: à Lege diligenter venerata: & à Gratia clementer prælecta.

FERIA QUINTA. p. 111

De Irritatione, quarto Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

IRritatio inter cætera peccata Aliena, non infimum locum tenet: utpotè per Antonomaſiam dictum *Peccatum diabolicum*; undè irritatores habentur præcipui ſatanæ miniſtri, propriè dicti: *Filii Belial*: id eſt, diaboli; utpotè qui alios irritando, cum magno ſatanæ quæſtu, ad peccandum impellunt: non minùs odibiles Deo, quàm ipſe diabolus; conſequenter ſicut irreparabilis eſt ejus ruina, ita quaſi irremiſſibilis redditur culpa irritantium.

FERIA SEXTA. pag. 119

De Irritatione, quarto Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

SI irritatores hominum odibiles ſint, magis execrabiles ſunt irritatores Dei. Hi ſunt, qui Deum in domo ſua irritant; quæ irritatio, eſt omnium peſſima. Irritant autem, quando committunt grande ſcelus, & Deum non timent, ſed, quaſi punire non valentem, contemnunt. Oſtenditur, quomodò hodie à Chriſtianis irritetur Deus in templo ſancto ſuo. An impunè? non ſic impii, non ſic.

DOMINICA III. pag. 130

De Adulatione ſeu laudatione, quinto Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

QUintum Peccatum Alienum, quod eſt *Adulatio*, ſeu *Laudatio*, contrahitur, ab eo, qui laudando vel adulando cauſa eſt, quòd quis vel in malo perſeveret, vel in bono extollatur, iſtius peccati commiſſi, vel extollentiæ in bono coram Deo reus. Unà oſtenditur, hos pernitioſos laudatores, tanquam diaboli cooperatores potentiſſimos, eſſe fugiendos.

FERIA SECUNDA. p. 143

De Subticentia culpæ alienæ, ſexto Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

DIabolus, qui venit, ut furetur & mactet docet homines peccare, & peccata *Reticere*: ne, videntes turpitudinem peccatorum, ab eis recedant; neque hoc per ſe ſolùm, ſed & per ſuos coadjutores facit, qui, cùm poſſunt, & debent malum impedire, id non impediunt, ſed tacent. Taciturnitas illa, ſeu *Subticentia*, eſt Sextum Peccatum Alienum: quod contrahunt Prælati, Superiores, Parentes, Patres-familiâs: imò omnes particulares, dum malum poſſunt, & debent impedire: Deo rationem reddituri pro malis

malis illis, quæ ex *Subticentia* eorum patrata fuerint.

FERIA TERTIA. pag. 157

De Subticentia culpæ alienæ, ſexto Peccatum Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

PEccatum Alienum *Subticentiæ* maximè incurrunt, qui proximum in Deum blaſphemare, execrari, deteſtari, per Sacramenta & Chriſti Sanguinem jurare tacentes audiunt: non minùs tanquàm Deicidæ habendi, quàm ipſi blaſphemantes & jurantes, adeòque à Deo pariter ſeverè puniendi.

FERIA QUARTA. pag. 167

Miſſus eſt.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

SIne *Maria* non perficitur Incarnationis myſterium, ut, ſicut Eva ſerpenti conſentiendo, & Adam Evæ connivendo principium extitêre ruinæ Univerſi, ità *Maria* Angelo conſentiendo, ſalutis noſtræ eſſet exordium: & ideò per potens verbum ejus *Fiat*, facta eſt Mater Dei, ut eſſet mater rei, non cujuſcumque, ſed emendare ſe volentis.

FERIA QUINTA. pag. 180

De Conniventia, ſeptimo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

SEptimo Peccato Alieno *Conniventiæ* conſpurcantur, & maculant ſe Judices, Magiſtratus, cum maleficis & iniquis conniventes, & non punientes: omnium furtorum & latrociniorum, quæ poſteà committuntur participes effecti, Deo Judici pro illis rationem reddituri. Item Superiores, Patres-familiâs, & parentes, qui cum ſubditis, & prolibus malefacientibus connivent.

FERIA SEXTA. pag. 191

De Conniventia, ſeptimo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

INter omnes *Conniventias* nulla perniciosior, quàm parentum cum prolibus; conniventes cum illis, non ſolùm participes fiunt omnium peccatorum, quæ faciunt proles, ſed perdunt illas, & ſe: ideòque non parentes, ſed peremptores dicendi.

DOMINICA IV. pag. 202

De Conniventia, ſeptimo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

PEccatum Alienum *Conniventiæ*, præ cæteris contrahunt Patres Spirituales, qui ad Dei tribunal ſedentes, cum pœnitentibus nimiùm connivent, aut in eos nimiùm ſæviunt; tot homicidiorum rei, quot Conniventiâ, aut nimio rigore eorum, animæ pereunt.

FERIA SECUNDA. p. 212

De Participatione rei alienæ, octavo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

OCtavum Peccatum Alienum, eſt Participatio rei alienæ,

alienæ, quæ conſiſtit in participatione temporalium, dum quis modo illicito participat de fortunæ bonis alienis. Similibus participantibus ſcatet mundus qui ſi non fures, ſaltem ſocii furum dicendi ſunt, à Deo tanquam fures puniendi.

FERIA TERTIA. pag. 223
De Participatione rei alienæ.
Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

NOn ſolùm fures incurrunt octavum Peccatum Alienum, ſed & ſocii furum. Tales ſunt, præter herì nominatos, Judices diligentes munera, ſequentes retributiones, pupillo non judicantes. Tales ſunt Advocati, Procuratores, Notarii, qui corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.

FERIA QUARTA. pag. 233
De Participatione, octavo Peccato Alieno.
Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

OStenditur fures, & ſocios furum, omneſque participantes rem alienam teneri non tantùm reſtituere injuſtè ablata, aut injuſtè retenta, ſed etiam omnes proventus, & omnia lucra inde provenientia, nec non proximo ſatisfacere pro omni damno illato. Hæc reſtitutio eſt de neceſſitate ſalutis: ſine illa non agitur pœnitentia, ſed fingitur.

FERIA QUINTA. pag. 244
De Peccatis Alienis.
Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

SUnt & alii fures, & ſocii furum, ad altioris ordinis reſtitutionem obſtricti, latrones ſcilicet animarum, qui novem modis animas rapiunt de manu Dei, tradentes eas in manus inimici. Docet hic Sermo, quomodò illa reſtitutio ſit facienda.

FERIA SEXTA. pag. 255
De Defenſione, nono Peccato Alieno.
Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

NOnum Peccatum Alienum, inter alia graviſſimum, eſt *Defenſio.* Illud incurrunt omnes, qui proximum in malo defendunt, fovent & protegunt, fiuntque omnium malorum rei, quæ ab illis, quos fovent aut defendunt, perpetrantur.

In feſto Nativitatis D. N. J. C. pag. 266

CON-

CONCIONES ADVENTUALES DE PECCATIS ALIENIS Super Verſiculo 13. Pſalmi 18. IN QUO AGITUR DE VERBO INCARNATO.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſervo tuo. Pſalm. 18.

Dantur duo genera peccatorum, ob quæ (etiam juſti) meritò angantur, *Occulta* & *Aliena*, unde Pſalmiſta: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* Agitur in hac Concione de Peccatis *occultis*, in extremo judicii die ſolummodò manifeſtandis, quando fiet denudatio omnium conſcientiarum.

I. HOdie ingreſſi ſumus ſacratiſſimum tempus Adventûs Dominici, in quo memoria recolitur ineffabilis beneficii, quod Deus, Lucæ 1.78. *Oriens ex alto*, per Incarnationis ſuæ myſterium nobis contulit, factus homo. Ut arctiùs tantæ charitatis immenſitas, fidelium cordibus infigeretur, ſancta Mater Eccleſia, fragilitatem noſtram conſiderans, ad omnes verbi Dei Præcones dirigit decretum cœleſte Iſaiæ 58.1. *Clama, ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam;* Iſaiæ 58. 1. *& annuncia populo meo peccata eorum:* ut vel ſic, per aliquot ſaltem hebdomadas ante Salvatoris noſtri Nativitatem, conentur hominibus perſuadere, ut per pia opera ad illam ſanctè ſe præparent; & maximè à peccatis, in quæ per totum annum facilè prolabuntur, abſtineant. Hinc viſum eſt mihi, per gratiam Dei vobis proponere materiam, quæ & intellectu facilis, & auditu cunctis

neceſſaria, & à Concionatoribus
hactenus rarò, aut numquam ex
profeſſo tractata: agam itaque per
totum Adventum de peccatis, quæ
Aliena dicuntur; nimirùm quæ;
licèt ab aliis fiant, nobis tamen im-
putantur. Si quis fortè miretur, quòd
iſtam materiam aſſumam, rogo eum,
ut legat Pſalmum 18. Pſaltis Regii,
in quo, dum tractat de myſterio
Pſal. 18. 6. Incarnationis (*Ipſe, tamquàm ſponſus
procedens de thalamo ſuo, exultavit ut
gigas ad currendam viam; à ſummo cæ-
lo egreſſio ejus*) ibidem de peccatis
iſtis ex profeſſo loquitur, & Deum
pro remiſſione eorumdem humiliter
℣. 13. deprecatur: *Ab occultis meis munda
me; & ab alienis parce ſervo tuo*: legat
hæc verba attentè, & tunc cognoſ-
cet, quàm fundatè hanc materiam
elegerim. Rogemus ergò Deum, ut
aperiat corda noſtra, ſicut Act. 16.
Act. 16. 14. Paulo prædicante. *Aperuit cor Ly-
diæ, ut intenderet his, quæ dicebantur à
Paulo.* Rogemus Dei Matrem, ut,
ipsâ intercedente, aure cordis perci-
piamus ea, quæ de Alienis dicturi,
& audituri ſumus; eamque cum
Gabriele Archangelo, ſacratiſſimum
Incarnationis myſterium annun-
ciante, ſalutemus: *Ave gratiâ plena.*

II. Duo ſunt genera peccatorum,
quæ non parùm angebant Prophe-
Pſal. 18. 13. tam Regium: *Occulta*, & *Aliena*:
hinc timore plenus orabat Deum:
*Ab occultis meis munda me; & ab alie-
nis parce ſervo tuo.* M. P. Auguſtinus
Pſalmiſtam induens, ita loquitur:
D. Auguſt. *Ego ipſe, qui cuſtodio mandata tua,
Domine, rogo te (quoniam delicta quis
intelligit) ne mihi, ut homini, quædam
ſurrepant; & ne quibuſdam, ut homo,
præoccuper: Ab occultis meis munda
me, Domine; & ab alienis parce ſervo
tuo. . . . Delicta mea inquinant me;
delicta aliena affligunt me: ab illis
munda me: ab his parce. Tolle mihi ex
corde malam cogitationem; repelle à
me malum ſuaſorem.* Siſtite hîc NN.
mei: ſi vir ſanctiſſimus David, vir
ſecundùm cor Dei, qui ſecundùm
veritatem conſcientiæ ſuæ Pſ. 118.
teſtatus eſt: *Inclinavi cor meum ad* Pſal. 118. 112.
*faciendas juſtificationes tuas in æter-
num: Mediâ nocte ſurgebam ad confi-* ℣. 62.
tendum tibi: Septies in die laudem dixi ℣. 164.
tibi: Quomodò dilexi legem tuam, Do- ℣. 97.
*mine! totâ die meditatio mea eſt: Me-
ditatio cordis mei in conſpectu tuo ſem-
per*: ſi, inquam, vir tantus interro-
get: Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* Pſalm. 18. 13.
ſi ille omnia delicta ſua cognoſcere
non poſſit, & ideò ita angatur,
quamquàm, ut intelligat, dies, &
noctes impendat; quomodò nos,
multis peccatis dediti, & vix ſemel
in die legem Domini meditantes,
delicta, & peccata, quæ in cordibus
noſtris latent, intelligemus? Si Da-
vid oret: *Ab occultis meis munda me*; 2. Reg. 12.
ſi ille, qui, ubi ſemel deliquit, per
noctes ſingulas lacrymabatur, & per
dies ſingulos ſtratum ſuum lacrymis
rigabat; ille, qui audiverat: *Tranſtulit
Dominus peccatum tuum à te*; ſi ille ℣. 13.
adeò ſit pro occultis ſollicitus,
quantò magìs nos, qui iniquitatem
ut aquam bibimus? nos, qui pro
tot deiictis vix lacrymam fundi-
mus, ſaltem hoc ſacrum tempus
Adventuale impendere oportet, ut
delicta noſtra intelligamus; ab oc-
cultis mundemur; & ab alienis par-
cat nobis Deus? Date mihì, ut, an-
tequàm de *Alienis* exordiar, hodie,
& cras dicere poſſim de *Occultis*, in
ex-

extremo judicii die ſolummodò manifeſtandis. Certus ſum, quòd non pœnitebit vos, me hoc Adventu de *Occultis*, & *Alienis* audiviſſe. Præbete ergò benignas aures, Deo auſpice incipio. A

III. Cur putatis Davidem dicere: *Delicta quis intelligit*? & non potiùs: *Peccata quis intelligit*? Auguſtiſſimus Auguſtinus in Quæſt. Levitici, dat differentiam inter delictum, & peccatum: *Delictum*, inquit, *eſt*, *declinare à bono*; *peccatum eſt autem*, *facere malum*; *& ſic delictum eſt peccatum omiſſionis*; *ſed peccatum*, *propriè eſt peccatum commiſſionis*. NN. *Quis intelligit* omnia peccata commiſſionis? omnia peccata interna, quæ latent in fundo cordis, & numquam prodierunt in lucem? *Quis intelligit* deſideria vindictæ, invidiæ, odii? Quis cogitationes omnes impudicas? Quis judicia temeraria, cum contemptu proximi? *Quis intelligit* omnia mortalia externa, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemias, ſacrilegia, &c? *Quis intelligit* omnia venialia, quæ committuntur quaſi innumera? Nullus novit omnia, quæ in vita ſua geſſit. Quis novit omnia peccata omiſſionis? Quis omnia bona, quæ facere debuiſſet, & non fecit? Quis ſcit, an non verificentur de ſe verba Apoc. 3. 2. *Non invenio opera tua plena coram Deo tuo*? multi ſe juſtos putant, qui coram Deo juſti non ſunt. Audiendus iterùm M. P. Auguſtinus in hunc Pſalmum: *Quis enim delicta intelligit*? *ſi videntur tenebræ*, *intelliguntur delicta*. *Denique quando delicti pænitet*, *in luce ſumus*: *nam quando quiſque ipſo delicto involutus eſt*, *quaſi obtenebratis*, *opertiſque oculis non videt delictum*: *quia ſi tibi tegatur & carnis oculus*, *nec aliud vides*, *nec hoc*, *unde tegitur*, *vides*. *Ergò Deo dicamus*, *qui novit videre*, *quod purget*; *novit inſpicere*, *quod ſanet*; *illi dicamus*: *Ab occultis meis munda me*; *& ab alienis parce ſervo tuo*. Addat & ſua Doctor Angelicus in Pſalm. 18. „*Delicta quis* „*intelligit*? Quaſi dicat: Nullus. „Et hoc propter tria: primò, quia „delictum excæcat oculos peccan„tis; undè non de facili diſcernun„tur parva peccata: Sap. 2. *Exce„cavit eos malitia eorum*: ſecundò, „quia peccata ſunt multa: Pſal. 39. „*Circumdederunt me mala*, *quorum non* „*eſt numerus*: *comprehenderunt me ini*„*quitates meæ*, *& non potui*, *ut vide*„*rem*: item propter eorum ſubtili„tatem: Pſal. 39. *Multiplicati ſunt* „*ſuper capillos capitis mei*. ex ſubtili„tate: non dicit peccata, ſed delicta. „Duplex eſt peccatum; ſcilicet „tranſgreſſionis: & hoc faciliùs „cognoſcitur; quia homo ſcit ſe „feciſſe actum pravum, & omiſſio„nis: & hoc difficilè cognoſcitur; „quia hæc non obligant ad ſemper, „ſed pro loco, & tempore. Et di„ſtingue: quando eſt locus, & tem„pus, eſt difficile affirmare: ut quan„do danda eſt eleëmoſyna, qualiter, „&c." David hoc in animo ſuo reputans, tam ingenti timore concutiebatur, ut vocem illam demiſſionis, ac pœnitentiæ plenam, exprimeret: *Ab occultis meis munda me*. Petebat à Deo, ut labes, quas perſpicaciſſimus ejus oculus in illo videbat, & ipſemet non videbat, miſericordiſſimâ bonitate ſuâ purgaret; & quæ Paulus 2. Cor. 4. nominat,

Marginalia: S. Auguſtinus. — Apoc. 3. 2. — S. Auguſtinus. — Sap. 2. 21. — Pſalm. 39. 13. — Pſalm. 39. 13.

2. Cor. 4. *Occulta dedecoris*, gratiâ ſuâ dilueret, cùm nequiret ipſemet omnia cognoſcere. Hinc ſequebatur illud diluvium lacrymarum, quo lavabat lectulum ſuum die, ac nocte, Regiumque temperabat cibum. Siſtite hîc modò NN. mei: ſi vir tantus, cui Deus arcana ſapientiæ ſuæ aperuerat (*Occulta ſapientiæ tuæ*
Pſal. 50. 8. *manifeſtâſti mihi*) Occulta ſua ignoraverit; ſi ipſe, mentis cogitationem in abyſſum divinorum conſiliorum intendens, & abdita myſteria pernoſcens, proprias ſuas miſerias non noſcebat; ſi ille faciliùs aſcendebat in cœlum, quàm deſcendebat in ſe; & ſupra cœleſtes globos volitans in lumine, in tenebris cordis cœcus errabat; quidni nos ſancto timore percellimur, & cum viro hoc ſanctiſſimo veremur omnes vias noſtras occultas; nos, nos, qui quaſi talpæ ſumus? Quidni in tam cæcis conſcientiæ nubibus, occultoque animi ſtatu, cum ipſo gemimus, & corde humili invocamus Divinam bonitatem, ut parcat peccatis noſtris? Licèt quis vitam duceret Paulinam, adhuc angi deberet, an in corde non lateant peccata occulta. Audite Paulum.

IV. 1. Cor. 4. Poſt actam pœnitentiam pro peccatis à ſe commiſſis, factus Doctor Gentium, teſtimonium perhibente Conſcientiâ, ſcribit
1. Cor. 4. 4. Corinthiis: *Nihil mihi conſcius ſum:* Quod dicitur. A tempore, quo ſalutiferis Baptiſmi aquis renatus ſum, nullum in me deprehendo mali veſtigium. Congaudet Aymon, & gratulatur Apoſtolo, dicens: *Felix*
Aymon. *conſcientia, quæ ita ſecurè de ſe audet loqui!* Stante tali conſcientiæ teſtimonio, eſtne ſecurus Paulus? Putatis? audite loquentem: *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus* Idem.
ſum, nec certus de ſalute mea. Et quare hoc? *Quia neſcio*, inquit dictus Aymon.
Antiſtes ejus nomine; *utrùm placeant Deo, quæ ago; aut qualiter ea accipiat.* Quis mihi ſpondet, quòd opera mea ſint ipſi grata, & accepta? Ipſi, *Qui meliùs cognoſcit, quid ſit in me, quàm ego?* Quid ſcio, an non lateant in me peccata quædam occulta? *Qui enim judicat me, Dominus eſt.* ℣. 5.
NN. mei, quis noſtrûm auderet aſſerere: *Nihil mihi conſcius ſum?* Poſt ſuſceptum Baptiſmum nullam peccati labem admiſi? Quis ſecundùm Deum, & veritatem conſcientiæ ſuæ dicere poſſet: Nihil in conſcientia mea ſentio, quod pungat, quod remordeat? Et tamen cùm Apoſtolus, intrepidè hoc affirmans, non ſit ſecurus erit quis veſtrûm ſecurus? Loquatur hîc & ab omnibus audiatur M. P. Auguſtinus Lib. 10. Conf. Cap. 17. *Multùm vereor oc-* D. Auguſt.
culta mea, quæ nôrunt oculi tui, mei autem non. Tu nôſti de hac re, ad te gemitus cordis mei & flumina oculorum meorum. Auditis hoc, de ſalute veſtra tam parùm ſolliciti? Ubi de hac re gemitus cordis veſtri? Ubi flumina oculorum veſtrorum? Angitur David; tremit Paulus; Auguſtinus ingemiſcit; & vos ſecuri? Si nec Davidis angor, nec Pauli tremor, nec Auguſtini gemitus vos conturbent, nec peccata occulta vos anxios reddant, do undecim prima Eccleſiæ Lumina: fortè vel indè contremiſcet cor veſtrum.

V. Matt. 26. Diſcumbente Chriſto cum Diſcipulis ſuis, edentibus

illis

Matth.26. 22. 23. illis ait : *Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt.* *Unus*, inquit, non plures : & tamen, *Contriſtati valdè cœperunt ſinguli dicere : Numquid ego ſum Domine?* Timent, triſtantur, & trementes dicunt : *Numquid ego ſum?* Ad hæc verba S. Chryſoſtomus : S. Chryſoſtomus. *Licèt nôſſent propriam conſcientiam, timuerunt tamen Chriſti ſententiam.* Sciebant omnes (ſolo proditore excepto) ſe longè à tam enormi crimine eſſe ; & tamen petunt anxii, an fortè in ipſis occulta lateret proditio. N. N. mei, velitis, nolitis, fateri debetis, quòd necdum perveneritis ad ſanctitatem Apoſtolicam ; ſi contremiſcant Apoſtoli, quidni & nos, qui proprias non novimus conſcientias? Quidni hoc ſacro ſaltem tempore Adventûs Dominici, ſolliciti ſimus, ut delicta noſtra intelligamus, mundemur ab occultis, & ab alienis parcatur nobis? Quidni, inquam, rogemus Deum, ut præſtitam Ezechieli gratiam, & nobis præſtet?

Ezech. 2. 9. 10. VI. Cap. 2. Monetur Propheta, ut intrepidè arguat rebelles filios Iſraël, ſi quo modo tandem ab inveteratis peccatis ſuis reſipiſcant : *Et vidi*, inquit, *& ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber : & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intùs, & foris ; & ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Per involutum librum, intelligunt Patres librum vitæ noſtræ, qui ſcriptus eſt intùs, & foris ; repletus peccatis externis, & internis : multis tamen hic liber involutus eſt : ſc. iis, qui non intelligunt ea, quæ intùs ſunt : id eſt iis, qui vident quidem, quæ foris patent ; occulta autem minimè cognoſcunt : ideò rogandus Deus, ut illum expandat coram eis, antequàm veniat dies revelationis magnæ, in qua illum expandet coram omnibus, omnium juſtus judex. Putatis myſterio vacare, quòd dies judicii Rom. 2. 5. vocetur : *Dies iræ, & revelationis?* Rom. 2. 5. & ab Apoſtolorum Principe Act. 2. 20. *Dies Domini magnus, & manifeſtus?* Act. 2. 20. Rationem requiritis, cur dies revelationis dicatur? eam do. Quia tunc omnia manifeſtabuntur, quæ modò abſcondita ſunt, & occulta.

VII. Exodi 24. 4. Ex Dei mandato aſcenderat Moyſes in montem ſolus, ubi poſtquàm quadraginta diebus permanſerat, venit, & narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia : *Reſponditque omnis populus unâ voce : Omnia verba Domini, quæ locutus es, faciemus.* Exod. 24. 4. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones.* Quare Moyſes ſermones illos in communi tabula conſcripſerit, hîc nemo quærat : quia Oleaſter illi ignorantiam affectatam obtruderet, & diceret : *Quid præ ſe ferat hujuſmodi ſcriptura, nôſti, ô homo, ſi oculos non amiſiſti ; ſervatur enim, ut per eam in die examinis extremi interrogeris.* Oleaſter. Credo N. N. vos memores profeſſionis à vobis factæ in Baptiſmo, dum in militiam adſcripti, Sacerdoti vos interroganti : *Abrenuntias ſatanæ, & omnibus pompis ejus?* reſpondebatis : *Abrenuntio.* Quaſi diceretis : Omnia verba, quæ locutus eſt Dominus, faciemus. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones :* non tantùm

ſermones illi conſcripti ſunt in libro Dei, ſed omnia, quæ ab illo tempore egiſtis commiſſione, & omiſſione; omnia, etiam abſcondita, & occulta, quorum memoriam non habetis. Si à me petatis: *Quid præ ſe ferat hujuſmodi ſcriptura?* dicam cum Oleaſtro: *Servatur, ut per eam in die examinis extremi interrogeris*: ſcilicet, an ſecundùm Evangelium vixeritis: an Chriſtum Creatorem, Redemptorem, & Salvatorem fide & opere credideritis: an leges ejus divinas, & mandata obſervaveritis. Tunc ponentur ob oculos veſtros, omnes tranſgreſſiones, etiam minimæ: verbo dictum: tunc aperietur liber, ſcriptus intùs, & foris: tunc ſolventur ſeptem ſignacula ejus, quæ per examina conſcientiæ non eſtis dignati ſolvere: tunc manifeſtabuntur omnia peccata ſecreta, occulta, & oblivioni tradita: tunc omnia, quæ in corde ſuo machinatus eſt Babilonius (& tamen nunquam, ſive ob verecundiam, ſive ob impotentiam, tranſierunt in actum) prodibunt in lucem: & quidquid in corde latuit, manifeſtum fiet, ſpectantibus Angelis cunctis, & hominibus. Audite ab uno, qui non habet ex auditu, ſed ipſis oculis vidit: nôſtis eum ex nomine; ipſe eſt, qui Chriſto primus eſt à ſecretis.

Apoc. 20. 11. 12. VIII. Apoc. 20. 11. *Vidi*, inquit, *thronum magnum candidum; & ſedentem ſuper eum: & vidi mortuos magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni: & libri aperti ſunt: ſcripti non atramento*, inquit D. Ambroſius; *ſed delictorum veſtigiis, & flagitiorum inquinamento.* Illis apertis, *Alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui, ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum.* Duo hîc notanda occurrunt: quinam ſcilicet ſint illi libri, qui aperti ſunt; & quis ille alius liber, *Qui eſt vitæ.* Ad primum reſpondet Rupertus Abbas Lib. 11. in Apoc. *Apertio librorum, manifeſtatio eſt conſcientiarum.* In eandem abit ſententiam D. Chryſoſtomus Tom 6. Hom. de Cæco, & Zachæo: *Ante omnium oculos peccata noſtra ponentur, & ignorantibus oſtendentur actiones, ubi omnia nuda, & aperta, ubi cordium noſtrorum libri aperientur, & legentur occulta nocturna, & diurna.* Ad ſecundum reſpondet D. Ambroſius in Gloſſa: *Libri multi, ad reprobos; unus, qui eſt vitæ, ad electos pertinet: multos libros reprobi poſſident; quia multis modis Deum offendunt.* Ad apertionem illorum librorum ſtabunt reprobi, ut portent ignominiam ſuam, & confundantur in omnibus, quæ fecerunt. *Tunc*, inquit M. P. Auguſtinus, *erit diabolus recitans, quidquid fecerimus; & in quo die, & in quo loco peccavimus; & quidquid omiſimus, quod facere debuimus.* Quid tunc dicturus eſt impius, quando ad tot, tantaſque accuſationes nullus dabitur locus effugii? Evaſit Loth incendium Sodomæ, & Gomorrhæ: ab univerſali diluvio præſervatæ ſunt octo animæ: & de 600000. qui exiverant de Ægypto, duo tantùm intrârunt terram promiſſionis: ſed hîc nullum dabitur effugium: *Erit diabolus recitans*, & enumerans

S. Ambroſius. Rupertus. S. Chryſoſtomus. S. Ambroſius. S. Auguſtinus.

rans omnes annos, menſes, dies, horas, momenta omnia malè impenſa: *Et in quo die, & in quo loco peccavimus.* Quis tunc poterit ſuſtinere confuſionem, quando verificabuntur verba Dei Nahum Prophetæ Cap. 3. *Revelabo pudenda tua in faciem tuam; & oſtendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam; & ponam te in exemplum:* quando coram tota Curia cœleſti publicabuntur omnia, quæ modò præ pudore, etiam ſub altiſſimo Sacramenti ſigillo, non audes vel uni Confeſſario confiteri. Confuſionem illam conſiderans S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor, inter litteratos ſanctiſſimus, & inter Sanctos litteratiſſimus; ille Hieronymus qui ſpatio quadraginta octo annorum gemens, & ſuſpirans, inter animalia horrendam cavernam inhabitavit: ille, qui ſpatio quinquaginta annorum, duabus tantùm vicibus, gravi infirmitate correptus, ad auſteram menſam ſuam paucas amaras herbas coctas admiſit; humi cubans, nudus, aëris injuriis expoſitus, omnem quodammodò cibum ſtomacho ſubtrahens, & oculis ſomnum, continuò percutiens ſaxo emaceratum pectus ſuum; ſic ut Martyrem eum vocet S. Laurentius Juſtinianus: *Quod carnis mucrone non pertulit, hoc in ſe ipſo caſtitatis amore complevit:* ille Hieronymus de ſe loquitur: *Quoties diem judicii conſidero, toto corpore contremiſco: ſive dormiam, ſive comedam, ſive bibam, intonat auribus meis vox illa: Surgite mortui, venite ad judicium.* Ad quid tantus timor, & tremor, Hieronyme? *Ego*, inquit, *conſcius ſcelerum meorum, in ſepulchris habito; & ſemper audio illam vocem, Hieronyme, veni foras.* Miſerum me! quando citabor, ut publicè coram toto mundo compaream: quid tunc faciam? *Væ mihi, quia in illa die omnes iniquitates meæ denudabuntur.* Non eſt ſolus Hieronymus, qui angitur: Mellfluus Bernardus ſolo cogitatu contremiſcit in ſuis meditationibus: *Væ mihi miſero, cùm venerit illa dies judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus, & cogitationes Domino præſente recitabantur. Tunc, demiſſo capite præ confuſione malæ conſcientiæ, in judicio coram Domino ſtabo trepidus, & anxius; utpotè commemorans ſcelerum meorum: & cùm dicetur de me; Ecce homo, & opera ejus.* N. N. mei, viri, mulieres, juvenes, ſenes, dicite ſubindè cum SS. Hieronymo, & Bernardo: *Væ mihi!* Potior vobis ratio timendi eſt, quàm illis: dicam ego, & unuſquiſque veſtrûm mecum (licèt foret omnibus horis diei) *Væ mihi!* quia manifeſtabitur primò peccatum meum originale: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Væ mihi!* quia detegentur in illa die omnes diſſolutiones pueritiæ meæ, malitiâ ſuperante ætatem: *Puer centum annorum. Væ mihi!* quando ab omnibus clarè, & diſtinctè videbuntur omnes luxuriæ, & peccata libidinoſa adoleſcentiæ meæ; *Et conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Væ mihi!* quando publicabuntur peccata virilis ætatis, tam multiplicia, & horrenda: *Multiplicatæ ſunt iniquitates*

Marginal notes: Nahum 3. — S. Laurentius Juſtin. — S. Hieronymus. — S. Bernardus — Pſalm. 50. 7. — Iſaiæ 65. 20. — Job 13. 26. — Pſalm. 39. 13.

tes ſuper capillos capitis mei. Væ mihi! quando innoteſcent omnibus
Prov.22.6. peccata ſenectutis meæ: *Adoleſcens juxta viam ambulans, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Brevì facturus tranſitum de hac ad alteram vitam, adhuc immerſus ſum peccatis adoleſcentiæ meæ; *Væ mihi! Tunc, demiſſo capite præ confuſione malæ conſcientiæ meæ, in judicio coram Domino ſtabo trepidus, & anxius.* Tunc Deus aliter ſcrutabitur ſupellectilem tuam, quàm ſcrutatus eſt Laban ſupellectilem Jacob.

IX. Gen.31.30. Jacob, jubente Domino, cum omnibus ſuis tacitus in patriam revertitur: quod ut audiit Laban, aſſumptis aliquot viris, perſecutus eſt eum diebus ſeptem; & comprehendit in monte Galaad. Et quia Rachel, Jacob inſcio, furata erat idola patris ſui, poſt varias exprobrationes, ait illi
Gen.31.30.34. Laban: *Cur furatus es deos meos?* cui Jacob: Quid? Furti me arguis? *Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus noſtris: Scrutare.* Ingreſſus Laban tabernaculum Jacob, & Liæ, & utriuſque familiæ, non invenit. Indè intrans tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondebat idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper: ſicque ipſum quærentem, ſcrutantemque omne tentorium, aſtu decepit, & deluſa eſt ſollicitudo quærentis. N. veniet dies, quâ Omniſcius Deus ſcrutabitur ſupellectilem
1. Cor.4.5. tuam in lucernis: *Veniet Dominus, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordi-*
Pſalm.7.10. *um. Scrutans corda, & renes Deus, ipſe revelabit profunda, & abſcondita; & novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt.* Daniel.2.22.
Omnia ſecreta cordium, omnes cogitationes, affectiones, & deſideria denudabuntur; omnia opera, ſive bona, ſive mala, publicabuntur; & ita quiſque aſtantium, erit alienarum cogitationum, affectionum, & operum inſpector, ſicut ſuorum. Verba ſunt D. Thomæ à Villa-nova. Tunc coram omnibus exprobrabit, dicens; non: Cur furatus es deos meos, idola mea? ſed: Cur furatus es honorem Divinitati meæ debitum, blaſphemando nomen meum ad ſingulos ſermones; jurando per Deum, per Sacramenta, per Sanguinem meum? Cur furatus es honorem fratris tui, quem abſtuliſti detractionibus tuis? Cur furatus es bona pauperum, quæ vi, dolo, & fraude tuliſti? Cur furatus es honorem Eccleſiæ meæ, etiam tempore tam tremendi ſacrificii; garrulitate tuâ, & ſcandalis retrahens populum à ſacrificio? Tunc examinabitur intellectus, an veritatem inquiſierit, an vanitatem? memoria, an Dei beneficia retinuerit, & offenſas? voluntas, an proſecuta fuerit honeſtum, aut
delectabile? oculi, an fuerint, ut Cant.7.4.
piſcinæ Eſebon, vel ut fornaces Daniel.3.6. Jerem.2.13.
Babyloniæ? labia, an ex fonte Apoc.17.4.
vivo, vel ex ciſternis diſſipatis biberint, vel ex calice meretricis? aures, an attenderint ad vocem ELIÆ, vel ad idololatrarum? odoratus, an appetiverit odores laſcivos, an Magdalenæ unguenta? manus, an fuerint Jacob, vel Eſau? fomes, an Herodiadis, an

Joannis

Joannis Baptiſtæ ? iraſcibilis concupiſcentia, an gladium Michaëlis geſtaverit, an lanceam Longini contra Chriſtum? pœnitentia, charitas, lacrymæ, puritas conſcientiæ, obedientia, Deo & Eccleſiæ debita, ad grana, ad ſcrupulos, ad dragmas ponderabuntur; ſanctitas, merita, perfectio, an dragmam minùs habeant, quàm oporteat? Tunc dicet Deus unicuique noſtrûm, quod olim Nathan Davidi:
2. Reg. 12. 12. *Tu feciſti abſcondite, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis.* Tunc aliter cognoſces, quàm nunc. Dum nix cadit, & terram operit, omnia apparent alba; & immunditiæ terræ abſconditæ, & ſepultæ, non videntur; ſed ſi ſol oriatur, & radiis ſuis nivem diſſolvat, illicò diſtinguuntur ſpinæ ab herbis, lutum à fonte, & omnia videntur, ut ſunt. Dum hîc vivimus, fallit nos mundus, & fallimur. Quot modò Eccleſiaſtici cum albo ſuperpelliceo? Quot Religioſi cum habitu mortificationis? Quot nunc mulieres
Pſalm. 143. 12. *Compoſitæ ut ſimilitudo templi?* Quot
Matth. 23. 27. modò ſeculares, *Tamquàm ſepul-*
Rom. 14. 10. *chra dealbata?* ſed tunc, *Ante tribunal Chriſti*, ante faciem Dei, ſedentis in ſede majeſtatis ſuæ, ante radios Solis Divini, erit unuſ-
Apoc. 4. 6. quiſque noſtrûm coram eo, *Tamquàm mare vitreum, ſimile cryſtallo.*
Iſaiæ 57. 20. *Cor impii*, quod modò *quaſi mare fervens*, ea, quæ modò in profundo ſuo abſcondit, tunc inſtar terſiſſimæ cryſtalli manifeſtum erit omnibus: tunc patebunt omnia deſideria turpia, imaginationes impuræ, opera, in noctis tenebris, & locis abſconditis commiſſa: *In illo* Jerem. 8. 1. 2.
tempore, ait Dominus, ejicient oſſa Regis Judæ, & oſſa Principum ejus, & oſſa Sacerdotum, & oſſa Prophetarum, & oſſa eorum, qui habitaverunt Jeruſalem, de ſepulchris ſuis; & expandent ea ad ſolem, & lunam. Quot Magnates, quot nobiles, quot Sacerdotes, quot perſonæ ſpirituales modò ſunt, deforis velut ſepulchra dealbata? tunc Deus educet oſſa illa putrida, & fœtentia; & peccata eorum *Expandet ad ſolem, & lunam.*

X. Sophoniæ 1. 12. *In illo tem-* Sophon. 1. 12.
pore ſcrutabor Jeruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis. In lucernis? Quid, quæſo, lucernis opus, quibus in tenebris nocturnis uti ſolemus, cùm tempus judicii, *Dies* appelletur? Soph. 1. 10. 14.
Dies illa: Dies iræ: Dies Domini: 15.
in die nullus eſt lucernarum uſus. Quæro ulteriùs: Cur *in lucernis*, & non *in lucerna*? Nôſtis, quomodò mulier Evangelica deperditam dragmam quærens, *Accendit lucernam*, Luc. 15. 8.
non lucernas; quia, licèt nox ſit, una ſufficit lucerna, ut inveniatur, quod perditum eſt. Nihilominùs dicit judex: *Scrutabor Jeruſalem in lucernis.* Albertus Magnus pandit myſterium: *Scrutabitur illos in il-* Albertus
luminationibus, ut omnia occulta Magnus.
manifeſtentur. Sol ſolam exteriorem terræ ſuperficiem illuminat; recondita autem cavernarum, & ſpecuum ſubterranearum latibula minimè penetrat; atque ideò, ut ea penetrare quis poſſit, utitur lucernis. Q. D. Sophonias, quod Apoſtolus 1. Cor. 4. 5. *Veniet Dominus,* 1. Cor. 4. 5.
& illuminabit abſcondita tenebra-

rum , *& manifeſtabit conſilia cordium. Ipſe*, ut habetur Dan.2.22. Danielis 2.22. *Revelat profunda* , *& abſcondita*; *novit*, *in tenebris conſtituta*; *& lux cum eo eſt*. Ideò utitur verbo emphatico *Scrutabor*, quia eſt *Scrutans corda*, *& renes Deus*. Pſalm.7.10. Si ita eſt, iterùm peto : Cur ſcrutabitur in lucernis ? ut ponat omnia in claritate : & quibus lucernis ſcrutabitur ? Prima lucerna (quæ & maxima) erit increata Divina ejus Sapientia, quæ novit omnia, diſcernit omnia, pandit omnia : *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus* Hebr. 4. 13. Hebr.4.13. aliæ lucernæ, ſunt omnes creaturæ; inter quas erunt Angeli, tam boni, quàm mali; qui, cùm ſint ſpiritus, undequàque omnia detegent, & illuminabunt pluſquàm faces : *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus* , *& miniſtros ſuos flammam ignis* Hebr. 1. 7. Hebr.1.7. illoſque jubebit Dominus tunc comparere , tamquàm teſtes omnium operum noſtrorum. Secunda lucerna, erit lumen rationis, quod in nobis ſplendet : *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui* : Pſalm.4.7. lumen illud, quod peccator conatur extinguere, manifeſtabit omnes nevos (*Lucerna Domini*, *ſpiraculum hominis*; *quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris*) ſcilicet memoriæ, in qua congregabuntur ſpecies eorum omnium, quæ feceritis cogitatione, verbo, & opere. Tertia lucerna, erit lex, ore divino dictata, à Prædicatoribus toties audita, in libris ſpiritualibus lecta, ab animarum directoribus inculcata : *Mandatum*, *lucerna eſt*; *& lex*, *lux* Prov.6. Prov.6. illa lucerna oſtendet ad vivum vel minimam legis tranſgreſſionem, & defectum. Quarta lucerna, erunt ſol, & luna; quæ de die, & nocte viderunt iniquos, toties operantes mala : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus*; *& terra conſurget adverſùs eum*. Dicite mihi : Inter tot lucernas, quid tunc manebit abſconditum ? ſic Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum , & revelabit profunda : ſic ſcrutabitur Judex Jeruſalem, ſcilicet animam juſtam, & fœdam, in lucernis. Si tale ſcrutinium Jeruſalem manet, quot lucernas producet, ut detegat peccata Babylonis, quæ confuſione plena eſt, & ubi tam gravia latent abſcondita, & occulta ? Sed eſto, quòd judex occulta non manifeſtaret; ipſa conſcientia, omnia quæ nunc latent, manifeſtabit : ſed quantâ confuſione !

XI. 3. Reg.2.42. Mortuo Davide, & ſedente Salomone ſuper thronum patris ſui, impius Semei (qui anteà maledixerat Davidi maledictione peſſimâ) quia contra præſcriptum egreſſus erat Jeruſalem, citatur à Rege; qui dixit illi : *Nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum*, 3.Reg.2.42. *& prædixi tibi : Quâcumque die egreſſus fueris huc & illuc*, *ſcito te eſſe moriturum* ? Et addidit : *Tu nôſti omne malum*, *cujus tibi conſcium eſt cor tuum*, *quod feciſti David patri meo : reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum*. Abulenſis Qu. 44. hunc locum expendens, ait : *Tu nôſti omne malum* , *cujus tibi* Abulenſis. *conſcium eſt cor tuum* : *id eſt*, *non oportet*, *quòd ego exprimam tibi illud*, *quia tu benè nôſti*; *unde* : *Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum*; *id eſt*, *Dominus duxit te ad*

tale tempus; in quo malitia, quam feciſti contra patrem meum, redderetur in caput tuum; id eſt, punireris pro illa. Quibus auditis, obmutuit Semei, magis convictus propriâ conſcientiâ, quàm mille teſtibus. N. N. quando verus Salomon *Sedebit ſuper ſedem* Matth.25.31. *majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, tunc dicet: Tu nôſti omne malũ, cujus tibi conſcium eſt cor tuum, quod feciſti Patri meo.* Non eſt, quòd ego exprimam tibi illud, quia *Tu bene nôſti*; ipſa conſcientia tibi omnia, etiam antè occulta, ob oculos ponit. Jam *Reddidit Dominus malitiam tuam ſuper caput tuum; id eſt, Dominus duxit te ad tale tempus, in quo malitia, quam feciſti contra Patrem meum, redderetur in caput tuum; id eſt, punireris pro illa.* Deus bone! Quàm horrenda tunc eructabit cor tuum, mi homo? *De corde exeunt cogitationes malæ*: eructabit omnes cogitationes malas, impudicas, impias, blaſphemas, quas habuiſti in templo, in cubiculo, in plateis, in conſortiis: eructabit homicidia, non ſolùm interna, ſed & externa; quę linguâ commiſiſti, detrahendo, optando, mandando, excitando, irritando, conſulẽdo, &c. eructabit adulteria, quę commiſiſti cogitatione aut opere: eructabit furta, commiſſa in officio, mercatura, in fama proximi, &c. hæc omnia, quę modò latent, velut in lucidiſſimo ſpeculo cognoſces, objecta à proprio corde, in quo latuerunt. Si cor tuum nôſti, ipſâ teſtante Scripturâ, mare eſt, in quo voragines multæ, abyſſi impenetrabiles, & monſtra latentia, quæ in aquarum ſuperficie non videntur. Qualia latent in mari illo, quæ modò non cognoſcuntur, ſed in die revelationis manifeſtabuntur! Nôſtine, quòd Oceanus ille tam profundus, & impenetrabilis, tunc futurus ſit mare chryſtallinũ? *In conſpectu* Apoc.4.6. *ſedis tamquàm mare vitreum, ſimile chryſtallo.* Apoc.4.6. Mare erit cor tuum, ſed chryſtallinum; nihil erit, quod non videbitur: ad ictum oculi cognoſcentur ſecretiſſima, quæ in fundo latent: tunc cognoſces peccata eſſe, quæ ſæpè virtutes putabas.

XII. Sancti Patres proteſtationẽ à Deo judice per os Pſalmiſtę factam (*Cùm accepero tempus, ego juſtitias* Pſalm 74. *judicabo.* Pſalm.74.) in pondere ſanctuarii revocant ad trutinam. D. Bernardus Serm.55. in Cant. ſic loquitur: *Valde verendum eſt, ne ſub tam* S. Bernardus. *ſubtili examine multæ noſtræ juſtitiæ (ut putantur) peccata appareant.* Dum cubiculum aliquod ingredimur apertis clarum feneſtris, aërem intuemur purum: aſt ubi ſolis ſubintraverit radius, ſubitò atomi, & pulveres, quos primò non videramus, comparent. Ita multis accidet animabus, quæ variis operibus bonis vacâſſe ſe crediderint: ubi Sol juſtitiæ Chriſtus affulſerit, & examen ſtrictiſſimum inſtituerit, multi cognoſcentur defectus: hinc David ſupplicans, ait Pſalm.118. *Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis ut non* Pſalm.118. *confundar.* Tanta in illa denudatione erit confuſio, ut ſoli iſti diei reſervetur. Vultis illam adumbratam?

XIII. Iſaiæ 20. 2. Volens Deus adumbrare occaſum Æthiopiæ, & Ægypti, mandat Prophetæ: *Vade, & ſolve ſaccum de lumbis tuis, &* Iſaiæ 20.2. *calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Totus nudus ſpectantibus omnibus incedet per plateas Iſaias? Prophe-

Verſ.4. ta nudus? Nudus: *Et fecit ſic vadens nudus, & diſcalceatus.* Statim ſubjungitur: *Si minabit Rex captivitatem juvenum & ſenum, nudam, & diſcalceatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Alia erit denudatio peccatoris, quando anima ejus coram toto mundo apparebit denudata; quando omnium conſcientiæ, etiam ſordidiſſimæ, nefandiſſimæ, & maximè abominabiles, denudabuntur. *Ad ignominiam Ægypti.* Si experientiâ conſtet, quantùm peccator erubeſcat, etiam in Sacramento pœnitentiæ, ſub indiſpenſabili ſecreto, peccatum ſuum aperire; quid erit, quando in die illa tremenda, omnia totius vitæ peccata propalabuntur? tot ſtupra, tot adulteria, tot fraudes, tot latrocinia, tot impuritates, quæ alios teſtes non habuerunt, quàm tenebras? quando omnia publicabuntur *Ad ignominiam Ægypti?* Hoc ſolo cogitatu contremiſcit D. Bernardus Serm. de Verbis Habacuc animam ſuam alloquens: *Heu me!*
S. Bernardus. *quàm vile operimentum quæris, ô anima mea! Nudam, & apertam oportebit te ſtare ante tribunal Dei.* Quàm tu vile operimentum quæris mi homo? benè video, quòd filius Adæ & Evæ ſis, putans leviſſimis foliis ficûs, frivolis, & vanis excuſationibus ſordes tuas tegere: ſed ſcias, quòd *Portabis ignominiam tuam, & confunderis in omnibus, quæ feciſti:* manifeſtabuntur ignominiæ tuæ, etiam occultæ; & infamiæ, maximè ſecretæ. Vis tibi dem umbram aliquam iſtius futuræ tunc confuſionis? Quid ſi virtute divinâ omnium præſentium cognoſcerem conſcientias, & arcana cordium: & hîc publicè annunciarem: Illa, quæ putatur, & habetur pia, & devota, eſt adultera, & indies thoro ſuo matrimoniali infamiæ ſtigma inurit. Ille, quem probum putatis, & juſtum, fur eſt; & plura furatus eſt, quàm multi ob furta ſuſpenſi. Hic, pactum habet cum dæmone, ut ſecretò mactare poſſit inimicum; & ſic de cæteris: ſi ego ſic inciperem loqui, quantò iſti ſuffunderentur rubore? Hinc tu collige, quanta tibi futura ſit confuſio, non ob unum, ſed ob millena peccata coram mundo univerſo confundi. Potes modò decipere Confeſſarios, inaurando peccata etiam enormia; in die autem judicii, non item: tunc cogeris facere Confeſſionem publicam, & ipſe proclamare altâ voce omniá peccata tua, quantumcumque horrenda. Si mihi non credas, Prophetæ fidem adhibe.

XIV. Oſeæ 13. 12. *Colligata eſt iniquitas Ephraim.* Celas modò, peccator, peccatum tuum eâ facilitate, quâ celat mater infantem in utero; celas domeſticis; celas parentibus, celas amicis, celas vicinis; celas ipſi Chriſti Vicario: *Abſconditum eſt peccatum ejus:* ſed quid ſequetur poſteà? *Dolores parturientis venient ei.* Apello vos N. N. mei, non notâſtis aliquando mulierem partui proximã? Non poteſt ſe ultrà continere, cogitur gemitibus, & clamoribus ſe manifeſtare. Sic fiet, inquit Oſeas, omni peccatori: *Dolores parturientis venient ei.* Quis mihi explicet ruborem inde peccatori naſciturum? Dicite, quæſo, ſi contingeret puellam, Oſeæ 13. 12. Verſ.13.

quæ

quæ fornicariè concepit, parturire in loco publico; vel in convivio coràm magna frequentia populi; quanta ei indè naſceretur confuſio? Infinities major erit illa, quam ſubibit peccator, dum non unum, ſed millenos maledictos partus in lucem dabit in conſpectu totius univerſi. Quales tunc gemitus, quales ſingultus, qualia tunc præ confuſione edet ſuſpiria? *Audient Gentes ignominiam*
Jerem. 40. 12. *ejus*; inquit Jerem. 40. 12. *& ululatus ejus replebit terram*. Tunc omnes impii *Confuſione induentur*, ut loqui-
Job 8. 22. tur Job 8. 22. *Confuſionem portabunt*,
Ezech. 39. 26. ut teſtatur Ezech. 39. 26. A capite ad calcem *Operientur ſicut diploide*
Pſal. 108. 29. *confuſione ſuâ*: verba ſunt Pſalmiſtæ Pſal. 108. 29. O te miſerum! Quid proderit tibi, tanto ſtudio, & cautelâ abſcondiſſe iniquitates? ſub zeli pallio texiſſe radicata odia? ſub larva juſtitiæ exercuiſſe tantas injuſtitias? Quid proderit, ſub vultu honeſto celare cor immundum, ſi tantò major confuſio poſteà ſubſequetur in partu? Quid videtur NN. ſi ita futurum eſt nobis in illa die, numquid meritò ſancto timore percuti debemus, & cum Pſalmiſta indies rogare Deum: *Ab occultis meis munda me*? Certè qui rem intelligunt, aliter apprehendunt.

XV. D. Auguſtinus defunctâ matre ſuâ Lib. 9. Conf. Cap. 13.
S. Auguſtin. Deum alloquitur: *Fundo tibi, Deus noſter, pro illa famula tua longè aliud lacrymarum genus, quàm manat de concuſſo ſpiritu*. Quid movet Auguſtinum, tantas ut lacrymas fundat pro Monica, quæ ſpeculum erat omnium virtutum; & undique ſpargebat lumen ſanctitatis? ipſa eſt quæ lacrymis ſuis, & gemitibus, Eccleſiæ lucrata eſt tantum Doctorem, & Patrem; innocentiâ morum, & vitæ ſanctitate convertit Patricium maritum ſuum; & ipſe teſtante Auguſtino, *Sic vixit, ut laudetur nomen tuum Deus, in fide, moribuſque illius*. Cur ergò Magnus Pater in exequiis matris ſuæ ita affligitur? Primò, ipſo aſſerente, *Conſideratione periculorum omnis anima, quæ in Adam moritur*. Secundò conſideratione judiciorum Dei: *Væ etiam laudabili vitæ, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam*. Hîc ad rem noſtram facit, reſponſum Eminentiſſimi Bellarmini, datum cuidam Cardinali; commiſerat Clemens VIII. Purpurato cuidam Patri negotium ſummi momenti; quod ita illi cordi erat, ut nec quieſcere poſſet, nec dormire: adeòque macie conſumeretur: caſu interrogatus à Bellar- Bellarminus.
mino, quid lateret; reſpondit, ſibi ab Eccleſiæ Capite commiſſum negotium, cujus cùm neſciret ſucceſſum, hinc meritò angeretur. His dictis aſpiciens & ipſe Bellarminum, eumque macilentum cognoſcens, etiam interrogat: Quid & te movet, quòd æquè pallidus, & macilentus ſis? cui ille: Negotium commiſit mihi Deus majoris momenti, quàm quod Pontifex tibi: *Tabeſcere me fecit anima mea*: ſalus animæ meæ mihi commiſſa eſt: tabeſcere me fecit ignorantia delictorum meorum, & omnium occultorum, quorum diſtricto judici à me reddenda ratio. Utinam NN. & nos tabeſcere faceret anima noſtra, & ſancta illa cogitatio, quid tandem de nobis futurum ſit! ita tangeret, & angeret

corda noſtra, ut ſancto hoc tempore Adventuali cum Regio Propheta clamaremus: *Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſervo tuo*: vel cum M. P. Auguſtino in Manuali
S. Auguſt. Cap. 5. *Adjuva me, Domine Deus meus, & da lætitiam in corde meo: veni ad me, ut videam te: anguſta eſt mihi domus animæ meæ, quouſque venias ad eam, & dilatetur à te: ruinoſa eſt, refice eam. Habet plurima, quæ offendant oculos tuos, fateor, & ſcio: ſed quis mundabit eam? aut cui alteri, præter te, clamabo: Ab occultis meis munda me?* Sed quid Auguſtinos, quid Bellarminos ob peccata occulta in illo die revelanda anxios produco, dum habeo Prophetam Regium adeò pro occultis ſollicitum?

XVI. Pſal. 142. Supplicat Deum:
Pſalm. 142. 2. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Non ſolùm rogat Deum, ut non judicet eum, ſed ut non cogitet quidem de judicando: *Non intres in judicium.* Quaſi diceret cum Job 9. 20. *Si innocentem oſtendero, pravum me comprobabo.* NN. *Quis* noſtrûm *poteſt dicere: Mundum eſt cor meum?* Prov. 20. 9.
1. Cor. 4. 4. Verum eſt, poſſet ſubindè quis dicere: *Nihil mihi conſcius ſum*; ſemper tamen adjungere tenetur: *Sed non in hoc juſtificatus ſum*; ſignanter ob peccata occulta, quæ poſſunt latere: ideò dicit Pſalmiſta: *Non intres in judiciũ cum ſervo tuo, Domine; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Et benè argumentando dicit, quia; ſi *Non juſtificabitur omnis vivens*; quantò minùs ego, pro occultis adeò anxius? Mi homo! redeo ad te: qui dicit *Omnis*, excludit neminem; conſequenter includit & te: attende igitur, ex quot capitibus & tu debeas divinum horrere judicium; & ob quæ non audebis aperire os tuum ad juſtificandum te: Primò enim, cùm natus ſis filius iræ, adeòque de progenie viliſſima, ad Deum faciem levare, audere non potes: *Pater tuus*, qui fuit Adam, *Amorrhæus*; ſcilicet Rebellis: *Mater tua*, quæ fuit Eva, *Cethæa*, ſcilicet Inſipiens: *In die ortûs tui non eſt præciſus umbilicus*; qui eſt Ezech. 16. 4. fomes, qui te ad malum proclivem, & ad bonum tardum efficit. Secundò, quia licèt in Baptiſmo per gratiam habitualem elevatus fueris ad altiſſimam dignitatem, illam, peccando mortaliter, deſpexiſti; indè factus culpabilior, quàm ante Baptiſmum fueras. Tertiò, factus certior de amiſſa illa gratia habituali, non per unam, ſed quaſi infinitas culpas, incertus es, an illam per debitam pœnitentiam recuperaveris. Quartò, quia ſæpiſſimè non ſolùm neglexiſti in te præparare debitas diſpoſitiones ad conſequendam gratiam actualem, ſed & obices interjeciſti. Quintò, quia non obſtantibus à te multoties interjectis remoris, Deus abundanter, ac benignè dictam gratiam tibi impartitus eſt; & interim correſpondere illi omiſiſti, negligendo internas illuminationes, inſpirationes, invitationes, quas tibi invanum contulit. Sextò, quia dum gratiæ divinæ correſpondiſti, hoc frigidè adeò feciſti, ut ex grandi gratiarum capitali culpâ tuâ exiguum fructum feceris: *Decem jugera vinearum facient lagunculam unam*. Septi- Iſaia 15. 10. mò, quia non ſolùm negligens es ad bonum, ſed quotidie committis

multa

multa mala, ſaltem venialia; utpotè vitia gulæ, impatientiæ, invidiæ, detractionis, &c. ſatis tibi obvia, & familiaria. Octavò, quia, licèt quidem indies plus boni facias, quàm mali, ſi tamen illud cum innumeris Dei beneficiis compares, vix umbram alicujus boni comperies. Nonò, quia in tam exiguo bono, quod agis, non ſolùm vanè gloriaris, ſed etiam fraudulenter hominum plauſum ſtudes conquirere. Decimò, quia, licèt modò Deo ſanctiſſimè ſervires, incertus tamen es de perſeverantia finali: *Ecce inter Sanctos nemo immutabilis.* Job 15. Hæc cogita, mi Homo, & dic modò (ſi audeas) quòd non habeas rationes timendi divinum judicium, in quo omnia etiam occulta revelabuntur. Hæc ſeriò cogita, & indubiè dices cum Propheta Job Cap. 9. 1. *Verè ſcio, quòd ita ſit, & quòd non juſtificetur homo, compoſitus Deo.* Dices cum Davide: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Quid dicis Deo, dum dicis ne tecum intret in judicium? Dicis, quòd te declares convictum, & confuſum; reum te proteſtaris. Fac hoc, & non intrabit tecum Deus in judicium, quia temetipſum dijudicâſti: *Si nosipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 1. Cor. 11. 31. NN. dicamus etiam nos, & in corde dicamus, cum SS. Ambroſio, & Auguſtino: *Judex crederis eſſe venturus: Te ergò quæſumus, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo Sanguine redemiſti. Æternâ fac cum Sanctis tuis gloriâ munerari. Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ. Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri: Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos; quemadmodum ſperavimus in te. In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum.* Amen.

Job 15. 15. — Job 9. 1. — Pſal. 142. 2. — 1. Cor. 11. 31. — S. Ambroſ. S. Auguſtinus.

FERIA II. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

De Peccatis Ignorantiæ.

Ab occultis meis munda me. Pſal. 18.

Non ſolùm peccata quædam occulta, ſed etiam Peccata Ignorantiæ, quæ, licèt nunquam cognovimus, nos perdere poſſunt in æternam damnationem; quia multa ſcienda ignoramus; aut ſciendi incuriâ, aut diſcendi deſidiâ, aut verecundiâ inquirendi; unà oſtenditur cur Deus illos in ſimiles ignorantias labi ſinat.

I. Iterùm petò cùm Davide: *Delicta quis intelligit?* Quis novit peccata omnia interna, & externa? Quis ſcit, an ipſa opera bona grata ſint Deo? an ſuum habeant pondus? & quod nos magis premit, & angit: *Occulta quis intelligit?* NN. num heri in ſtuporem dati eſtis, audientes

dientes prima Eccleſiæ Capita adeò ob occulta delicta turbari? Viros ſanctitate conſpicuos, continuò pulſare cœlum precibus; & interim nos, qui iniquitatem ut aquam bibimus, non moveri? Necdum ergò creditis, quòd conſcientia veſtra ſit
Apoc. 5. 1. Liber ille Apoc. 5. ſcriptus intùs & foris, ſignatus ſigillis ſeptem, quem nemo hic aperit, aperiendus tantùm in judicio? Iterum dico, poteſtis, quæ foris ſcripta ſunt, aliqualiter nôſſe (utinam noſceritis) ſed quæ intùs ſunt, *Quis intelligit?* Quis? Nec ego, nec tu, nec ullus mortalium. Intelliget tamen unuſquiſque noſtrûm in extremo judicii die, quando ſolventur ſignacula ejus, & ſcrutans corda, & renes Deus, manifeſtabit conſilia cordium, & Jeruſalem ſcrutabitur in lucernis; dum fiet denudatio omnium conſcientia-
Ezech. 16. 54. rum: tunc ſtabunt reprobi, *Ut portent ignominiam ſuam, & confundantur in omnibus, quæ fecerunt.* NN. cur, quæſo, non trahitis vos frequentiùs in tribunal conſcientiarum veſtrarum, ut intelligatis peccata veſtra occulta, quæ vel ob multitudinem, vel culpâ veſtrâ, vel aſtutiâ diaboli non cognoſcitis? Cur non petitis indies cum Davide, ab illis mundari? & non ab occultis tantùm, ſed etiam à peccatis ignorantiæ, quæ, licèt numquam cognoveritis, perdere tamen vos poſſunt in æternam damnationem? Abſit, ut de illis aliquid dixerim, niſi eâ priùs ſalutatâ, quæ illuminatrix eſt cordium; dicamus ergò: *Ave Maria.*

II. Non minùs pro peccatis ignorantiæ, quàm pro occultis angitur Propheta Regius, dùm Pſalmo 24. rogat Deum: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Pſalm. 24. 7.
Quaſi diceret inquit Ugo: *Peccata, quæ perpetravi ignoranter, non reſerves ad pœnam perpetuam.* Ugo Card.
Si ergò peccata ignorantiæ comprehendantur ſub occultis, & multæ ſint ignorantiæ, quæ nobis à Deo imputantur ad culpam, quàm juſtè nos indies Deum cum Davide orare oporteat: *Ab occultis meis munda me Ignorantias meas ne memineris:* hoc hodie venio oſtenſurus pro 1°. puncto. Cur autem Deus hominem in ſimiles ignorantias labi ſinat, ſerviet pro 2°. Ne in die judicii ullam allegetis ignorantiam, de illa dicturo, præbete benignas aures. Incipio.

III. Suntne ergò peccata, quæ numquam aliquis cognovit, ob quæ tamen poſſet damnari? quis dubitat. Audite compendium Epiſtolæ Melliflui Bernardi ad Ugonem à S. Victore: eſt Epiſtola ejus 77. Cap. 4.
„*Is forſitan, qui aſſerit non poſſe peccari* D. Bern.
„*per ignorantiam, numquam pro ſuis „ignorantiis deprecetur, ſed potiùs „Prophetam irrideat, dicentem: Ignorantias meas ne memineris.* Forſitan „& reprehendet Deum, exigentem „pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem. Loquitur in Levitico ad Levit. 4. 27.
„Moyſen, dicens: *Si peccaverit anima per ignorantiam feceritque unum „ex his, quæ lege Domini prohibentur, „& peccati rea, intellexerit iniquitatem „ſuam, offeret arietem immaculatum „Sacerdoti, juxta menſuram, æſtimationemque peccati.* Si ignorantia „numquam peccatum eſt, cur di- „ctum eſt in Epiſt. ad Heb. 9. Quòd „in ſecundo tabernaculo ſemel in „anno ſolus Pontifex intraret, non „ſine

Heb. 9. 7. „ ſine ſanguine, *quem offert pro ſua*, „ *& populi ignorantia?* Si peccatum „ ignorantiæ nullum eſt, non ergò „ peccavit Saulus, quòd perſecutus „ eſt Eccleſiam Dei, quoniam qui- „ dem ignorans hoc fecit, manens „ in incredulitate. Benè itaque quòd „ erat blaſphemus, & perſecutor, & „ contumelioſus; quòd erat ſpirans „ minarum, & cædis in Diſcipulos „ Domini: in hoc quippe abundan- „ ter æmulator exiſtens paternarum „ traditionum. Non ergò debuit „ dicere: Miſericordiam conſecutus „ ſum; ſed, Mercedem recepi: „ quippe quem ignorantia reddebat „ immunem, inſuper & æmulatio „ remunerabilem indicabat: ſi, in- „ quam, ignorantia .... fruſtrà in „ Cruce Salvator pro ſuis orabat „ crucifixoribus; quippe neſcienti- „ bus, ipſo teſte, quid facerent, & „ ita nequaquam peccantibus. Ne- „ que enim fas eſt ullatenùs ſuſpi- „ cari, mentitum fuiſſe Dominum „ Jeſum, apertè perhibentem eos „ ignorare quid facerent. Numquid „ ex his ſatis apparet, in quantis „ jaceat ignorantiæ tenebris, qui „ ignorat peccari poſſe interdum „ per ignorantiam?" Ita D. Bernardus. Si non peccetur per ignorantiam, quomodò Magnus, & incomparabilis Doctor Auguſtinus Cap. 33. Soliloq. toties ingemuiſſet:

S. Auguſt. *Væ, væ præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoſcebam te, Domine!* quandò te potui cognoſcere, & culpâ meâ te non cognovi.

IV. Dicite, quæſo NN. mei, quando Petrus Apoſtolus Actor. 3.

Act. 3. 17. improperabat Judæis: *Deus patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negâſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti: vos autem ſanctum, & juſtum negâſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interfeciſtis, cujus nos teſtes ſumus.* His dictis, ſubdit: *Nunc, Fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & patres veſtri;* excuſavitne his verbis illos Apoſtolus à peccato? non ſanè: audite, quid ſequatur: *Pœnitemini* ✠. 19. *igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Peto ulteriùs, an Gentiles & tyranni, qui Apoſtolos, & alios Martyrio affecerunt, & Eccleſiam Dei perſecuti ſunt, ſine peccato fuerint, & inculpabiles? Quis non dixerit illos damnatos? & tamen ipſemet Chriſtus Joannis 16. aſſerit: *Venit hora, ut omnis qui inter-* Ioan. 16. 2. *ficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*: neſciebant ſe peccare. Clariùs Act. 13. Prædicantibus Paulo, & Barnabâ, Judæi *Concitaverunt mu-* Act. 13. 50 *lieres religioſas, & honeſtas*; & tamen talem excitaverunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam, ut fuerint ejecti de finibus iſtis. Quid dicitis de mulieribus his? Peccaveruntne? non videtur; quia non ex malitia, ſed ex zelo proceſſerunt; erant enim devotæ: neque ex odio caſtitatis, quam prædicabat Paulus, quia erant honeſtæ: & tamen non minùs quàm Judæi damnatæ ſunt; imò damnatione majori, utpotè Sodomorum, & Gomorrhæorum: hoc ipſa teſtatur Scriptura, quia eodem Cap. ✠ 51 dicitur: *At illi excuſſo pulvere* ✠ 51. *pedum in eos, venerunt Iconium*: ſicut mandaverat illis Chriſtus Matt. 10. *Quicumque non receperit vos, neque au-* Matt. 10. 14 *dierit ſermones veſtros, exeuntes foràs de*

domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabiliùs erit terra Sodomorum, & Gomorrhaeorum in die judicii, quàm illi civitati. Quomodò hoc poſſibile, ſi ignoranter fecerint, & ex zelo? Ad majorem intelligentiam.

V. Secundùm Theologos, duplex datur ignorantia: vincibilis, ſeu culpabilis, & invincibilis, ſeu inculpabilis. Prima eſt, quæ præſtando id, quod præſtari poteſt, ac debet, ſuperari poteſt. Secunda verò econtrà, quæ præſtito eo, quod poteſt, & debet præſtari, ſuperari nequit. Priori ignorantiâ laborant, qui ſunt de numero illorum, de quibus Job
Job 34. 27. 34. *De induſtria receſſerunt à Deo*:
Epheſ. 4. 18. item Apoſtolus Epheſ. 4. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis eorum, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in avaritiam, &c.* Sunt ignorantes, ſed quales deſcribit Apoſtolorum Princeps 2. Petri 3.
2. Pet. 3. 5. *Latet eos hoc volentes.* Nolunt intelligere, ut benè agant: undè æternæ damnationi adjudicati. Quot hodie inter Chriſtianos, *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, per ignorantiam quæ eſt in illis!* Quot ſacrilegæ confeſſiones fiunt, ſub prætextu hujus affectatæ ignorantiæ! Quàm multa ignorant multi! Quot hodie, ſi interrogentur: Quot ſunt dii? Quot Perſonæ? Quis pro nobis homo factus? Quot ſint præcepta Decalogi? Quot præcepta Eccleſiæ? Quot Sacramenta? Quomodò inſtituenda Sacramentalis confeſſio? quot erunt, qui ad hæc reſpondere non poterunt, imò qui neſcient ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem neceſſitate medii, & præcepti? quot erunt, qui, ſi deberent recitare *Pater noſter*, vel *Credo*, non ſolùm errarent, ſed & ignorarent? imò eò deventum eſt hodie, ut, quod pueri ſciunt in Catechiſmo, ignorent viri barbati; ignorent illi, qui veniunt, ut Matrimonium contrahant: hoc peroptimè ſciunt Paſtores. Auderent ſimiles ignorantiam invincibilem allegare? Quotquot Concionatores hanc cathedram aſcenderunt inſurgerent in illos, & ipſæ columnæ Eccleſiæ deponerent, & teſtarentur contra illos. Sed undè in multis tanta ſciendorum ignorantia? dicam: provenit hoc 1.° ex parte hominis: 2.° ex parte diaboli: 3.° ex parte Dei.

VI. Quoad primum meliùs me dixerit Doctor Mellifluus Epiſt. 77. loquens de craſſa, & affectata ignorantia, dicit: *Multa ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuriâ, aut diſcendi deſidiâ, aut verecundiâ inquirendi.* Illa D. Bernard. ignorantia eſt indirectè voluntaria, in quantùm nolunt ſe applicare, aut ſuperare difficultatem, quæ eſt in acquirenda ſalutis ſcientia: vel in quantùm nolunt exuere affectum, quo feruntur erga mundana, & tranſitoria; quod eſt velle ignorare obligationes Chriſtianas. Similis ignorantia portat characterem reprobationis, juxta Dei verba Oſeæ 4. 6. *Tu ſcientiam repuliſti, repellam* Oſeæ 4. *te.* Talis eſt miſer ſtatus multorum Chriſtianorum, qui vix ſtudent, aut intendunt iis, ad quæ tenentur, ut ſalvi fiant. Quid illis prodeſt Divinæ ſapientiæ ſcholam frequentare, ſi lectiones audire, & doctrinam intelligere dedignentur? Quot Chriſtia-

nis dici poſſet, quod S. Paulinus improperavit cuidam politico, negotii ſalutis ſuæ valde ignaro: S. Paulinus. *Floribus Poëtarum ſpiras: fontibus Oratorum inundas*: uno verbo: *Vacat tibi, ut ſis Philoſophus, non vacat tibi, ut ſis Chriſtianus*. Multi ergò inter nos laborant ignorantiâ craſſâ, quia negligunt ſtudium principiorum fidei, & non attendunt ad Doctrinam Iob 24. 13. Evangelicam; multi *Rebelles lumini*, dicentes Deo, ſi non verbo, ſaltem Iob 21. 14. opere: *Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus*: ſicque conjiciunt ſe volentes in illam ignoran- Pſal. 35. 4. tiam, quia nolunt intelligere, ut benè agant; ſimiles Pilato qui Ioan. 18. 38. Chriſtum interrogans: *Quid eſt veritas*? reſponſum daturo dorſum vertebat. Multi ergò *Multa ſcienda neſciunt, ſciendi incuriâ.* Hic ab infantia non didicit myſteria fidei, & modò factus grandior, erubeſcit addiſcere barbatus. Ille dubitat, num fortè inter bona à patre relicta, ſint aliqua malè acquiſita; & interim deſinit inquirere, an ſit poſſeſſor bonæ fidei nec-ne. Alius, habito conſilio à Confeſſario minùs habente, etiam reclamitante conſcientiâ, negligit inſigniorem Theologum conſulere; ſicque manet in ſuo errore. Omnes iſti, ipſiſque ſimiles, in Dei judicio non excuſabuntur: econtrà, verificabitur in illis ſententia Apoſtolica 1. Cor. 1. Cor. 14. 38. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*: ſi quis negligit ſcire obligationes ſuas, negligetur: non ſolùm non agnoſcetur à Chriſto, ut fidelis ejus, ſed ignorabitur, tamquàm rebellis ejus. Attendite, an fundatè loquar.

VII. Matth. 12. Scribæ & Phariſæi veniunt ad Chriſtum, dicentes: Matt. 12. *Magiſter, volumus à te ſignum videre*. Quid illud genus hominum ſibi perſuadet? tamquàm diſcipuli, Magiſtrum eum appellant; & quaſi ex ore ejus numquam vel verbum audiiſſent, numquam ſignum vidiſſent ullum, volunt ab eo ſignum videre. Numquid eum ad populum dicentem audierant non ſemel? Numquid miracula ejus viderant? Numquid, ut crederent in eum, ſigna habuerant innumera? Quis dubitat. Quomodò ergò ab eo ſignum videre volunt? Ut quatuor Evangeliſtæ teſtantur, toto Evangelicæ prædicationis ſuæ triennio, docuerat eos in Synagogis eorum, & in Templo: *Erat docens quotidie in templo*. Luc. 19. Et quid Lucæ 19. 47. docebat? Dei, & cœleſtium myſteriorum notitiam: ipſo fatente Joannis 17. 4. *Pater, ego te clarificavi;* Ioan. 17. *manifeſtavi nomen tuum hominibus*. *His*, inquit Auguſtinus, *cognitum te faciens per prædicationem, & doctri-* S. Auguſtinus. *nam Evangelii*: undè non eſt, quòd prætexent ignorantiam; aut, ut credere poſſint, ſigna petant. Ne putetis NN. Chriſtum tunc ſolummodò docuiſſe in templo: adhuc quotidie docet, tum in templo materiali, tum in ſpirituali, etiam veſtro: *Ego Dominus Deus tuus docens* Iſaiæ 48. 17. *te utilia*. Iſaiæ 48. Quando te docet in cathedra, tunc dat lectiones publicas: quando in corde tuo, templo ſcilicet ſpirituali, tunc tamquàm particularis (ut fieri ſolet inter Magnates) dat lectiones privatas: ibi ſingulariter attendit ad te, dirigit te, & inſtruit te. Et non confunderis ad tales lectiones aures

occludere? Dum tanto te dignatur honore? ſignanter *Docens te*, non curioſa, ſubtilia, ſublimia, ſed *Utilia*, ſed legem ſuam, altiſſima fidei myſteria, divina, cœleſtia, lectiones ad tui abnegationem, mortificationem, & pœnitentiam ordinatas, non pudet te, non attendere? docet te, non tantùm verbo, ſed & opere: omnes Magiſtri totius univerſi docere quidem te poſſunt, ſed intellectum tibi dare non poſſunt: Divinus hic Magiſter de ſe
Pſal. 31. 8. dicit Pſal. 31. 8. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te*: alii inſtruunt, ſed non dant intellectum; hic non ſolùm inſtruit, ſed dat intellectum, & inſuper juſtificat: & tu ſcholam ejus frequentare, lectiones ejus tam publicas, quàm privatas audire recuſas, manens in affectata ignorantia; cùm tamen factus ſit homo, ut eſſet Magiſter tuus, & ut doceret te. Lege Compendium Paulinæ.

Heb. 1. 1. VIII. Hebræor. 1. 1. *Multifariàm, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*: docebat olim per alios, modò per ſe. In veteri teſtamento non licitum ſolùm, ſed & laudabile erat, inſtrui velle à Deo, quid eſſet faciendum:
Gen 15. 8. Gen. 15. *Domine Deus, undè ſcire poſſum?* in tantùm, ut reprehenſione digni eſſent non interrogantes De-
Joſue 9. 14. um: *Os Domini non interrogaverunt.* Joſue 9. Ibant ad Prophetas 1. Reg.
1. Reg. 9. 9. 9. *Venite, & eamus ad Videntem*: ſic ut de illis dixerit Paulus, quòd in viſionibus, apparitionibus *Judæi ſig-*
1 Cor. 1. 22. *na petunt*. 1. Cor. 1. Sed modò,
Rom. 9. *Verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram*. Rom. 9. *Noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*. Hebr. Heb. 1. 2.
1. 2. Et tamen Verbum Patris Incarnatum, pandens nobis tanta myſteria, non dignamur audire, ipſo etiam Patre cœleſti de cœlo clamante: *Hic eſt Filius meus dile-* Matt. 17. 5.
ctus, ipſum audite. Sed quid dicam? Teſte Apoſtolo 1. Cor. 2. *Anima-* 1. Cor. 2. 14.
lis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei: & quare non percipit? *Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere*. Cui ſanum palatum eſt, ſi numquam ſaccharum guſtârit, quàm dulce ſit ſaccharum ignorat: at ſi neſciat, poteſt ſcire, modò labia admoveat; ſed cui palatum infectum eſt, nec ſcit, nec ſcire poteſt. Idipſum homini animali contingit: *Stultitia eſt illi*: habet enim intellectum, qui palatum eſt animæ corruptum: non ſapiunt illi, niſi carnalia, ſenſualia: *Non poteſt intelligere*: ſunt ſupra captum ejus; ſecundùm Eccleſiaſticum 3. *Plurima ſupra ſenſum hominum, oſtenſa ſunt tibi*: Eccli. 3. 25.
ideò de ignorantibus, & ſtupidis Hebræis dicebat Moyſes Deut. 32.
Utinam ſaperent, & intelligerent, ac Deut. 32. 29.
noviſſima providerent! undè, quamquàm ſint ſub tanto Magiſtro, non percipiunt. imò nec percipere poſſunt, quæ ſunt ſpiritûs: & quare non poſſunt? Quia nolunt; malunt manere in ſua affectata ignorantia, quàm aures præbere tanto Magiſtro, qui venit *Ad dandam* Lucæ 1. 77.
ſcientiam ſalutis; tenebras malunt, quàm lucem.

IX. De Verbo Incarnato loquitur Joannes Cap. 3. *Lux venit in mundum,*
& dilexerunt homines magis tenebras, Ioan. 3. 19.
quàm lucem. Quòd tenebræ, de quibus

bus loquitur Chriſtus, non ſint peccata voluntatis, ſed errores intellectûs, certum eſt; quia in S. Scriptura illa non vocantur *Tenebræ*, ſed *Opera tenebrarum* Rom. 13. 12. tenebræ, ſunt errores intellectûs:
Rom. 13. 12. *Qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum* 1. Petri 2. 9. hoc eſt, vocavit de ignorantia ad veritatem. Et tamen, proh dolor!
1. Petri 2. 9. *Dilexerunt magis tenebras, quàm*
Job 24. 17. *lucem*: præferunt luci tenebras: *In tenebris, quaſi in luce ambulant* Job 24. 17. & ſic lucem reſpuentes, incidunt in opera tenebrarum. Pandam illorum agendi modum, cum divino illo Magiſtro. Diſtinguo cum R. P. Paulo Segneri Societatis Jeſu, Concionatorum facilè Principe, diſtinguo, inquam, omnes homines in tres claſſes: & exemplifico in receptione luminis ſolaris in domum. Alii aperiunt feneſtram totam; alii totam claudunt; alii partim aperiunt, partim claudunt; de iis, qui totam Soli aperiunt, lo-
Pſalm. 75. 5. quitur Pſalm. 75. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*:
Iſaiæ 60. 3. quanta illorum felicitas! *Ambulabunt Gentes in lumine tuo* Iſaiæ 60. 3. Ad hoc lumen ſemper anhelant,
Pſal. 17. 29. ſemper inquirunt cum Pſalm. *Deus meus, illumina tenebras meas* Pſal. 17. 29. Hi cum Daniele Cap. 6.
Daniel. 6. 10. *Apertis feneſtris* orant Deum: *Et orietur* illis *timentibus nomen Do-*
Malach. 4. 2. *mini, Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus* Malach. 4. 2. Alii feneſtram ex toto claudunt: *Nolunt in-*
Pſalm. 35. 4. *telligere, ut benè agant*; quinimò
Job 21. 14. audent dicere: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus* Job
Pſalm. 106. 21. 14. *Sedentes in tenebris, & umbra mortis* Pſalm. 106. *Rebelles lumini*. Qui feneſtram partim apertam, partim clauſam tenent, ſunt illi (indubiè & tu ex illis) qui volunt quidem à Deo aliquid luminis, ſed non nimis multum: de his loqui videtur Apoſtolus: *Dilexerunt magis tenebras, quàm lucem*; non dixit: *Dilexerunt tenebras*, ſed *magis tenebras, quàm lucem*: nolunt nimis multum luminis, ne in defectibus ſuis nimium ſentiant conſcientiæ ſuæ remorſum; ſicque Deum à ſe repellunt, qui lux eſt, propellens ignorantiam, mentis tenebras: *Ego lux in mundum veni,* Joan. 12. 16.
ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat Joan. 12. 16. Qui hanc ignorantiam dilexerint, erunt inexcuſabiles, quia ignorantia voluntaria non diminuit; ſed auget peccatum: & hæc eſt ratio, cur Deus adeò reprehendat illos, qui *Dilexerunt magis tenebras, quàm lucem*; quia *Dilexerunt*, id eſt, voluerunt manere in ſua affectata ignorantia, obſcuratum habentes intellectum. De illis loquitur Propheta Regius.

X. Pſalm. 81. 5. *Neſcierunt*, Pſalm. 81. 5.
neque intellexerunt; in tenebris ambulant: & quid ſequitur ex illa ignorantia? *Movebuntur omnia fundamenta terræ*. Per fundamenta terræ, intelliguntur mandata Domini, quæ quaſi neceſſariò tranſgrediuntur hi, qui his ignorantiæ tenebris ſunt involuti; hi, quos nec honor, nec obligatio debita, nec merces, nec ratio, nec timor à legis divinæ tranſgreſſione refrænant: *Movebuntur omnia fundamenta terræ*; quia noluerunt legem illam cognoſ-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

cere: *Neſcierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant.* Hæ tenebræ ſunt, quæ non ſinunt diſtinguere juſtitiam ab iniquitate, cœleſtia à terrenis, æterna à temporalibus, veritatem à mendacio: & ideò *Neſcierunt* æternitatem: *Neſcierunt* pœnas inferni: *Neſcierunt* cœlum: *Neſcierunt* omnia, quia *Neſcierunt* Deum, *Neſcierunt* mandata ejus, *Neſcierunt* cœleſtia. Vultis intelligere NN. ly *Neſcierunt*? Apoſtolum audite, Athenis prædicantem.

XI. Act.17.30. Apoſtolus, ut herì vidimus, in medio Areopagi viros Athenienſes increpans, ob aram inſcriptam *Ignoto Deo*, eiſque verum Deum prædicans, necnon mortuorum reſurrectionem,
Act.17.30. poſt varia ait illis: *Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut ubique agant pœnitentiam.* Quid ais, Paule? *Tempora hujus ignorantiæ*? Tempora, quibus florebant Athenæ, tamquàm omnium ſcientiarum emporium, & omnium univerſitatum fœcunda mater, *Tempora* vocas *ignorantiæ*? ſic eſt: tempora, quibus nec Deus cognoſcitur, nec ea, quæ Dei ſunt, & ſalutis, tempora ſunt ignorantiæ; & ideò Eccleſiæ tuba tali ea inſignit nomine, & ut talia declamat à Deo deſpecta. Quod Paulus Athenienſibus, hoc ego vobis dico, NN. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus.* Quidni tempora noſtra, tempora ignorantiæ dixero, & tempora tenebroſa, in quibus Ver-
Lucæ 1.77. bum Patris deſcendit de cœlo, *Ad dandam ſcientiam ſalutis*? in quibus tot nobis Magiſtri, tot Confeſſarii, tot Concionatores, tot Doctores, manibus & pedibus inſtruentes nos, & inculcantes ea, quæ ſalutis ſunt; & in tanto lumine ignorare ea, quæ bonus Chriſtianus poteſt, & debet ſcire; quis talem ignorantiam dicere poſſet invincibilem, & non potiùs craſſam, ſupinam, & conſequenter inexcuſabilem, & damnantem nos? juxta illud Doctoris Angelici 3.P. Cap. 47. Art.3. ad 5. *Ignorantia affecta-* D. Thomas.
ta non excuſat à culpa, ſed magis videtur culpam aggravare: oſtendit enim ſic vehementer eſſe affectum ad peccandum, quòd vult ignorantiam incurrere, ne peccet. Explico me.

XII. Gen.4. Primum homicidium commiſſum ſuper terram, ut ſcitis, fuit Caini, in perſonam Abelis innocentis fratris ſui: ſecundum, Lamechi, in perſonam ipſius Caini. Primum commiſſum eſt ex pura malitia; aliud, ex defectu diligentiæ adhibitæ. Nam, teſte D. Hieronymo, quem ſequuntur S. Hieronymus
Rabanus, Lyranus, Toſtatus, Rabanus. Lyranus. Toſtatus.
Cajetanus, Lippomannus, Pererius, Delrio, occidit Lamech Cain Cajetanus. Lippomannus. Pererius. Delrio.
tritavum ſuum hoc modo: venationi deditus ab adoleſcentia, accreſcentibus annis factus eſt cæcus; nequiens avelli à ſolita ſua recreatione, ibat Lamech venatum in ſylvam (in quam Cain conceſſerat, vel ambulandi, vel captandi frigoris causâ) ductus ab adoleſcentulo: qui advertens ſtrepitum, & motum foliorum, quem faciebat Cain, indicavit Lamecho ibi latere feram. Lamech jaculatus, occidit non feram, ſed Cain: fuit ergò illud homicidium

micidium involuntarium in ſe, voluntarium autem in ſua cauſa: ideòque ut tale magìs punitum, quàm homicidium Cain:
Gen.4.27. *Septuplum de Cain dabitur ultio: de Lamech ſeptuagies ſepties.* Et ratio eſt, quia, cùm Lamech eſſet cæcus, non debebat ultrà venari; aut ſaltem in caſu venandi, non debebat fidere directioni adoleſcentuli ignorantis, ubi agitur de periculo homicidii. Audiant hæc, qui *Diſcendi deſidiâ* ignorant ea, quæ ſine periculo animæ ignorare non poſſunt: in ſinu Eccleſiæ ſunt, fideles dicuntur, & tamen dicere coguntur,
Iſaiæ 59.10. quod Iſaiæ 59. 10. *Impegimus meridie quaſi in tenebris.* Nec mirum, quia ſcire nolunt, quæ ſcire poſſunt; non ambulantes ut filii lucis, nolunt audire prædicantem, affectatâ ſuâ ignorantiâ tentantes Deum. De his M. P. Auguſtinus Cap. 1. de Doctrina Chriſtiana:
S.Auguſtinus. *Non tentemus Deum, ut nolimus hominem prædicantem audire. Declaratio ſermonum tuorum illuminat*, inquit Pſalmiſta Pſalm. 118. 130. Quod illuminat ad operandum, non eſt propriè donum fidei in-
Pſalm.118. fuſæ in Baptiſmo, ſed *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*: declaratio tanti doni, & omnium, quæ lex divina præcipit. Non ſufficit ſcire Symbolum fidei, non ſufficit ſcire mandata Dei, declaratio eorum audienda eſt; hinc multi *Diſcendi deſidiâ*, manent in ſuis tenebris, non cognoſcentes Deum, niſi ad offendendum; non cognoſcentes Chriſtum, niſi ad blaſphemandum, neque peccatum, niſi ad perpetrandum; ignorantes ea, quæ ad animæ ſuæ ſalutem ſpectant, etiam media ad illam conſequendam, & quidem volentes. Qui vult altè dormire, feneſtras claudit, ne lux oculos percutiens, dormientem excitet. Ita & illi, volentes quietè dormire ſomnum perverſæ vitæ ſuæ, fugiunt omne lumen, ne excitentur. Quis illos dixerit oves ovilis Chriſti, ſi vocem ejus audire nolint? ideò nolunt audire prædicantem, quia nolunt audire Deum: *Nolunt audire te*, inquit Deus Pro- Ezech.3 7.
phetæ, *quia nolunt audire me*: filii quidem Dei dici volunt, ſed *Filii* Iſaiæ 30.69.
ſunt, *nolentes audire legem Domini.* Quid mirum ergò, ſi videamur incidiſſe in illa tempora, de quibus Act. 17. *Tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus?* quia qualecumque illis lumen proponitur, nolunt videre. Vultis probam?

XIII. Joannis 18. 3. Cùm Judas accepiſſet cohortem, & miniſtros, ut caperent Jeſum, *Venit il-* Joan.18.3.
luc cum laternis, & facibus, & armis: quos ut vidit Jeſus, interrogat: *Quem quæritis?* reſponderunt ei: *Jeſum Nazarenum*: at ille: *Ego ſum.* Miratur S. Ambroſius in Pſalmum 43. quòd milites, qui venerant ut caperent eum, illum non cognoverint, cùm tamen dixiſſet: *Ego ſum.* Dicet aliquis, quòd ideò non noverint, quia nox erat: ſed numquid laternas habebant? ita, inquit Ambroſius, ſed clauſas tenebant, abſcondentes lumen: *Clau-* S. Ambroſius.
ſum ſibi habebant ſub legis umbra lumen Chriſti, & non videbant eum, in quem per umbram crediderant; ideò non cognoſcebant, licèt diceret: *Ego ſum.* Sed replicat D. Leo

Papa

Papa Serm. de Paſſione: *Venerunt* S. Leo Papa. *non ſolùm cum laternis, ſed & cum facibus.* Sibi replicanti reſpondet: Faces, & faculæ tantum emittunt fumum, ut lucem impediant, nec tenebras tollant. Sic fumus ſuperbiæ, & odii Judæorum, tollebat eis lucem veritatis: *Non evaneſcunt ſuæ caliginis noctem, quia non cognoverunt lucis auctorem.* Idipſum innuit Eccleſia Sabbato ſancto, dum Sacerdos elevans lumen, & altâ voce dicens: *Lumen Chriſti*; omnes reverenter procumbunt in terram, adorantes Deum: ad inſinuandum, quòd ad adventum Meſſiæ Gentibus reveletur lumen Chriſti, quod Hebræis intra legis umbram erat abſconditum. Infelices Hebræi, qui in luce palpabant tenebras, & in meridie ambulabant in obſcuris, Job 5. 14. quaſi nox foret; ut prædixerat Job 5. 14. *Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie.* Similes cæci ſine fine ambulant inter nos: per diem incurrunt tenebras, & quaſi in nocte, palpant in meridie, non cognoſcentes lucis Auctorem, affectatâ ſuâ ignorantiâ obfuſcati. Hìc audiendus S. Auguſtinus Tom. 9. de Temp. S. Auguſtinus. Barb. Tract. 5. *Advenit tempus illud, quod prædixit Dominus: Putas, cùm venerit Filius hominis, fidem inveniet in terra? Quis habet fidem? Quis credit verbis divinis? Prædicamus, & non facitis: auditis, & facere non curatis:* volentes manent in tenebris, teſtante Pſalm. 81. 5. Pſalmiſtâ: *Neſcierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant*: hoc eſt, inquit S. Bernardinus Tom. 2. Serm. in 1. Dominicam Quadr. Art. 3. Cap. 2. *Neſcierunt, ſcilicet* S. Bernardinus. *bene facere: & non intellexerunt, ſcilicet mala quæ faciebant: in tenebris ambulant, ſcilicet non diſcernendo bonum à malo: unde ex ignorantia, miſerabiles in populo multiplicantur errores.* Lumen, quod ipſis accenditur, flatu extinguunt, utpote *Rebelles luminis*: ſicque *Scienda neſciunt ſciendi incuriâ, diſcendi deſidiâ, & verecundiâ inquirendi.* Quomodò ſurget contra ſimiles Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum à Gazis?

XIV. Act. 8. 28. Philippus Act. 8. 28. mittitur ab Angelo ad Eunuchum Jeroſolymâ revertentem, quò venerat adorare: quem ut invenit ſedentem in curru, legentemque Iſaiam Prophetam interrogat, num intelligeret quæ legebat; qui reſpondens quomodò intelligere poſſet, ſi non aliquis oſtenderet illi, rogat Philippum, ut aſcenderet & ſederet ſecum: erat Eunuchus in curru, multo famulorum apparatu; Philippus ſolus, humili veſtitu, pedeſque incedens; ab ipſo tamen poſtulat Eunuchus illuminari, ac doceri. Quàm aurea hîc effundit verba Os Aureum Hom. 35. in Gen. *Non ægrè tulit Eunuchus, nec in-* S. Chryſoſtomus. *dignatus eſt, neque ſe contumeliâ affici exiſtimavit; quod plerìſque inſulſis accidit, quos pudet ignorantiam ſuam confiteri, & ab eis diſcere, qui docere valeant; & frequenter malunt in perpetua verſari ignorantia.* Sic eſt NN. & utinam multi ex nobis non forent tales, qui neſcio quo ſpiritu inflati, doceri renuunt, & diſcere erubeſcunt; quos obinde, permittente Deo, diabolus

lus detinet in ſua affectata ignorantia, quæ illis ad mortem eſt. Optarem, ut omnes illi legerent Epiſtolam, ab Apoſtolo inſcriptam Corinthiis, & benè illam perpenderent, ſibique magìs conſulerent.

XV. 2. Cor. 4. Paulus illis ob oculos ponit ſinceram ſuam divini
2. Cor 4. verbi prædicationem: *Habentes*, inquit, *adminiſtrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris; non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis*: & poſt pauca ſubjungit: *Quòd ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, opertum eſt*: & quare? quia diabolus excæcat intellectum eorum? *In quibus deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non affulgeat illis illuminatio Evangelii*: deus hujus ſeculi diabolus dicitur, non creatione, ſed uſurpatione; non authoritate legitimâ, ſed impiorum deſidiâ, quâ ſe dedunt illi, & ejus factionis fiunt: ad hoc laborat ille, ut faſcinatione nugacitatis obſcuret illos;
Tertullianus. &, ut verbis utar Tertulliani: *Species illius mundi temporalis aulæi vice appenſa ſunt*. Quaſi velum oppangitante æternitatem, ne videant futura, & ne affulgeat eis illuminatio Evangelii: ſicque in illos *Exercet regnum fallaciæ*, ut loquitur quidam Eccleſiæ Pater, & in affectata detinet ignorantia. Sed quid infortunium ſimilium ignorantium à diabolo deſumo? ipſe Deus juſtitiâ ſuâ in ignorantiam iſtam labi eos, & ſæpè in illa perire permittit: Non creditis?

XVI. 3. Reg. 22. 7. Achab, & Joſaphat, Reges, reſolvunt paribus viribus obſidere Ramoth, civitatem Galaad: Joſaphat, Princeps pius, & timoratus, noluit inconſulto Domino caſtra movere: undè Achab, vir impius, congregat quadringentos circiter viros, falſos prophetas, qui, ut placeant Regi, prædicunt certam victoriam: Joſaphat, cognitâ nequitiâ illorum, inquirit: *Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum?* cui Achab: *Eſt hic vir unus, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.* Hic à Joſaphat vocatus, & aulam ingreſſus, ironicè dicebat Achab Regi Iſraël: *Aſcende, & vade proſperè, & tradet Dominus civitatem in manus Regis.* Videns Rex, quòd Propheta irriſoriè loqueretur, iterùm atque iterùm adjurabat eum, ut in nomine Domini non diceret, niſi quod verum erat. Tunc Michæas ſeriò loquens, prædicit ei, quòd occideretur, & exercitus in fugam daretur. Quibus auditis, converſus Achab ad Joſaphat, ait: Numquid dixi tibi, quòd inſignis iſte Propheta non propheraret niſi malum? Tunc Propheta aſſumens verbum, audaciùs Regem alloquitur: Audi viſiònem, quam habui: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dexteris, & à ſiniſtris; & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſraël, ut aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum:*

3. Reg 22 7. Verſ. 19

illum: cui locutus eſt Dominus: In quo? & ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis; egredere, & fac ita. Eventus probavit, quod prædixerat Michæas. Cur permiſit Deus, ut infelix ille ita ſeduceretur? quia ſeduci voluit; delectabatur prophetarum ſuorum blanditiis, qui lactabant eum falſis promiſſis, malè tractans Prophetam Dei, qui vera ei prædicebat. Quid ad hoc illi, qui blandientes, & ignorantes, aut ſaltem laxiores quærunt animarum ſuarum directores, qui illos in ignorantia detinent, fugientes, imò odientes eos, qui ſaluti eorum conſulunt? permittit Deus, ut in ſimiles cadant manus, & decipiantur, quia decipi voluerunt; permittit, ut ipſe diabolus ſit ſpiritus mendax in ore prophetarum. Quàm hîc appoſitè ad rem D. Gregorius Part. 1. Paſt. Cap. 1.
S. Gregorius. *Paſtorum ſæpè imperitia meritis congruit ſubditorum; qui, quamvis lumen ſcientiæ, ſuâ culpâ exigente, non habeant, diſtricto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam, qui ſequuntur, oſtendant.* Sic cæcus cœco ducatum præſtat, & ambo in foveam cadunt.

XVII. Lucæ 23. 34. Expiraturus Jeſus, elevatis oculis ad Patrem, pro ſuis orat crucifixoribus: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt*
Lucæ 23. 34. *quid faciunt.* Super his verbis M. P. Auguſtinus movet dubium non parvum, Qu. 67. Novi ac Vet. Teſt.
S. Auguſtinus. *Quid eſt, quod in Cruce poſitus Salvator, ait: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt?* Si non ſciverint, quid fecerint, non peccaverunt: & ſi non peccaverint, quid neceſſe erat orare Patrem, ut ignoſceret illis? *Num Gentem ignorantem & juſtam interficies?* inquit Gen. 20. 4.
Abimelech Deo. Reſpondet S. Doctor ad dubium à ſe propoſitum: *Iſtis ignoſci petit, qui, habentes à quo diſcerent, operam non dederunt.* S. Auguſtinus.
Chriſtus, inquit, non orabat oratione iſtâ abſolutè pro omnibus perſecutoribus ſuis, ſed *Pro rudioribus*; pro turba ſcilicet ignorante, quæ licèt ex toto non excuſaretur à peccato, minuebatur tamen delictum, quia ignorantia illorum non erat adeò voluntaria, quàm ignorantia Scribarum, & Phariſæorum, & aliorum Primorum: & quòd reverâ Chriſtus non oraverit pro iſtis, ſed pro turba tantùm, evidenter patet ab effectibus; quia ne vel unum ex Scribis, & Phariſæis legimus pœnituiſſe, ubi tamen de turba loquitur Lucas Evang. *Omnis* Lucæ 23. 48.
turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Et hi ſunt effectus orationis à Chriſto factæ: quòd autem non oraverit pro Scribis, & aliis Primoribus, ratio eſt, quia laborabant ignorantiâ craſſâ, ſupinâ, & malitioſâ; adeòque Divinâ illos miſericordiâ indignos cenſebat; erant enim de numero illorum, de quibus Job 34. 27. *De induſtria receſ-* Job 34. 27.
ſerunt à Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Ignorantes, ignorantes, qui vias Domini intelligere non vultis, qui de induſtria à Deo receditis, dum adhuc tempus eſt, audite non me, ſed Deum,

per

per Prophetam vos alloquentem.

XVIII. Jeremiæ 6. 8. *Erudire Jeruſalem, ne fortè recedat anima mea à te.* Ne ſitis de numero eorum, de quibus ego Prophetæ meo Cap. 32. 33. *Verterunt ad me terga, & non facies, cùm docerem eos diluculò, & erudirem, & nollent audire, ut acciperent diſciplinam. Ne* alioqui *fortè recedat anima mea à te.* Fateor, dicit: *Ne fortè*; ſed ſi contingat, quid tunc erit de te, mi Homo? Omne periculum, etiam minimum, ſummum tibi tremorem incutere deberet, quia de animæ tuæ ſalute agitur. Scire cupis, quid intendat Deus, dum dicit: *Ne fortè recedat anima mea à te?* Ne ſubtraham tibi ſingularem protectionem meam; non quidem gratiam illam ſufficientem, ad ſalutem neceſſariam, ſed efficacem, nullâ tibi lege debitam: aſſiſtentiam illam ſpecialem, auxilia extraordinaria, quibus ſublatis ruit anima de tenebris in tenebras, de ignorantia in ignorantiam, conſequenter in reprobum ſenſum; non ſecùs ac illi, de quibus Epheſ.4. Apoſtolus: *Tenebris obſcuratum habentes intellectum per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis eorum, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in avaritiam:* quia permiſerunt ſe excæcari per affectatam ignorantiam, ideò tradidit illos Deus in deſideria cordis. Erudire ergò, ne fortè anima ejus recedat à te; ne, obſcuratum habens intellectum per ignorantiam, quæ eſt in te, tradaris à Deo in deſideria cordis tui. Lege Paulinam, quam de Gentibus ſcribit; ſed lege attentè, quia certus ſum, quòd abſque tremore non leges, ſi adhuc tibi animi ſenſus eſt. Rom. 1. 21. 22. 23. *Qui cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt;* ſed *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Scientes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt; & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.... Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt:* ſicque obſcuratum eſt cor eorum per ignorantiam, & traditi ſunt tyrannidi concupiſcentiarum ſuarum, & quidem juſtè.

Jerem.6. 8. Cap.32. 33. Epheſ.4. 18. Rom.1.21.22.23. Verſ.24. 25. ℣.26. 27. 28. 29.

XIX. Deut. 28. 28. Prædicens Moyſes maledictiones, quas immiſſurus erat Deus in tranſgredientes legem ſuam divinam, inter cæteras hanc enunciat: *Percutiet te Dominus amentiâ, & cæcitate, & furore mentis, ut palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris.* Percutit illos Deus cæcitate; primò, negativè, gratias ſubtrahendo: ſecundò, occaſionaliter, relinquendo in occaſionibus contrahendæ cæcitatis: tertiò, permiſſivè, modo quo ſuprà: ſicque profundo, & incomprehenſibili, juſto tamen judicio, permittit eos tam funeſtum ſubire caſum; quem conſiderans M. P. Auguſtinus Lib. 1. Confeſſ. Cap. 10.

Deut. 28. 28.

S. Auguſtinus. exclamat : *Quàm tu ſecretus es , habitans in excelſis , in ſilentio , Deus ſolus , magnus , lege infatigabili ſpargens pœnales cæcitates ſuper illicitis cupiditatibus!* Quàm juſto judicio hoc Deus faciat , teſtatur ipſe Salvator.

XX. Joan. 17. 25. Orans Patrem pro iis , qui credituri erant in eum , ut ſerventur à malo, & ut omnes ſint unum , tandem loquens de iis, qui credere noluerunt, di-
Joan. 17. 25. cit Patri : *Pater juſte , mundus te non cognovit.* Non dicit ſimpliciter : *Pater*, aut : *Pater ſancte*, uti ſuprà de juſtis loquens ; ſed : *Pater juſte*, noluerunt te cognoſcere, neque me ; & ideò juſto judicio me illis ſubtrahis , & in incredulitate , & ignorantia eos relinquis , quæ non tibi , ſed ipſis eſt imputanda , & juſtè : quia , ut Augu-
S. Auguſtinus. ſtè Auguſtinus : *Niſi tu feceris caſum , Deus non facit occaſum.* Quàm infelix ſit ille occaſus , paucis verbis exprimit D. Cyprianus
S. Cyprianus. Lib. 1. Epiſt. 3. *Ira Dei eſt , non intelligere delicta , ne ſequatur pœnitentia.* Quot occidit divinus ille Sol , qui modò culpâ ſuâ in tenebris ſedent, peccatis , & delictis pleni ? Quot occidit , qui modò delicta ſua non intelligunt , id eſt , non *Intùs legunt* , defectu à ſe extincti luminis , & occaſione ablati à Deo candelabri ? Utinam ! utinam ! dum adhuc tempus eſt , unuſquiſque noſtrûm ingemiſcens , & ingeminans , cum Davide dicat: *Ab occultis meis munda me.* Et alibi : *Delicta juventutis meæ , & ignorantias meas ne memineris.* Aut ſaltem cum eodem Pſalm. 17. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam , Domine ; Deus meus , il-* Pſalm. 17. 29.
lumina tenebras meas , ut non ſolùm delicta juventutis meæ intelligam , ſed ut omnes totius vitæ ignorantias cognoſcam , & divino tuo illuſtratus lumine, cum Auguſtino dicere valeam Cap. 33. Soliloq. *Converſus ſum , & vidi tenebras ,* S. Auguſtinus.
in quibus fueram , & abyſſum tenebroſam , in qua jacueram , & contremui , & expavi , & dixi : Væ , væ tenebris meis , in quibus jacui ! Væ , væ cæcitati illi , in qua videre non poteram lumen cœli ! Væ , væ præteritæ ignorantiæ meæ , quando non cognoſcebam te , Domine ! ut ſancto illo timore perculſus , verus efficiar pœnitens ; & poſt condignam peccatis pœnitentiam , clarâ perfrui merear viſione Patris , & Filii , & Spiritûs ſancti, Amen.

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

De Peccatis Alienis in genere.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Non ſolùm peccata occulta, & ignorantiæ nos angere, ſed maximè *Aliena* conturbare debent animas noſtras. *Aliena* ſunt quæ licèt ab aliis fiant, nobis tamen imputantur, noſque coram Deo, reos æternæ damnationis conſtituunt: ſunt autem novem: *Conſilium, Juſſio, Conſenſus, Irritatio, Laudatio,* ſeu *Adulatio, Reticentia culpæ alienæ, Conniventia, Participatio rei alienæ, prava Defenſio*: qui in his partem habent coadjutores ſunt diaboli. Agitur hîc de Alienis in genere.

I. SIc eſt NN. dantur ignorantiæ, ob quas aliquis damnari poteſt; ſi enim non darentur, quomodò ingemiſcens oràſſet Deum Propheta Regius: *Delicta juventutis meæ,*
Pſal. 24. 7. *& ignorantias meas ne memineris?* Si ignorantia numquam peccatum eſt, quomodò Petrus Apoſtolus, improperans Judæis, quòd Auctorem vitæ interfeciſſent per ignorantiam, dixiſſet illis: *Pœnitemini, & converti-*
Act. 3. 19. *mini, ut deleantur peccata veſtra?* Si non peccetur per ignorantiam, quomodò Magnus, & incomparabilis Auguſtinus, ſuperfuſus lacrymis toties clamâſſet: *Væ, væ præterita*
S. Auguſt. *ignorantiæ meæ, quando non cognoſcebam te, Domine!* Solùm vos memores volo Epiſtolæ Bernardi, mellifluo conſcriptæ calamo, vobis herì prælectæ; teſtabitur illa, quòd peccetur per ignorantiam, quæ dicitur vincibilis, quâ laborant illi, quos multa latent volentes: & de qua idem, Epiſt. 77. ad Hug. à S. Vict. *Mul-*
S. Bernardus *ta ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuriâ, aut diſcendi deſidiâ, aut verecundiâ inquirendi.* Ob illas ergò ignorantias timore plenus dicebat David: *Ignorantias meas ne memineris, Domine.* NN. ſi illuminati forent oculi cordis veſtri, ſi tenebris obſcuratum non haberetis intellectum per ignorantiam, quæ eſt in vobis, peccata veſtra occulta, & ignorantiæ veſtræ magìs vobis cordi eſſent: & cum Davide frequentiùs clamaretis in cœlum: *Ab occultis meis munda me. Ignorantias meas ne memineris, Domine.* Sed, cùm ſint alia adhuc peccata pro quibus magìs angitur Propheta Regius, ut de illis me loquentem cum fructu audiatis ſalutemus eam, quam ſalutavit Angelus. *Ave Maria.*

II. Preſſerint cor Davidis peccata occulta, oblita, neglecta, & omnes ignorantiæ ejus; alia ſunt, quæ conturbant animam ejus: peccata nempè aliena. Hinc pro ſalute animæ ſuæ ſollicitus, convertit ſe ad Deum: *Ab occultis meis munda me,* Pſalm. 18. 13.

& ab alienis parce ſervo tuo. Auditis? Ab occultis rogat mundari; pro alienis Dei petit miſericordiam: *Ab alienis parce ſervo tuo.* Quaſi diceret inquit Card. Ugo: Parce tu, *Cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: & ideò ſervum ſe vocat, ut Dominum ad miſericordiam provocet.* Et meritò, quia, quid proderit occulta ſcire, & ab illis mundari, ſi aliena nos gravent? *Quid proderit nobis,* quærit D. Baſilius, *non damnari pro peccato proprio, ſi damnemur alieno?* In eandem abit ſententiam Magnus Eccleſiæ Doctor Gregorius: *Gravabunt te aliena, cùm dimiſſa fuerint tua.* NN. *Aliena quis intelligis?* Peccata aliena dicuntur, quæ, licèt ab aliis fiant, nobis tamen imputantur, noſque coram Deo reos æternæ damnationis conſtituunt: fiunt autem novem his modis: *Conſilio, Juſſione, Conſenſu, Irritatione, Laudatione* ſeu *Adulatione, Reticentiâ culpæ alienæ, Conniventiâ, Participatione illicitâ rei alienæ,* & *pravâ Defenſione.* Qui in iſtis partem habent, coadjutores, diaboli ſunt. De his ſingulis inſtituemus ſermones: hodiè de *Alienis* in genere, cras, & deinceps de *Alienis* in ſpecie. Honorate me ſolitâ benignâ veſtrâ attentione. Incipio.

Ugo Card. — S. Baſilius. — S. Gregorius.

III. Nonus articulus Apoſtolici Symboli eſt: *Credo S. Communionem.* Docet hic articulus, dari inter prædeſtinatos Communionem bonorum ſpiritualium, precum, ſuffragiorum, meritorum, bonorum operum &c. De illa Regius Propheta Pſal. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Ratio hujus communionis eſt, quòd congregatio fidelium, ſit corpus myſticum, cujus caput Chriſtus eſt, verus Deus, & homo, undè docente D. Thomâ; *Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore ſpirituali, ſcilicet Eccleſia: & quia omnes fideles ſunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur.* Idem dicendum de reprobis, ſed à contrario; congregatio illorum eſt corpus abominabile, cujus caput eſt princeps tenebrarum ſecundùm D. Thomam 3. P. Q. 8. A. 7. qui omnes communionem habent criminum, & pœnarum. In hanc communionem collimat ſatanas: hanc participationem peccatorum alienorum unicè intendit: hoc unicum ſtudium, & labor diaboli eſt: tunc gaudium ejus eſt plenum, dum reos, & culpabiles nos reddit peccatorum, quæ ab aliis committuntur: nec mirum, quia ſecundùm Philoſophum; *Omne agens agit, ut aſſimilet ſibi paſſum.* Sicut Deus largitur nobis gratias, ùt nos ſalvet, & ſibi ſimiles reddat, ſanctos, perfectos, felices ſicut ipſe eſt: *Intra in gaudium Domini tui;* ita ſatan nos tentans, & perdere volens, hoc facit, ut ſimiles ei ſimus, miſeri & infelices; tales nos deſiderat, & ideò laborat, ut non ſolùm peccare nos faciat, ſed & participes reddat peccatorum alienorum, conſequenter filios gehennæ.

Pſal. 118. 63. — D. Thomas. — D. Thomas. — Ariſtot. — Matt. 25.

IV. Novem peccatorum alienorum contrahendorum modi, ad quatuor reduci poſſunt: ſic ut quis particeps, & reus eſſe poſſit peccati alieni *Cogitatione, Verbo, Opere,* & *Omiſſione.* Si Regius Propheta ob actualia, & à ſe commiſſa, quæ ſcire,

&

& cognoſcere poterat, anxius dixe-
rit: *Delicta quis intelligit?* quaſi
diceret, nullus: peto ego: *Aliena*
quis intelligit? Quis novit peccata ab
aliis commiſſa *Cogitatione*, quorum
Matt. 5, 28. fermè omnium cauſa eſt? Matt. 5.
dicit Salvator: *Qui viderit mulierem*
ad concupiſcendam eam, jam mæchatus
eſt eam in corde ſuo. Audiat hæc, quæ
non ſolùm millies concupiſcendi
cauſam præbuit, ſed & concupiſci,
videri, & amari deſiderat, & anhelat:
ſed & audiat, quid Tertullianus ad-
Tertullian. dat: *Videre, & velle videri, ejuſdem*
libidinis eſt: concupiſcere, & velle
concupiſci, ejuſdem generis pecca-
tum eſt. Aliena, quæ *Verbo* fiunt,
quis intelligit? Peccata aliena, com-
miſſa per verba impudica, aut æqui-
voca, per falſas relationes, per mala
conſilia, &c. quis novit? Quis in-
telligit peccata quæ imputabuntur à
Deo ob *Omiſſionem*? non ſufficienter
attendendo ad familiam, ad proles,
ad famulos, & ancillas quid agant,
quò vadant, quomodò vivant; non
monendo delinquentes, nec corri-
piendo, &c. Hæc cogitatio adeò
perculit animum D. Auguſtini, ut
S. Auguſtinus. Lib. Medit. Cap. 3. exclamet: *Quot*
mortalium ignorantes peccare docui;
nolentes delinquere, perſuaſi; reſiſtentes
coëgi, volentibus conſenſi, &c. Et
S. Baſilius. meritò; quia *Quid nobis proderit non*
damnari pro peccato proprio, ſi damne-
mur alieno? Moveant te, quiſquis
hæc legis, vel audis, Auguſtini ver-
ba, & ſeriò cogita, quot peccandi
occaſiones proximo dederis, *Cogita-*
tione, Verbo, Opere & *Omiſſione*, Co-
gita, & ingemiſce, quoties coope-
ratus fueris diabolo in damnationem
animarum, eique arma ſubminiſtra-
veris: arma validiora, quàm ipſe
habeat, cœlo bellum indicendo Quis
eſt, qui neſciat imbellem eſſe diabo-
lum, dum ſolus aggreditur animam?
Reſiſtite diabolo, inquit Jacobus 4. 7.
& fugiet à vobis. Non ſolùm recedet, Iacobi 4. 7.
ſed *Fugiet à vobis*, adeò meticuloſus
eſt. Tunc formidabilis eſt, quando
hominem coadjutorem habet; tunc
certus, quòd prævalebit, quando,
cùm alioquin ſeipſum prodat, ab
homine mutuò poteſt habere pal-
lium, ne cognoſcatur. *Quis enim* (ut
aſſerit Job 41. 4.) *revelabit faciem* Iob 41. 4.
indumenti ejus? adeò perſonatus in-
cedit. Ipſum Jobum teſtem volo;
quando malignus ſpiritus per ſeip-
ſum vel poſſeſſiones ejus diripiebat,
vel armenta deprædabatur, aut ſolo
æquabat domum, opprimens omnes
filios, aut à planta uſque ad verticem
illum percutiebat ulcere peſſimo,
non vacillabat patientia Job; econ-
trà, ſemper in Dei laudes prorupit:
ſed cùm uxorem ejus habuit adjutri-
cem, & amicos cooperatores, *Poſt*
hæc aperuit os ſuum, & maledixit diei Iob 3. 1.
ſuo, & locutus eſt. Idipſum experti
ſunt; Jacobi in ſylvis Palæſtinis,
Macharii in eremis Syriæ, Joannes
in cavernis montis Serrati. Quis dia-
bolorum per ſe immediatè ulli um-
quam malum dedit exemplum?
poſſetne aliquis veſtrûm dicere:
Diabolus loquendo docuit me tale,
vel tale peccatum? diabolus linguam
non habet, adeóque loqui non poteſt
tecum niſi (ſicut in mundi princi-
pio) linguâ à ſerpente mutuatâ: dum
autem quis diabolo homines tentanti
manus præbet auxiliatrices, inci-
tando, conſulendo, & ſcandalizando
proximum, pejor eſt ipſo diabolo,
teſte

teſte æternâ Veritate Joan. 8. 44.
Ioan. 8. 44. *Deſideria ejus vultis perficere*, & damnum quod cupit inferre animæ, & non poteſt, vos executioni mandatis. O inſtrumenta diabolica! ô miniſtros infernales! quibus non ſufficit ſe totos conſecrâſſe ſervituti principis tenebrarum, niſi inſuper malitiâ quâdam diabolicâ & perſuaſione peſtiferâ, provocatione, ſollicitatione, importunis vexis, pueros, puellas, mulieres ſeducant, corrumpant, inficiant ac introducere in eos incipiant initia libidinoſæ conſuetudinis, non rarò perdurantis in annos plures, & vergentis in perniciem aliorum, ab infectis deinceps inficiendorum. Super his, & ſimilibus diaboli cooperatoribus juſtiſſimas querelas formet ſupremus Monarcha Micheæ 7. 2. *Periit ſanctus de*
Micheæ 7. 2. *terra, & rectus in hominibus non eſt.* Econtrà: *Omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum in mortem venatur. Si divinorum omnium diviniſſimum eſt.*
D Dionyſius Areop. *cooperari Deo in ſalutem animarum*; è converſo, *diabolicorum omnium diaboliciſſimum eſt, diabolo cooperari in interitum animarum.* Quid hoc aliud eſt, quàm de numero illorum eſſe, de quibus conqueritur Deus.

V. Jeremiæ 5. 26 *Inventi ſunt in*
Ierem. 5. 26. *populo meo impii, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.* O aucupes diaboli! date veniam (ſi quis hîc foret) quòd veſtro vos nomine appellem; quomodò poſſibile eſt, quòd necdum videatis malitiam, ad quam devenitis? Alii aucupes ſolummodò ſpoliant cœlum avibus, vos aufertis ab Angelis ſocios, à Deo animas, & non timetis, non tremitis? Dicite mihi, ſi operâ veſtrâ multi peccent, numquid probabile eſt quòd ex omnibus ſaltem una anima culpâ veſtrâ poſſit æternùm perire? Sit ita: quis Chriſto reſtituet iſtam infelicem animam? Habetis ſufficiens pretium quo ſatisfaciatis? Si habetis, producite, incipite numerare, aut ad minùs, finite videre. Scitis quanti conſtiterit anima Filio Dei, quanta pro illa ſit paſſus, quantum Sanguinis effuderit ad illam redimendam: pro illa deſcendit de cœlo, aſſumpſit carnem paſſibilem, famem, ſitim, frigus, calorem, funes, catenas, alapas, flagella paſſus; nudus in Cruce confixus eſt, ut illam ſalvam faceret; & vos, Adjutores diaboli impenditis vos, ut impediatis effectum ineffabilis redemptionis hujus: vos verbo, opere, malis exemplis, & ſcandalis veſtris laboratis, ut reddatis diabolo animas, quas de manu ejus Salvator tam pretioſè redemit? Quid poteſt cogitari magis impium? magis barbarum? magis beſtiale? meliùs dicam: magis diabolicum? Teſtes vos volo NN. mei: ſi in die ſolemniori, quo pretioſa vaſa argentea in templis exponuntur, ſacrilegum quemdam videretis altare aſcendere, auferre omnia, patenas, calices, &c. quid faceretis? Numquid clamaretis: Tenete, tenete ſacrilegum? Numquid, ſi poſſetis, pedibus eum calcaretis? modò audite me: ſpoliate altaria quantumcùmque pretioſa, deſtruite, & in cineres ea redigite, minùs damnum Chriſto feceritis, quàm unicam tantùm animam damnando. Non lapides, nec argentum, nec aurum Sanguine ſuo redemit Chriſtus, ſed animas:

Rede-

Apoc. 5. 9. *Redemiſti nos Deus in Sanguine tuo*: non dicit: *Noſtra*, ſed: *Nos.* Et putatis vos minus furtum eſſe, animam furari, quàm pixidem, aut calicem de altari? Audite, quid de vobis dicat S. Iſidorus Lib. de Summo S. Iſidorus. Bono: *Deteriores ſunt, qui, ſive doctrinâ, ſive exemplis vitam, moreſque bonorum corrumpunt, his, qui ſubſtantiam aliorum, prædiaque diripiunt.* Magìs S. Bernardus. vos premit D. Bernardus: *Si Dominus proprium Sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ſuſtinere ab eo perſecutionem, qui ſuggeſtione malâ, exemplo pernitioſo, aut ſcandali occaſione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Judæo, qui Sanguinem ejus fudit?* Auſim dicere, peccatum veſtrum quaſi eſſe irremiſſibile. Quod dico, probo.

VI. Iſaiæ 14. 13. Peccat Ange- Iſaiæ 14 13. lus in Deum, dicens: *In cœlum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo.* Peccat Adam, dum ex ligno, de quo præceperat Deus, ne comederet, comedit: uterque pœnâ divinæ vindictæ eſt mulctatus; ſed ille ſupplicio ſempiterno, hic pœnâ temporali; unus cruciatu interminabili, alter, pœnâ, per pœnitentiam terminabili. Quæro: Cur peccatum Angeli irremiſſibile, prævaricatio autem Adami remiſſibilis? Reſpondet D. Paulinus Epiſtolâ 4. *Neque* S. Paulinus. *ſicut Angelus, in æternum ſupplicium damnati ſumus, quia ille auctor peccati fuit, ſimulque pro ſe, & pro homine punietur, qui eodem periit ſcelere, quo perdidit*: homo autem non in finem meruit exterminari Paradiſo, & terrâ, quia divina Juſtitia leviùs judicavit, alienâ mente peccâſſe, quàm propriâ. Criminoſiùs eſt decipere, quàm decipi, & peccatum excogitare, quàm facere; & ideò temporaliter, & ad emendationem punitur fraudis aſſenſor: in æternum autem ſupplicium deſtinatur mortis inventor. Necdum creditis? æternæ Veritati credite.

VII. Amos 1. 13. *Super tribus* Amos 1. 13. *ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quatuor non convertam eum, eo quod diſſeruerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum ſuum.* Dimittam, inquit, populo meo ſcelera alia, ſed ſuper hoc non convertam, quòd voluerit dilatare terminos ſtatûs ſui, mortem inferendo prægnantibus Galaad. Quos putatis iſtos politicos eſſe, qui præ dominandi pruritu ad tantam perveniunt malitiam? ipſi ſunt coadjutores diaboli. Audiatur D. Hieronymus in hunc locum: *Per Ammonitas, ſchiſmaticos accipe,* D. Hieron. *quibus comminatur, quia prægnantes, id eſt rudes animas, quæ nuper ſermonem Dei conceperunt, ab Eccleſia ſeparant, nomen gloriæ ſuæ dilatare volentes.* Idem clariùs: *Prægnantes, ſunt animæ credentium, quæ à principio fidei poſſunt dicere: A timore tuo concepimus, & parturivimus.* Notent hæc, qui puſillos ad peccandum inducunt; atque eos, qui parturiunt meliorem vitam, ſeducunt; ſicque ſpiritualem partum non ſolùm impediunt, ſed & occidunt.

VIII. Matt. 2. Apparet Angelus in ſomnis Joſeph, dicens: *Surge, &* Matt. 2. 13. *tolle puerum, & revertere in terram Iſrael; defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri. Defuncti ſunt, qui quærebant animam pueri?* Solus Herodes quærebat animam pueri, & ſolus

defunctus eſt; quomodò ergò: *Defuncti, qui quærebant?* Grande myſterium, inquit S. Chryſoſtomus; Herodes quidem Decretum fecerat de occidendis innocentibus, & primus fuit, qui opere, & exemplo conatus eſt occidere puerum; ſed quamquàm primus, non tamen ſolus: *Multi conſenſerunt, & induxerunt, ut occideret puerum.* Quando in dignitate conſtituti, quando majores, ſuperiores Chriſtum perſequuntur, & quærunt animam ejus videntibus, aut audientibus inferioribus, ſignanter Neophitis in pietate, in quorum cordibus adhuc infantulus eſt Jeſus, necdum adultus, tunc malo ſuo exemplo *Quærunt animam pueri.* Hi enim ſunt homicidæ, non corporum, ſed animarum; ac ut tales horrendè puniendi à Deo, qui hanc animarum à ſe creatarum redemptarumque ruinam ita ſentit, ſicut ſentit mater dolorem, cùm ejus diſrumpuntur viſcera: ipſe enim de ſuis ait: *Qui portamini ab utero meo.* Audite, quomodò unum ex illis (qui tamen Rex eſt) aggrediatur, & increpet.

S. Chryſoſt.

Iſaiæ 46. 3.

IX. 3. Reg. 16. Poſtquàm regnaverat Baaſa ſuper omnem Iſraël 24. annis, & malum fecerat coram Domino, ambulans in viis Jeroboam, & in peccatis ejus, quibus peccare fecerat Iſraël, factus eſt ſermo Domini ad Jehu, dicens: *Pro eo, quod exaltavi te de pulvere, & poſui te Ducem ſuper populum meum Iſraël. . . . . Tu autem ambulaſti in via Jeroboam, & peccare feciſti populum meum Iſraël, ut me irritares in peccatis eorum: Ecce ego demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domûs ejus, & faciam domum tuam, ſicut domum Jeroboam.* Coadjutor diaboli (ſi quis fortè adſit) qui proximum tuum ad peccandum inducis, ex parte Dei te alloquor, quia non eſt vel verbum, quod tibi non quadret: *Pro eo, quòd exaltavi te de pulvere,* &c. (diſcurre ad omnes ſtatus) *peccare feciſti populum meum:* dum te totum impendere oportebat in lucrū animarum: *Peccare feciſti populum meum*; inimiciſſimo meo cooperatus es in ruinam animarū, pro quibus factus homo animam meam poſui, in Cruce mortuus. Eloquere, ſi adhuc tibi animi ſenſus eſt: Habeſne aliquid contra? Numquid ita ſe rem habere, fateri compelleris? Attende tantùm ad verba, & opera tua; quò vergunt multa ex illis? Numquid ad pervertendum proximum, & conſcientiam ejus lædendam? Quot laqueos tendis? Quot retia expandis, ut animam ejus participationi confuſionum tuarum involvas, eamque criminum tuorum complicem reddas? Quot technis, quot diabolicis mediis uteris, ut paſſionibus tuis inordinatis eum facias deſervire? Quot perniciosa conſilia illidas? Quot impuras flammas accendis in corde ejus per ſcandaloſas tuas actiones, converſationes, per diſcurſus laſcivos, & criminoſas ſollicitationes tuas? Caves tibi vel à minimo, quod ſcandalizare eum poſſet, aut tentare? Studuiſti umquam eripere eum de periculis, vel impedire lapſum ejus? Numquid econtrà, materiam potiùs ſubminiſtrâſti pravis ejus inclinationibus in animæ illius ruinam? Si non inſurdeſcas in aure cordis, audi conquerentem de te Deum, ſuper enormi injuſtitia, quam ipſa facis, & tibi:

3. Reg. 16. 2.

Peccare

Peccare feciſti populum meum, ut me irritares in peccatis eorum: factus es adjutor diaboli, & inſtrumentum ad perdendas animas, quæ tam carè mihi conſtiterunt. Dum tibi Deus illatam ſibi injuriam improperat, habeo & ego verbum ad te. An ſperas ſalvare animam tuam, ſic damnans animas alienas? Si reddenda tibi ratio eſt, dum cum perfido Cain non cuſtodis fratrem tuum, quam reddere debebis, ſi in barathrum præcipitaveris animam ejus? Non ſufficit tibi ſtrictiſſima reddenda ratio pro anima tua, ut etiam peccata aliena ad computum tuum poni velis, pro iiſdem reſponſurus? Quòd diabolus ruinæ animarum inhiet, non mirandum, quia diabolus eſt, habetque in illas rabiem inteſtinam, & odium rabidum: ſed quòd tu, homo cùm ſis, ejuſdem conſors naturæ, quas vel obindè ſolùm non odio habere, ſed & ob centena alia motiva diligere te oporteret, quòd nihilominùs illas tam crudeliter perſequaris, quanta te indè manet damnatio! Scias, quòd ſalus tua inſeparabiliter ſit annexa ſaluti proximi tui; conſequenter ejus damnationi concurrendo, teipſum quòque damnes, quia omnia peccata ejus tibi imputabuntur. Vos ipſos NN. mei, conſtituo judices, judicate, an fundatè loquar.

X. Primum inſtrumentum, quo diabolus uſus eſt ad lapſum Adæ, fuit ſerpens, cujus operâ Evam pervertit. Vix ſerpens, tranſgreſſionem perſuaſerat, illicò in illum fulminavit Deus primam ſententiam pœnalem: *Maledictus es, inter omnia animantia, & beſtias terræ; ſuper pectus* Gen. 3. 4. *tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Cur beſtiæ illi pœna infligitur?* Quærit D. Chryſoſt. Hom. 17. in Gen. quam culpam commiſerat ſerpens in miniſterio præſtito diabolo? An ſponté & ſtudio ſe ingeſſerat? abſit: cogebatur ſerpens cedere diabolo, ſe potentiori, qui os aperiebat, linguam movebat, & verba formabat; & tamen, licèt ſine culpa eſſet, maledictus fuit: quomodò hoc? Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet Os Aureum: Sicut pater punit eum, qui filium ſuum occiderit, & gladium, quo filius ſuus eſt occiſus, deſtruit, & in partes multas dividit; eodem modo Deus egit: *Quippè ſerpens, quaſi gladius quidam, diabolicæ inſervivit malitiæ: unde & perpetua pœna ipſi intentata eſt*: ut per viſibile, & ſenſibile hoc apud noſipſos ratiocinemur, & expendamus, quòd, ſi ſerpentem tam rigorosè punierit, qui non peccârat, nec capax erat peccati, ſed ſolùm, quia diabolo inſtrumentum fuit ad lapſum Adæ, quid maneat illos diaboli advocatos (tali titulo dignatur eos Chryſ. Hom. 11. in Matt.) Si ſerpens, qui ſine culpa eſt, ſit maledictus, dicite mihi, qualis maledictio debetur illi, qui motu proprio, & ex electione cooperatur diabolo in negotio tam maledicto? Qualis, dicam. S Chryſoſt. S. Chryſoſt.

XI. Matt. 25. Loquens Salvator noſter de die judicii, declarat ſe dicturum reprobis: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Quinam, quæſo, ſunt Angeli illi, qui cum diabolo mittendi ſunt in ignem æternum? Quinam? hoc me meliùs novit Ec- Mat. 25. 41.

cleſiæ Doctor Gregorius: notat ille, quòd nomen Angeli, non ſit nomen naturæ, ſed officii; ſicut *Angelus* idem ſit, quod *Nuntius*: & ſicut homo vocatur Angelus Dei, cùm annunciat aliquid ex parte Dei, vel ſpectans ad honorem ejus, aut animarum ſalutem: (ſicut dum habe-
Malach. 2. 7. tur Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſapientiam, & legem requirent*, ſcilicet populi, *de ore ejus*: reddens rationem, ſubjungit: *Quia Angelus Domini exercituum eſt*) ſic à contrario, Angelus ſatanæ, & diaboli vocatur ille, qui ut nuntius ſeu miniſter ejus alium inducit ad peccatum; undè ſimiles alloquitur Diez: *Omnes vos,*
Diez. *qui ſive verbo, ſive malo exemplo aliis perſuadetis, ut Creatorem ſuum offendant, eſtis Angeli ſatanæ; adeò infelices, & maledicti, ut meritò poſſimus dicere, vobis tam ex propoſito, quàm diabolo factum fuiſſe infernum.* NN. verbulum ad vos. Examinate, quæſo, conſcientias veſtras, & ſi illas non inveneritis tam peſtifero malo infectas, id eſt, ſi videatis vos nec malo exemplo, nec pravâ quâdam perſuaſione incitâſſe aliquem ad peccandum, gratias habete Deo; ſi autem conſcientia dictet vos tanti mali reos, timete, & tremite; quia, demus, quòd ex ſeductis per vos animabus vel una tantùm damnetur, qualem vindictam, putatis, clamabit illa in æternum contra vos? Per amorem Dei permittite, ut non minori libertate, quàm reſpectu, quo in vos feror eloquar ſenſa cordis. Tremo toto corpore, dum cogito, quomodò ſecurè dormire quis poſſit, dum probabiliter poteſt ſuſpicari, quòd animam aliquam culpâ ſuâ ſubjecerit damnationi æternæ: Anima, culpâ veſtrâ damnata, quomodò in illo profundo clamabit contra vos? Si ſanguis Abel huc uſque clamaverit, & in diem judicii clamabit vindictam contra Cain, ceſſabitne talis anima clamare vindictam contra illum, qui æternæ damnationis ejus primum jecit lapidem ac principale eſt inſtrumentum? Econtrà clamabit vindictam ante thronum Dei; requiret mortem, requiret damnationem ejus, qui æternæ extitit damnationis cauſa. Ne vobis per exaggerationem loqui videar, audite cineres iſtorum, etiam ex tumbis deauratis, clamare vindictam in eos, qui mortem ſolùm corporalem illis inflixerunt.

XII. Pſal. 78. *Intret in conſpectu* Pſalm. 78. 11.
tuo, Domine, gemitus compeditorum; vindica ſanguinem Sanctorum tuorum, qui effuſus eſt. Itane? Ergò, vindictam clamant ob mortem inflictam, quæ illis principium fuit æternæ beatitudinis? Vindictam in tortores, quorum gladiis (ſepoſitâ offenſâ Dei) plus debent, quàm uberibus, quæ ſuxerunt? etenim juxta Au-
guſtinum Serm. 10. de Sanctis: *Pro-* S. Auguſt.
phanus hoſtis numquam tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio. Qualem ergò vindictam clamabunt animæ contra eos, qui illis non temporalem, ſed mortem cauſârunt ſempiternam? Putatis, quòd vel momentum tranſibit, quo non clamabunt ex inferno: *Vindica, vindica?* Clamabit infelix ille juvenis: *Vindica, vindica!* quia dum ſolebam ſingulis ſeptimanis confiteri, & Communicare, talis N. irriſione ſuâ me ab illis retraxit, & occaſio fuit,

ſuit, quòd in ſtatu peccati mortalis obierim. *Vindica!* clamabit illa infortunata domicella, *Vindica, vindica!* ſolebam me totam dare devotioni, & illa N. ſeculo dedita, deduxit me, & traxit in omnes vanitates, & perverſa conſortia. *Vindica!* clamabit uxoratus, & maritata, *Vindica, vindica!* quia in juventute ad Religionem vocabar, & ille N. aut illa N. interjecit remoram, ita ut deviaverim à via ſalutis meæ. Ad hos clamores, quomodò obturabitis ora clamantium? non deſiſtent tamen clamare, niſi ſocios viderint in pœna, qui primam partem habuerunt in peccatis. Ad tantos clamores, quomodò donabit Deus vobis cœlum, dum culpâ veſtrâ ille damnatus fremit in inferno? Verba ſunt Spiritûs ſancti Proverb. 17. 5. *Qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus*: hoc de fide eſt. Si ergò, qui ſolùm ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus, quid erit de eo, qui cauſaverit non tantùm temporalem, ſed ruinam ſempiternam? *Non erit impunitus, non erit impunitus.* Vultis ex ore unius damnati?

Prov. 17. 5.

XIII. Teſte Thomâ Cantipratano, quidam condiſcipulus ejus bonæ, & timoratæ vitæ, ſeducitur à quodam perverſo vicino; ille datus in reprobum ſenſum, tandem ſine confeſſione moriens prorumpit in hæc verba: Ego ob malam vitam meam in æternum damnabor; & jam rectè vado ad infernum: *Væ autem illi, qui ſeduxit me.* Si hæc moriens, qualia dixerit mortuus, quando ad ingreſſum inferni horrida vidit monſtra dæmoniaca, & eorum ſenſit pœnas? Si ad portas inferi talia ſeductori ſuo imprecetur, qualia imprecabitur exiſtens in inferno? Hæc veſtro linquo judicio. Interim non eſt, quòd eò recurramus.

Thom. Cantiprat.

XIV. Habacuc 2. 15. *Væ illi, qui potum dat amico ſuo turbidum! Væ illi, quia ideo juſtè bibet calicem iræ divinæ*, inquit Gloſſa: & tantò magìs, quòd addat Propheta: *Et propinabatis vinum Nazaræis, quibus per legem inhibitum erat vinum bibere.* Volebat dicere, ut eadem Gloſſa declarat: *Religioſos inducebatis, ad vota ſua tranſgrediendum, ſicut faciunt aliquando mali Clerici.* Et quales calamitates, & væ illos manent, qui alios inducunt ad peccandum, ſic, ut animam perdant? Dicit D. Chryſoſt. non dari verba, quibus ea exprimat; undè ſolo utitur verbo *Væ*. Hoc ego addo, & dicere audeo, quòd major ſit futura damnatio ſeductoris, quàm ſeducti, damnantis, quàm damnati; quò enim plures quis animas in ruinam trahit, eò majori ſe ſubjicit damnationi.

Habacuc 2. 15

Gloſſa.

XV. Exodi 34. 7. Moyſes de Deo loquitur: *Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus, in tertiam, & quartam generationem*: ergò portabunt filii iniquitatem patrum? Vitia parentum, à filiis inſpecta, delineantur in filiis; viſa in filiis, recipiuntur à nepotibus; ab his tranſeunt ad pronepotes, ſicque quaſi per traducem moralem reprobâ hæreditate tota progenies contaminatur: ideò *Reddit* Deus *iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus, in tertiam & quartam gene-*

Exod. 34. 7.

Gloſſa Interl.

rationem. Uſque ad eos ultio extenditur, qui viderunt, quod malè ſequerentur: inquit Gloſſa Interl. N. N. qui me auditis, date mihi, ut pandam ea, quæ animus geſtit: ſi peccata veſtra occulta forent, & ſolùm penes vos manerent ſi ibi ſiſterent, mitigarem ſuſpiria, deplorarem lacrymis in menſura, ſed quòd malo veſtro exemplo tranſeant ad filios: à filiis ad nepotes, à nepotibus ad pronepotes, totamque vitient proſapiam, hoc deplorandum gemitibus inenarrabilibus. O Patres, ô Matres! Quis dicetur occaſio tot malorum, quæ ſequentur poſt vos? Audite in pari caſu Regium Prophetam: *Ab alienis parce ſervo tuo.* Rex erat, pater erat, & peccabat; & quia peccaverat in jam dictis circumſtantiis, conſiderabat ſe ad minùs cauſam exemplarem ſimilium criminum, quæ in regno, aulâ, & familia ex malo illo exemplo erant nata ſequi: & ideò conſiderabat, & deflebat aliena, ut propria: *Ab alienis parce ſervo tuo. Is enim*, inquit Os Aureum Hom. 41. *qui principium præbet, etiam eorum, quæ poſteà fiunt, author eſt.* Inſolentiæ iſtæ, & diſſolutiones, quæ in domibus veſtris fiunt, videntur vobis *Alienæ*, quia à ſervis, & ancillis committuntur; ſed veſtræ ſunt, quia datis malum exemplum; veſtrum ergò ſimiliter eſt, clamare cum Davide: *Ab alienis parce ſervo tuo.* Illæ tranſgreſſiones legis Evangelicæ, mandatorum Dei, & Eccleſiæ, videntur vobis *Alienæ*, quia domeſticorum, & inferiorum; & tamen ſunt veſtræ, quia delineatæ ad malum veſtrum exemplum; proindè, niſi ſuper illis pœniteatis, & cum Davide dicatis: *Ab alienis parce ſervo tuo*, malè vobis ſuccedet: quotquot enim ſimilia peccata poſt mortem veſtram committentur à filiis, nepotibus, domeſticis, & ſubditis, videntur quidem vobis (cùm adhuc futura) *Aliena*, ſed coram Deo, etiam poſt mortem veſtram, erunt veſtra, quia malo veſtro exemplo eorum præbuiſtis cauſam: *Is enim, qui principium præbet, etiam eorum, quæ poſteà fiunt author eſt.* Ne exaggerationem loqui videar.

S. Chryſoſtomus.

XVI. Eccli. 30. 4. *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit poſt ſe.* Quaſi diceret, licèt pater ſit mortuus temporaliter, & diſceſſerit ex præſenti vita, adhuc tamen vivit in filiis, per mala exempla, quæ reliquit in illis. Impius Lutherus mortuus eſt, ſed infeliciter vivit in hæreticis, per falſæ ſuæ doctrinæ, & malorum morum peſſima exempla, quæ reliquit poſt ſe; quæ omnia, licèt aliena ſint, propria tamen cenſentur. Hinc Epulo Lucæ 16. 28. ſepultus in inferno, dicit Abrahæ: *Rogo te, Pater Abraham, ut mittas eum* (Lazarum) *in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Ne quis putet, inquit Ugo Card. hæc ab eo ex charitate dicta: *Dicebat hæc timore pœnæ; ſciebat enim, quòd ex conſortio fratrum in pœna, augeretur pœna ſua.* In eandem ſententiam abit Corn. à Lapide. *Damnatio fratrum ejus, damnationem, & tormenta auxiſſet; utpotè qui eis epulationis fuerat occaſio,*

Eccli. 30. 4. Lucæ 16. 28. Ugo Card. Cornelius à Lapide.

ſio, & cauſa. Sentiebat enim, quòd toties augerentur pœnæ ejus, quoties peccabant fratres ex ſcandalo à ſe dato. Sic eſt NN. quò plures inductione veſtrâ damnabuntur animæ, eò majora erunt tormenta veſtra, & ſupplicia. Plus dico: ſi malâ linguâ veſtrâ inter duas familias ignem accenderitis diſcordiæ, & inimicitias, quæ tranſeunt de patre ad filios, uſque ad tertiam, & quartam generationem, quando nocent invicem, peccant peccato, cujus & vos participes efficimini: dum detrahunt, invicem maledicunt, & unus alteri imprecatur malum, peccant pro vobis; tribus, quatuor, quinque annis, poſt mortem veſtram, ſentietis in Purgatorio, aut in inferno pœnam peccatorum, quæ culpâ veſtrâ ab ipſis committuntur in mundo. Ah Patres, ah Superiores! Num ergò vobis ſufficientes rationes ſunt timendi damnationem veſtram ob delicta perſonalia, ut velitis illam certam facere peccatis alienis? Num timetis vos leves nimis futuros ad deſcendendum in infernum, ut onerare vos velitis peccatis alienis, ſicque deſcendatis in illum majori cum impetu, & impulſu? Num fortè tæderet vos in loco illo ſqualido ſolos eſſe, ut velitis conſortium, quocum converſemini, & diſcurratis? Si ita eſt, audite ergò diſcurſus, quos habituri eſtis ad invicem: Maledicti parentes, clamabunt filii, quia vidimus, & imitati ſumus mala exempla veſtra, & ideò hîc ſumus propter vos. Maledicte pater, quia vidi luxuriam tuam, ebrietatem tuam, diſſolutiones tuas; quia audivi impudica & lubrica verba tua, & juramenta, quæ omnia didici ex te, ideò ego hîc ſum, & ardeo. Maledicta mater! Vidi te in converſationibus, comœdiis, conviviis, & non pudebat te in præſentia noſtra facere ea, quæ nondum capiebamus, poſteà exemplum tuum ſecutæ; & ideò hîc ſumus in omnem æternitatem. Inducentes ad malum, qui, ſeu verbo, ſeu opere proximum veſtrum, &c. vos eſtis, qui, &c. Si velitis damnare animas veſtras, ſi in perditionem ire velitis, itote ad minùs ſoli, non trahentes vobiſcum tantam comitivam animarum innocentium: *Perditio vobis privata ſufficiat*; clamat S. Gregorius. Taceat Greg. dum Deus loquitur: Ezech. 44. 6. *Sufficiant vobis ſcelera veſtra, domus Iſraël.* Si hæc vos non moveant, non habeo ultrà, quod addam. Interim pro coronide, audite morientem Beringarium.

S. Gregorius.

Ezech. 44. 6.

XVII. Perverterat ille multas animas ſuâ hæreſi; at converſus, abjurato errore, & actâ condignâ pœnitentiâ, ipſo Epiphaniæ feſto (quæ *Apparitio Domini* dicitur) animam exhalaturus exclamabat: *Hodiè, in die Apparitionis ſuæ, apparebit mihi Dominus meus Jeſus Chriſtus, propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Quaſi diceret, ſpero Deum futurum mihi propitium propter pœnitentiam, ſed aliundè ob animas, quas perdidi, timeo me damnandum. Iterum obteſtor vos omnes NN. mei, ut hâc veſperâ, antequàm eatis cubitum (quando

(quando, ut ſuppono, examinabitis conſcientias veſtras) interrogetis vos ſeriò, & dicatis intra vos: Induxine umquam aliquem ad peccandum? Foretne aliqua anima malo meo exemplo, aut malâ perſuaſione, aut quocumque alio modo damnata? Si extra culpam vos inveneritis, agite gratias Deo; ſi autem culpabiles, ingemiſcite, & dicite in animo contrito cum Davide: *Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſervo tuo.*

FERIA IV. DOMINICÆ I. ADVENTUS

De Conſilio, Primo peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo ſuo. Pſal. 18.

Primum peccatum Alienum dicitur *Conſilium*, quod peccatum contrahitur ab illis, qui tamquàm coadjutores diaboli pravo ſuo conſilio alios ad peccandum impellunt, Deo de omnibus peccatis inde ſecutis rationem reddituri, unà oſtenditur quomodò conſilium malum, ſit conſultori peſſimum.

I. POſtquàm Propheta Regius rogaverat Deum: *Ab occul-* Pſalm. 18. 14. *tis meis munda me; & ab alienis parce ſervo tuo*: ſubdit: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Advertite, quòd hæc dicat ille, qui à peccatis, quantùm in ſe erat, abſtinebat; & ſi ceciderat, graviſſimam pœnitentiam agebat, & Deo pro poſſe ſatisfaciebat: ille, inquam, qui taliter de ſibi cognitis dolebat, pro alienis anxius, dicebat: *Si mei non fuerint dominati* (reatus ſcilicet peccatorum alienorum) *tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* D. Auguſtinus hunc Verſiculum expo- S. Auguſtinus. nens, legit: *Si peccata occulta, & aliena* (mei) *non fuerint dominata, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.* Delictum illud maximum meo judicio eſt, partem habere in alienis, & eorumdem eſſe participem. Quid enim nequiùs, quàm Chriſtianum, cooperatorem fieri diaboli in ruinam animarum? illi arma ſubminiſtrare, & deſideria ejus perficere? Certè ſi divinorum omnium diviniſſimum eſt, Deo cooperari in ſalutem animarum, diabolicorum omnium diaboliciſſimum eſt, diabolo cooperari in interitum animarum. Tales in populo ſuo dari, ſentiebat Deus medullitùs; dum deſuper quereloſus ait: *Inventi ſunt* Jerem. 5. 26. *in populo meo impii, inſidiantes quaſi aucupes ad capiendas animas*, quas Filius ejus ſuo redemit Sanguine NN. cogitatis ſubindè, quòd, ſi peccata aliena veſtrûm dominata fuerint, omnium peccatorum alienorum participes fiatis, conſequenter

ter non minor (ſi ſæpè non major) vos maledictio maneat, quàm ipſos delinquentes? Si qui hîc forent participantes in illis, rogo eos, ne ludant cum animabus ſuis; dico enim illis ex parte Dei, quòd animæ illæ, quæ culpâ eorum damnabuntur, clamabunt contra eos vindictam; nec deſiſtent à clamore, donec ſolvant pœnas, quas ipſæ luunt. Ne alicui ex nobis tam grande eveniat malum, attendat, & videat unuſquiſque, qui adhuc in ſatis cognitis peccatis vivit, & tamen de illis necdum condignam pœnitentiam egit, an & in novem alienis, quæ herì nominavi, partem non habeat. De illis agemus impoſterùm: hodie de primo, quod contrahitur malo *Conſilio.* Sed priùs ſalutemus Matrem *Magni conſilii Angeli. Ave Maria.*

II. Prædicens Iſaias Salvatoris noſtri Adventum, cujus modò memoriam celebramus, Cap. 9. ſuæ Prophetiæ ait: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Cùmque multa nomina ejus ediceret, inter cætera vocat eum *Conſiliarium: Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius.* Cur, quæſo, *Conſiliarius* dicitur, niſi quia *Magni conſilii Angelus* eſt, qui nobis tam multa, & utilia conſilia dedit? Conſiliorum ejus plenum eſt Evangelium: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes: verumtamen quod ſupereſt, date eleëmoſynam. Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt,* &c. *Qui poteſt capere, capiat:* undè, quidquid boni per gratiam ipſius

Iſaiæ 9. 6.

Matth. 19. 17.

Matth. 19. 21.

facimus, conſilia ejus ſequentes, ipſi tamquàm Conſiliario, & hortatori, tribuendum eſt. Non ſolùm ipſe Conſiliarius noſter eſt, ſed dedit nobis etiam, ut & nos aliis conſulere, & illos ad bona exhortari poſſimus: ſic enim ait Apoſtolus: *Præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Item *Secundùm meum conſilium.* Item Cap. 8 Epiſt. ſecundæ, *Conſilium in hoc do.* Ad Titum autem Cap. 1. vult conſtitui Presbyterum, *Qui potens eſt exhortari.* Item Cap. 2. *Hæc loquere, & exhortare.* 1. Ad Timot. 6. 2. *Hæc doce, & exhortare.* Ad quid, obſecro, conſtituit tot Conſiliarios? ut nos participes faciat aliorum bonorum operum: quod enim per ſe præſtare poteſt ſolus, vult etiam per nos facere, ſic honorans creaturas ſuas, & poſteà multùm remunerans. At econtrà: malus Conſiliarius, diabolus eſt, qui malo conſilio ſuo homines in peccatum trahit. Item mali Conſiliarii omnes illi, qui aliis conſulunt, ut peccent: illis utitur diabolus tamquàm inſtrumentis, ut eos etiam reos faciat peccatorum alienorum; quotquot enim malo conſilio allecti peccant, eorum peccata illis imputantur. Erit primum punctum. Conſiliarii pravi attendite vobis: conſilium enim malum, conſultori peſſimum. Erit ſecundum. Incipio à primo.

1. Cor 7. 25.

1. Cor. 1. 10

2. Cor. 8 10.

ad Titum 1. 9.

ad Titum 2. 15

1. Timot 6 2.

III. Duo ſunt genera Conſiliariorum diaboli: alii, qui *De Synagoga ſatanæ* dicuntur; alii, qui de concilio ejus privato: illi, qui malâ ſuâ perſuaſione, & pravo conſilio nocent proximo in temporalibus; hi, qui in ſpiritualibus.

De Synagoga ſatanæ, facilè Princeps habetur Aman: Eſther 3. Hic ſublimatus à Rege, indignatuſque, quòd ſolus Mardochæus non flecteret ei genua, ab Aſſuero, conſilio ſuo diabolico, omnium Judæorum interitum impetrat: mittitque ad univerſas Provincias litteras, ſignatas Regis annulo, ut univerſi ubique Judæi, à puero uſque ad ſenem, parvuli, & mulieres uno die occidantur. Quanta malignatus eſt pravo ſuo conſilio, hic nequam Conſiliarius, tot homicidiorum reus, quot Iſraëlitas occidi conſulerat! ut docet S. Auguſtinus: *Periculosè decipiuntur, qui exiſtimant eos, tantùm eſſe homicidas, qui manibus hominem occidunt: & non potiùs eos, per quorum conſilium, & hortationem homines extinguuntur.* Spiritu illo diabolico ducuntur illi, qui perverſo ſuo conſilio integras communitates conantur delere, filios excitant in parentes, ad deſperatas animant actiones, ut ſic honeſtæ familiæ notam ignominiæ inurant, & perdant. Ejuſdem quòque farinæ ſunt illi, qui inter amicos zizania ſeminant, rixas fovendo, & ad lites inſtigando, ut ſic invicem deſtruant. Hi Conſultores coram Deo tam ſunt culpabiles, quàm ipſi actores, qui numquam eò deveniſſent, niſi tam pravos habuiſſent Conſiliarios. Quò malitiæ devenerit Abſalom, & quo authore, utrumque manifeſtum facit ſacer Textus.

(Eſther 3.; S. Auguſtinus.)

IV. 2. Reg. 16. 20. Abſalom conſpirans adversùs patrem, conciliato ſibi populi favore, dixit ad Achitophel: *Inite conſilium, quid agere debeamus*; cui Achitophel: *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum; ut, cùm audierit omnis Iſraël, quòd fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* O nequam! O diabolicum conſilium! *Tetenderunt ergò Abſalom tabernaculum in ſolario: ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui, coram univerſo Iſraël.* Non habet Achitophel partem in hoc execrando facinore? Quid? Nôn haberet? Loquatur hîc D. Dionyſius Carthuſ. *Qui aliis conſulit, cauſa eſt omnium malorum, quæ ex ſuo conſilio fiunt.* Sed NN. ne putetis inter viros tantùm hos Conſiliarios reperiri; ſunt & mulieres (licèt ad nullum admittantur Concilium) quæ etiam de hac Synagoga ſatanæ ſunt: imò & viros ſuperant. Do unam, omnibus notam.

(2. Reg. 16. 20.; D. Dionyſius Carth.)

V. 3. Reg. 21. 25. Deſcribunt SS. Paginæ, quàm perverſus fuerit coram Domino Rex Achab: *Non fuit alter talis, ſicut Achab; qui venumdatus eſt, ut faceret malum in conſpectu Domini.* Quomodò hic ad tantam pervenit malitiam? non tacetur: *Concitavit eum Jezabel uxor ſua, & abominabilis factus eſt, in tantùm, ut ſequeretur idola.* Videbat Jezabel afflictum Achab, ob denegatam ei à Naboth vineam: Et continuò *Æquo*, inquit, *animo eſto; ego dabo tibi vineam Naboth*: ſequere conſilium meum, ego ſcribam litteras nòmine tuo, & ſignabo annulo Regio, & efficiam, ut lapidetur, & moriatur: ſicque poſſidebis vineam Naboth. Sic dictum, factum. Quid videtur vobis NN. de

(3. Reg. 21. 25)

de hoc conſilio? Numquid verè diabolicum? Numquid oſtendit ſe Jezabel de Synogoga eſſe diaboli? Ejuſdem quòque farinæ fuit Herodias, Herodis pellex, filiæ conſulens, ut peteret caput Joannis Baptiſtæ. De eadem Synagoga ſunt matres, quæ proles impellunt, eiſque conſulunt, ne illatas ſibi injurias inultas relinquant: non ſecùs ac mater illa, quæ, vindictam ſpirans, occiſi mariti ſanguine conſperſum induſium filiis exhibebat, ut occiſoris ſanguinem ſitirent. Similes de Synagoga ſatanæ eſſe, habemus ex ore Regis ſanctiſſimi.

VI. 2. Reg. 19. Semei, poſt mortem Abſalonis, & ipſe reus mortis, ad Davidis pedes proſtratus, ob illatam ei injuriam, & crimen læſæ Majeſtatis, veniam petit. Abiſai, vindictam ſpirans, Regi
2. Reg. 19. conſulit: *Numquid pro his verbis* (antè dictis) *non occidetur Semei, qui maledixit chriſto Domini?* at illi, & adſtantibus David: *Cur efficimini mihi hodie in ſatan?* oſtenditis vos de Synagoga eſſe diaboli. Quid Davidis tempora appello? voſipſos teſtes volo. Numquid, dum crimen aliquod inexpectatum auditis, dicitis: Quiſquis hoc illi ſuaſerit, dederitque conſilium, conſilium diaboli eſt? ſic eſt, inquit D. Gregorius Hom. 2. in
S. Gregorius. Ezech. *Hi, qui illos ad iniquitatem ſuadendo pertrahunt, in ſemetipſos miniſterium dæmonum ſuſcipiunt, quamvis dæmones per naturam non ſint.* Cùm de diaboli Conſiliariis agamus, Synagogæ ſatanæ præſidem in medium produco.

VII. Joannis 11. Collegerunt Pontifices, & Phariſæi conſilium, & dicebant: *Quid facimus, quia* Joan. 11.
hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & Gentem. Unus autem ex ipſis, Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam; nec cogitatis, quia expedit, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat. Quid ſecutum ex illo conſilio? *Ab illo ergò die cogitaverunt, ut interficerent eum*: &'non ceſſaverunt, donec crucifixerint Jeſum, ipſam innocentiam. Malo ſuo conſilio, fundato ſuper maledictum *Expedit*, in partem ſuam traxit Caiphas totum Concilium, omnium malorum, ex illo conſilio ortorum, factus reus. Similes Conſiliarii inveniuntur hodie non pauci, qui ſub palliato *Expedit*, malo ſuo conſilio proximum, meliùs dixero, crucifigunt. Quàm ſæpè hoc videre eſt, dum unus alium excitat, *Neſcis quidquam; quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittis* iſta ſic, ludet tibi turnum, &c. Si eſſem veſtro loco, non permitterem iſta, & iſta: inſidiarer illi: *Expedit* tibi, ut ipſe pereat, quàm Gens tua. Sicque conſilio ſuo tam multum efficit, ut ex illo die alter cogitet crucifigere eum, & immortale oriatur odium. Domine Conſiliarie, ne decipias te ipſum; dico tibi ex parte Dei, reus es coram Deo omnis rancoris, odii, imprecationum, & omnium malorum, quæ indè ſequuntur. Similes Conſiliarii, ſunt tribuni opificum, qui in ſuo conclavi, in ſuo conciliabulo con-

tra commune bonum ſaginare ſe volentes, media ſuggerunt, ut illos deſtruant, & crucifigant: quia expedit illi, ut unus aut alter moriatur homo, & non tota Gens, aut opificium illorum pereat. Non eſt ab herì, aut nudius-tertiùs, quòd ſimiles Conſiliarii reperti ſint. Act. 19. 24. Demetrius quidam nomine, Argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum: quos convocans, & eos, qui hujuſmodi erant opifices, dixit: *Viri ſcitis, quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio:* & videtis, & auditis, quia non ſolùm Epheſi, ſed penè totius Aſiæ, Paulus hîc ſuadens, avertit multam turbam, dicens: Quoniam non ſunt dii, qui manibus hominum fiunt. Hujus Conſiliarii auditis rationibus, omnes repleti ſunt irâ; & impleta eſt civitas tota, confuſione, omnibus contra Paulum, & comites ejus debachantibus. Hæc tranſeo; ſed hoc addo: omnes Conſiliarios ſatanæ non ſolùm cauſam eſſe illorum malorum, quæ conſulunt, ſed etiam omnium malorum, quæ ex conſilio poſteà ſequuntur. Oſtendo id manifeſtè in domo David.

Act. 19. 24.

2. Reg. 13. VIII. 2. Reg. 13. Ammon, filius Davidis, adamabat Thamarem ſororem ſuam, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: Jonadab, videns quòd macie attenuaretur filius Regis, intellectâ causâ, ſuggerit illi, & conſulit, ut cubaret ſupra lectum ſuum, & languorem ſimularet, patremque rogaret, ut Thamar ſoror ejus daret ei ſorbitiunculas, & comederet de manu ejus, ſicque opprimeret eam. Placet conſilium: dimiſſiſque univerſis de cubiculo, prævalens viribus, renitentem oppreſſit ſororem. Hunc inceſtum ut intellexit Abſalom, fratrem ſuum Ammonem, in convivio temulentum, jubet occidi. Quanta ex hoc uno fratricidio orta ſunt crimina! Ingreditur ad concubinas patris ſui, patri mortem machinatur; donec tandem ipſe pendens è quercu, à Joab transfoditur. Quis horum omnium malorum author? Jonadab, perverſus ille Conſiliarius. Quot hodie, qui, videntes Ammonem aliquem impuro ſuccenſum igne erga Thamarem quandam, applaudunt, & media ſuggerunt, quibus ad diabolicum ſuum perveniat intentum, & innocentem puellam ad ſuas inducat libidines? Quot hodie maligni Conſiliarii, qui honeſtas filias pervertunt, & ſeducunt, iiſque hoc miſero tempore conſulunt, ut ſe dent omni libidini, turpis lucri gratiâ? Audiant hæc (ſi non inſurdeſcant in aure cordis) audiant, & ſciant ſe omnium peccatorum, quæ pravo eorum conſilio inductæ committunt, ſe Deo judici rationem reddituros, niſi poſt datum conſilium dedoceant, & diſſuadeant, quæ malè docuerunt, aut conſuluerunt. NN. mei, ſi ſapitis, attendite vobis à *Synagoga ſatanæ*, ne fit vobis in interitum: & ne contingat vobis, quod Regi Ochoziæ.

IX. 2. Paralip. 22. Rex ille impius, cùm uno regnâſſet anno in Jeruſalem, ingreſſus eſt vias domûs Achab, non ſolùm quia mater ejus impulit eum, ut impiè ageret, ſed quia poſt mortem patris Conſiliarios 2. Paralip. 22.

rios habebat, quorum peſſimis conſiliis præbebat auditum: & ideò addit S.Scriptura: *Fuerunt ei Conſiliarii in interitum ejus.* Ad rem noſtram hic facit Epiſtola 38. D. Bernardi ad Comitem Theobaldum: rogabat Bernardus Theobaldum, ut Umberto malè accuſato, & purgato, reſtitueret bona, faceretque miſericordiam: undè urgens eum, ſcribebat:
B. Bernard. *An neſcitis, quia quàm facilè vos Umbertum, tam facilè, imò incomparabiliter faciliùs, Deus Theobaldum (quod abſit) exhæredare poſſit?* Quibus commotus verbis, Umberti ſuſcepit defenſionem; & falſam adverſùs ipſum repulit accuſationem, & uxori ac liberis ejus hæreditatem reddendam diſpoſuit: at fine effectu: undè iterùm Bernardus: *Quis ergò ſuo vel hortatu, vel conſilio tantum robur firmiſſimi pectoris veſtri enervare tentavit? Quis, inquam, veritatis in vobis tam ſanctum, tam eximium, tam omnibus imitabile Principibus propoſitum, evellere ſuâ fraude conatus eſt? Fallaciter, non veraciter vos diligit: fraudulenter, & non fideliter vobis conſulit.* Credite mihi NN. Conſiliarii veſtri, quibus tam facilè aures præbetis; fallaciter, non veraciter vos diligunt; fraudulenter, & non fideliter vobis conſulunt: Conſiliarii ſunt, in interitum veſtrum. Si Bernardo non creditis, Oſeæ Prophetæ credite.

Oſeæ 7. 5. X. Cap. 7. 5. Loquens de impio, & perverſo Roboam, ait: *Extendit manum ſuam cum illuſoribus.* Quinam, obſecro, illuſores illi, quibus malè operatus eſt Rex ille ingratus? Certum eſt, quòd nulli alii fuerint, quàm Conſiliarii ejus, qui à Propheta meritò vocantur *Illuſores*, quia Regi conſulentes mala, illudebant ei, reum illum facientes tot criminum: undè loco *Illuſoribus*, 70ta. legunt: *Peſtibus*: ut unuſquiſque meliùs intelligat, quòd illi perverſi Conſiliarii ſint in peſtem iis, quibus malum conſulunt in ruinam animarum. Teſte S. Ephrem de Malo Linguæ Pag. 101. *Perverſum conſilium, quovis veneno pernicioſius eſt ſuſcipientibus.* S. Ephrem. Undè ſimiles non ampliùs de *Synagoga ſatanæ*, ſed de *Privato* ejus *Conſilio* dixero.

XI. Primum perverſum conſilium, quod mundus audivit, diabolus dedit. Hic Evam aggreditur: Sequere, inquit, conſilium meum; ſi tu, & maritus tuus comederitis de fructu ligni, quod eſt in medio Paradiſi, *Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Gen. 9. 5. Acquieſcit Eva conſilio diaboli, & Adam uxoris inductioni: & ecce, totum illis accidit contrarium; clauſi enim ſunt oculi eorum: & qui erant dii in terra, facti ſunt mancipia diaboli; ac totum genus humanum in tantam ſervitutem devenit, ut nullo modo indè potuerit liberari, niſi Filius Dei incarnaretur, & pro nobis moreretur: quæ omnia malo iſti Conſiliario imputantur. Quod diabolus fecit per Evam, indies facit per ſuos Conſiliarios, quibus utitur tamquàm inſtrumentis, ut alios in peccata inducat, ſicque eos participes faciat, & reos peccatorum alienorum. Similes Conſiliarios paſſus eſt venerabilis ſenex Eleazarus.

XII. 2. Machab. 6. Eleazarus, vir ætate provectus, compellebatur carnem porcinam manducare. At

ille glorioſiſſimam mortem magìs, quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad ſupplicium, deſtinans in corde ſuo, non admittere illicita, propter vitæ amorem: *Hi autem, qui aſtabant, iniquâ miſeratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum ſecretò,*
2. Machab. 6. 21. 22, 23. *rogabant afferri carnes, ut ſimularetur manducâſſe; ut hoc facto à morte liberaretur. At ille conſiderare cœpit ætatis, ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ converſationis actus: & ſecundum ſanctæ, & à Deo conditæ legis conſtituta, reſpondit citò, dicens: Præmitti ſe velle in infernum*: Mali mihi Conſiliarii eſtis, conſilium veſtrum nimis perverſum eſt: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere: ut multi adoleſcentium, arbitrantes Elea-*
Verſ. 24. *zarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum: & ipſi propter meam ſimulationem decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ ſenectuti conquiram*: ac malo meo exemplo multas animas perdam, pro illis Deo reſponſurus: potiùs præmittar in infernum. O generoſam reſolutionem, Eleazaro dignam! Quid ad hoc illi Conſiliarii ſatanæ, qui, ſpretis ſanctæ, & à Deo conditæ legis conſtitutis, pudicis virginibus carnes porcinas conſulunt manducare; imò & ad manducandum compellunt? Quid ad hoc parentes, tutores, amici, qui prolibus, & pupillis diſſuadent Religionis ingreſſum, dicentes, quòd æquè benè Deo ſervire, & ſalvari in ſeculo poſſunt? Quomodò inſurgit in ſimiles Deus.

XIII. Amos 2. Prædicens Iſraëliticis interitum, ob ingratitudinem poſt tot accepta beneficia, inter alia illis improperat: *Suſcitavi de filiis veſtris in Prophetas, & de juve-* Amos 2. 11. 12.
nibus veſtris Nazaræos: numquid non ita eſt, Filii Iſraël? & propinabatis Nazaræis vinum: & Prophetis mandabatis: Ne prophetetis. Nazaræi erant illi, quos Deus elegerat, ſicut modò Religioſos, ut ei perpetuò ſervirent; ut eſſent *Candidiores nive,*
nitidiores lacte, rubicundiores ebore Cant. 4. 7.
antiquo, & ſaphiro pulchriores. His autem parentes (avocare volentes) propinabant vinum, & alia illis illicita proponebant, quibus à Dei cultu avertebantur: & ita in tantùm iram Domini in ſe concitabant, ut diceret: *Ecce ego ſtridebo ſuper*
vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fæ- ✝. 13. 14. 15.
no. Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſalvabit animam ſuam: & tenens arcum, non ſtabit: & velox pedibus, non ſalvabitur: & aſcenſor equi, non ſalvabit animam ſuam. Similibus diaboli Conſiliariis hodie ſcatet mundus. Numquid ita eſt, Patres, & Matres, qui vi, aut occultâ fraude proles à Religione, ad quam illas Deus vocat, avocatis, & ſub prætextu probandæ vocationis, illas lactatis promiſſis, & de ſtatu Religioſo tam malè loquimini, ut de vobis videatur locutus Propheta Regius Pſalm. 36. ✝. 6. *Firmave-*
runt ſibi ſermonem nequam? Auderet Pſalm. 36. 6.
aliquis dicere, quòd ſimiles parentes non reperiantur intra vos? quòd non ſint tales in hac civitate, imò in hoc præſenti auditorio? Utinam non reperiantur! Sed, proh dolor! frequens nimis illorum eſt numerus, qui

qui ſunt de conſilio privato diaboli, & ei in interitum animarum cooperantur: & quidem inter Chriſtianos. Audite deſuper diebus ſuis ingemiſcentum Bernardum: *Amici* D. Bern. *tui, Deus, & proximi tui adversùm te appropinquaverunt, & ſteterunt. Conjuraſſe videtur contra te univerſitas populi Chriſtiani, à minimo uſque ad maximum: à planta pedis uſque ad verticem capitis, non eſt ſanitas ulla. Heu, heu, Domine! quia i ſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum.* Ipſi ſunt de diaboli conciſio privato, cooperantes ei in interitum animarum. Quot fortè de hic ſtantibus, qui ſocios ſuos videntes devotioni deditos, timoratos, & Sacramenta piè, & devotè frequentantes, rident, explodunt, ſeducunt, diſſolutam conſulunt vitam, Sapiem. 2. 6. & ſeq. non ſecùs ac illi Sapient. 2. 6. *Venite, & fruamur bonis quæ ſunt, tamquàm in juventute celeriter; vino, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequàm marceſcant; ubique relinquamus ſigna lætitiæ; marſupium, unum ſit omnium noſtrûm. Non enim eſt, qui revertatur ab inferis.* O conſilium verè diabolicum! Faxit Deus, ut in diebus noſtris juventuti ſimilia non dentur conſilia! Quot hodie, qui Iſaiæ 5. 20. *Dicunt bonum, malum: & malum, bonum!* Quot Abiſai, incitantes 1. Reg. 26. manſuetos Davides ad vindictam! 2. Reg. 16. Quot Mamuchanni, Aſſueris, in Eſther 1. 14. juſtâ accenſis cholerâ in Vaſthi, conſulunt divortium! Quot perverſi Aulici, qui incantant Pharaones, ne divinis mandatis aures præbeant! Quot Jonadab, Ammones, in Thamares obſcœno incenſos igne, modum docent eas opprimendi & media ſuggerunt! 2. Reg 13. Quot Athaliæ, quæ Ochoziis filiis ſuis per iniquas vias 2. Paral 22. 3. patrum ſuorum ingredi ſuadent; imò filios, & filias impellunt, ut impiè agant! Si reſurgeret Michæas Propheta, non minùs modò ſuper tales ingemiſceret, quàm olim:

XIV. Cap. 1. *Super hoc plangam,* Michææ 1. *& ululabo: vadam ſpoliatus, & nudus: faciam planctum, velut draconum, & luctum, quaſi ſtruthionum.* Dicite mihi NN. ſi quis videret inimicum ſuum periculo damnationis expoſitum, numquid ſtatim omni odio depoſito, & offenſâ oblitâ, laborare deberet, ut eum reduceret in viam ſalutis, ne alioquin pejùs videretur tractare animam, quàm jumentum, ad quod manum extenderet, ſi in foveam caderet? Et modò parentes filios, & filias, conſanguinei conſanguineos, amici amicos, viam ſalutis quærentes, tamquàm inimicos pravis ſuis conſiliis ita ſeducunt, ut periculo æternæ damnationis exponant. Sic eſt, ſic hodie vivitur etiam in Chriſtianiſmo. Hæc in ſtuporem dant Regem Salomonem Prov. 16. 29. *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum* Prov. 16. 29. *per viam non bonam.* Non dicit: *Ducit inimicum;* ſed: *Ducit amicum.* O rem horribilem! Quò ruitis Chriſtiani? Quomodò ad tantum pervenitis furorem, ut ad minùs ratione humanitatis non abſtineatis vos ab eo, ad quod ratione conſcientiæ tenemini? Si Deo ſervire nolitis, non ſerviatis: ſi cœlum non curetis, linquite: ſi damnari velitis, damnemini: ſed, inquit D. Greg.

Lib.

S. Gregorius. Lib. 2. Paſt. Adm. 32. *Perditio nobis privata ſufficiat*: vel ſi Dei verba audire velitis, vos alloquitur Ezech.
Ezech 44. 7. 44. 7. *Sufficiant vobis ſcelera veſtra, domus Iſraël.* Et ſi nec hæc moveant animos veſtros, Conſiliarii peſſimi, hoc ſcitote; quòd coram Deo gravioris criminis rei ſitis, & conſequenter magìs puniendi, quàm ipſi delinquentes. Audite Auguſtiſſimum Auguſtinum Tom. 1. Lib. 3. de Libero Arbit. Cap. 10. *Magis iſte in conſentiendo, quàm alter in male ſuadendo peccavit*, Et iterùm paulò
S Auguſtinus. antè: *Graviùs eſt, non ſolùm nullo ſuadente propriâ cogitatione peccare, ſed etiam peccatum alteri per invidentiam, dolumque ſuadere, quàm ad peccatum alterius ſuaſione traduci.* Quòd graviùs peccet hujuſmodi Conſiliarius, patet ex majori pœna, quam ſolet Deus infligere. Peto igitur:

XV. Cur poſt tranſgreſſionem graviùs punita ſit Eva, quàm Adam? De Eva loquitur Chryſoſt. Sermone de Lapſu primi hominis. Tom. 1. *Mulier feritur ſententiâ duplici: altera*
S. Chryſoſt. *râ propriâ, alterâ communi: propriâ, quâ filios parere in dolore præcepta eſt; communi, quâ cum viro morti addicta eſt.* En eumdem comedentes fructum, idem præceptum tranſgreſſi ſunt: imò totum dependebat ab Adam; undè potiùs videtur, magìs puniendus ille, quàm Eva: & tamen Adam ſolummodò morti, & labori corporali adjudicatur: mulier autem, & morti, & labori, & viri ſubjectioni, & partûs doloribus, cæteriſque miſeriis. Quænam hujus differentiæ ratio? Quia non ſolùm peccavit Eva, ſed Adæ conſuluit peccatum. Quàm verè Eccleſiaſticus 27. Cap. ait: *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet: & plaga doloſa, doloſi dividet vulnera: & qui foveam fodit, incidet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum devolvetur, & non agnoſcet undè adveniat illi.* Probam hujus, dabunt mali Conſiliarii, de quibus ſuprà. Eccli. 27. 27. Verſ. 29. 30.

XVI. Quis finis fuerit peſſimi illius Conſiliarii Aman, non eſt, qui neſciat; dum mortem machinatur hebrææ Genti, ſibi accelerat violentam mortem, pendens infame ſpectaculum in eo, quod præparaverat Mardochæo, patibulo. Non miremini, inquit S. Athanaſius in Evang. de Paſſ. & Cruce: *Ipſa malitia contra ſui uſurpatores militat, eoſque, qui ipſam tenent, magìs quàm illos, in quos noxam parat, conſaucìat.* Quid contigerit Achitophel, narrat ſacer Textus 2. Reg. 17. de eo inter Patres ſolus loquatur Theodor. Q. 53. *Dedit Achitophel pœnas illius impiæ, & nefariæ ſuaſionis: & quoniam in patrem armavit filium, ipſe rurſus ſuas in ſe armavit manus; & iis laqueum collo injiciens, miſerrimum ſuſtinuit finem.* Quàm fuerit infelix mors Jezabelis, 4 Reg. 9. 33. SS. Paginæ teſtantur. Eſther 7. 10. S. Athanaſ. 2. Reg. 23. Theodoret. 4 Reg. 9. 33.

XVII. Peſſimum, & ſummè diabolicum Concilium, quod mundus vidit, fuit Concilium adversùs Jeſum de quo Joannis 11. Illud prævidens Jacob in ſpiritu, & cognoſcens malignos illos Conſiliarios deſcenſuros de duobus filiis ſuis Simeone, & Levi, juxta illud D. Thomæ in Gen. *De Simeone fuerunt* Joan. 11. D. Thomas.

adin-

D. Thomas. *adinventatæ ſectæ Phariſæorum: Pontifices autem, manifeſtum eſt de tribu Levi fuiſſe*: In extremis benedicturus filiis, præſentia tangens, inquit Auguſtinus, & futura proſpiciens, magno cordolio, ait: Gen. 49. 5. *Simeon, & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia; in concilium eorum non veniat anima mea.* Quaſi diceret prævideo poſteros filiorum meorum collecturos concilium *Adverſus Jeſum*, ſub prætextu boni communis; aliud tamen non intendentes, quàm crudelem mortem innocentiſſimi Jeſu: *Quia in furore ſuo occiderunt virum*; ideò proteſtor: *In concilium eorum non veniat anima mea*; ſed econtrà: *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura.* Quæ maledictio in Judæis miſerum ſortita eſt effectum. *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt: ac ſic utrumque amiſerunt.* Auguſtinus Tract. 49. in Joann. Faxit Deus, ne idem ipſe multorum Chriſtianorum deplorandus ſit caſus, dum totus quaſi mundus *Colligit concilium adverſus Jeſum*: teſte Gregor. Lib. 9. Mor. *Habet concilium ſuum omnis iniquus: præſentia appetere, æterna deſpicere, injuſta agere, juſta deridere.* Cùm autem Chriſtiani tam ſiniſtrè procedant in ſuis conciliis, ut faciant *Contra Jeſum*, potiùs, quàm pro Jeſu, quid mirum, quòd omnia ſuccedant ſiniſtrè, tam temporaliter, quàm ſpiritualiter? cùm idipſum minetur Deus Iſaiæ 30. 1. *Væ filii deſertores! dicit Dominus, ut faceritis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum. Qui habet aures audiendi, audiat.*

Gen. 49. 5. — S. Auguſtinus. — Verſ. 6. — Verſ. 7. — S. Auguſtinus. — S. Gregorius. — Iſaiæ 30. 1. — Matth. 13. 9.

FERIA V. DOMINICÆ I. ADVENTUS.

De Juſſione, ſecundo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Secundum peccatum Alienum committitur *Juſſione*, quâ quidem aliquis opus malum non facit per ſemetipſum, ſed imperat alteri, in quem habet poteſtatem jubendi: hujuſmodi ſunt Reges, Principes, Magiſtratus, Parentes, Domini, Patresfamilias reſpectu ſubditorum, qui omnes participant tranſgreſſiones, quas juſſione ſuâ cauſant. Peccato *Juſſionis* peccatur duobus modis: ore, & opere.

I. PRimum ergò peccatum alienum committitur malo conſilio. Quidam, qui illo peccato peccant, *De Synagoga ſatanæ* dicuntur: quidam *De concilio* ejus *privato*. *De Synagoga ſatanæ* ſunt, qui malè conſulunt; ſicut Aman, Achitophel, Jonadab, Jezabel, Caiphas, &c. *De concilio* ejus *privato*, qui conſulunt in interitum animarum, de omnibus Deo rationem reddituri in judicio. Date veniam (ſi qui præſentes) ut illis

Ezech 44. cum Ezechiele iterùm dicam: *Sufficiant vobis ſcelera veſtra, domus* S. Gregorius. *Iſraël:* cum D. Gregor. *Perditio vobis privata ſufficiat*; ſi vos damnari velitis, nolite damnare alios innocentes: quia dico vobis, quòd coram Deo rei ſitis gravioris criminis, adeòque magis puniendi, quàm ipſi delinquentes. Venio ad ſecundum peccatum alienum: quod ne nominare quidem intendo, niſi priùs interpellavero illam, cui dixit Angelus: *Ave.*

II. Secundus titulus quem Iſaias dat Verbo Incarnando, eſt: *Princeps*; non enim ſolùm datus eſt nobis Chriſtus *Conſiliarius*, aut Doctor, Iſaiæ 9. 7. ſed & Legiſlator, habens authoritatem nos obligandi ad ſua præcepta: Iſaiæ 33. 22. prout ipſe Iſaias aſſerit Cap. 33. *Dominus Judex noſter: Dominus Legifer noſter: Dominus Rex noſter: ipſe ſalvabit nos.* Factus homo novam condidit legem, ſcilicet Evangelicam, ut ſecundùm illam ſalvet nos. Non ſolùm autem ipſe eſt nobis Legiſlator, ſed & aliis dedit poteſtatem, ut ſubditis ſuis mandent, præcipiant, & in conſcientia ad obſervantiam mandatorum obligent. Hujuſmodi ſunt Apoſtoli, & eorum ſucceſſores: *Qui* Lucæ 10. 16. *vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hujuſmodi ſunt Reges, Principes, & Magiſtratus legitimè inſtituti. Hujuſmodi ſunt Parentes, Domini, Patres-familias reſpectu ſubditorum. Dedit autem Deus talem poteſtatem hominibus, primò ut declaret ſuam bonitatem, participes eos faciens ſuæ poteſtatis: Secundò, ut participes faciat bonorum operum ſubditorum. Quidquid enim ſubditi ex tali præcepto faciunt, ſuperiores mandantes fiunt illius participes. Deus autem imperat nobis, ſicut Rex in regno; ſuperiores, ſicut Principes, & Duces à Rege conſtituti. Si verò contingat Regem regno expelli à tyranno, ipſe jam tyrannus imperat cum tyrannide: & alios Duces, ac ſuperiores conſtituit, qui etiam ad ſuum beneplacitum tyrannicè populo imperant. Hujuſmodi tyrannus, diabolus eſt, qui Dominum Deum ex ſuo regno, id eſt, corde humano, conſentiente homine, quodammodò expellit, & tunc ipſe tyrannicè imperat, & quaſi ad omnia mala impellit: quia *Captivi tenentur ad ipſius voluntatem* faciendam. 2. Timot. 2. Conſtituit autem & alios, qui ſubditis malè imperant, & tyrannicè eos ad mala cogunt. Sicut ergò Chriſtus ſuam cathedram habet, ſic habet & ſuam diabolus, quæ *Cathedra peſtilentiæ* dicitur; in illa ſedet ipſe, & omnes ejus coadjutores, qui jubent contra legem Dei, & jubendo participant malitiam omnium tranſgreſſionum illarum, quarum ſunt cauſa. Hoc eſt ſecundum peccatum alienum, quod committitur *Juſſione*, quâ quidem aliquis opus malum non facit per ſemetipſum, ſed mandat alteri, in quem habet poteſtatem jubendi. Duobus autem modis jubere quis poteſt; verbo ſcilicet, & opere. Incipiamus de illo ſecundò peccato alieno hodie: cras, & perendie Deo dante, latiùs de eodem acturi dénuò. Præbete benignas aures.

2. Tim. 2. 26. Pſalm. 1. 1.

III. Excandeſcit Evangelicus Propheta in iſtos ſedentes *In Cathedra peſtilentiæ*, & diabolicos legiſlatores Cap. 10. *Væ*, inquit, *qui condunt leges* Iſaiæ 10, 1.

ges iniquas. Sunt pauca quidem verba, ſed quæ ſufficienter innuunt, quomodò à juſto judice puniendi ſint, qui alios peccare jubent, & tranſgredi leges, ad quarum obſervantiam in conſcientia tenentur. Talis fuit Pharao, qui Exod. 1. præcepit obſtetricibus: *Quando obſtetricabitis Hebræas, & partûs tempus advenerit, ſi maſculus fuerit, interficite eum: ſi fœmina, reſervate.* Quod mandatum, licèt obſtetrices, timentes Deum, non impleverint, Pharao mandando tot commiſit homicidia, quot fuiſſent infantes occiſi. Talis fuit Saul 1. Reg. 22. jubens occidi Abimelech Sacerdotem Dei, cum aliis 85. veſtitis Ephod lineo; quod Regis præceptum, cùm ſervi implere nollent, neque in Sacerdotes Dei, manus extendere, impius Doëg *Irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa 85. viros veſtitos Ephod lineo. Nobe autem civitatem, percuſſit in ore gladii: viros, & mulieres, & parvulos, & lactantes.* Licèt Doëg horrendum hoc ſacrilegium per ſemetipſum commiſerit, Saul tamen mandando, omnium homicidiorum factus eſt reus. Sed cùm hi Reges reprobi ſint, illos pertranſeo. Audite, quid Dei Propheta dicat uni, alioquin probæ & ſanctæ vitæ. De Davide loquor.

Exod. 1. 16.

1. Reg. 22. 18. 19.

IV. 2. Reg. 12. Commiſſum cum Berſabea adulterium, & Uriæ homicidium illi improperat Nathan: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego unxi te in Regem Iſraël, & ego erui te de manu Saul,* &c. *Quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo? Uriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.* Quibus auditis, confitetur peccatum ſuum, dicens: *Peccavi Domino.* Quid ais David? Tune Uriam percuſſiſti gladio? Tune occidiſti eum gladio Ammonitarum? econtrà, vocâſti eum è caſtris ad aulam Regiam, & habitâ ratione, quomodò ibidem ageretur, miſiſti ad eum cibum Regium; imò die altero illum vocâſti, ut comederet coram te, & biberet, ita ut inebriaveris eum: quomodò ergò occidiſti eum? Dicam: videns, quòd Urias inebriatus, & cibo Regio nutritus non deſcenderet in domum ſuam, *Scripſit David epiſtolam ad Joab: miſitque per manum Uriæ, ſcribens in epiſtola: Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, ut percuſſus intereat.* Ideò vocat eum Nathan homicidam; ideò non dicit: Ammonitæ occiderunt Uriam, ſed tu eum occidiſti gladio filiorum Ammon, ſcilicet per juſſionem tuam. NN. antequàm ad ædes veſtras deſcendam, voſque interrogem quot gladio occideritis, cogor tantiſper in aula Davidis manere, & indè ad aulam Achab tranſire, ibique aliquos declarare homicidas.

2. Reg 12 8. 9.

2. Reg. 11. 14. 15.

V. 2. Reg. 13. Abſalom, propter inceſtum cum Thamare ſorore ſua, Ammonem fratrem ſuum oderat ad mortem. Vindicaturus ſcelus, invitat Ammonem ad convivium, & omnes filios Regis; præcipitque pueris ſuis, dicens: *Obſervate; cùm temulentus fuerit Ammon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite; nolite timere: ego enim ſum, qui præcipio vobis.* Benè dicit: *Ego*

2. Reg. 13. 28.

Ego ſum, quia ipſe fratricida, ipſe percuſſor; illi gladio, ipſe juſſione. 3. Reg. 21. Naboth, ob negatam Regi vineam lapidatur. Quis eum occidit? Quis lapidavit? Achab? Non: Jezabel? Non: Quomodò ergò SS. P. ELIAS ex parte Dei Regem homicidam dicit: *Occidiſti, inſuper & poſſedisti*. 3. Reg. 21. 19. Quomodò ELIAS Achab occiſorem dicit, cùm à falſis teſtibus, juſſu Jezabelis, accuſatus, lapidatus ſit? Fateor, litteras ſcripſit Jezabel, ſed nomine Achab annuentis; & indubiè jubentis; & ideò ipſa rea eſt, & ipſe reus, uterque homicida; quia Achab ſecutus conſilium Jezabel, juſſit illud executioni mandari: eſt enim regula Juris: *Quod quis per alium facit per ſeipſum facere videtur*. Dum veſtras ad ædes deſcendo NN. mei, ne dicatis: Nec Reges ſumus, nec jubemus talia: licèt enim non ſitis coronata Capita, poſſem tamen oſtendere (culpabiles alloquor) quod multa in vita veſtra commiſeritis homicidia, quamquàm nec gladio, nec cultro uſi fueritis. Cogitate, quot non ſolùm fuſtibus excipi, ſed per tertiam manum occidi juſſeritis, quorum omnium coram Deo rei eſtis: cogitate, quot mandantibus vobis obierint ob paſſas perſecutiones? Scio quidem ſimilia homicidia non eſſe adeò frequentia; reſpondete ergò ad ea, quæ ſatis vobis familiaria; ad furta, rapinas, mendacia, & cætera quæ in domo veſtra committuntur, in quibus non ſolùm partem habetis, ſed & quæ maximè vobis imputantur, licèt ab aliis fiant; mandatis famulis, & ancillis, ut, merces emendo, & vendendo, fraudes committant; prohibetis, ne juſtam menſuram dent; ne latentia vitia mercium pandant, ſed potiùs jurent, & perjurent; omnium illorum rei eſtis. Jubetis ſubditos veſtri cauſâ mentiri, quòd domi non ſitis; & alia multa, quæ me meliùs nôſtis: peccatis peccato alieno, & omnia illa mendacia, juramenta, &c. erunt ad computum veſtrum. Peccato Juſſionis peccant parentes, qui proles ſuas ad malum impellunt, & ruinam earum procurant; quos S. Chryſoſt. Lib. 3. contra Vitup. alloquitur: *Utinam hoc tantùm culpæ eſſet, nihil utile parentes liberis conſulere: poſſet id, quamquàm graviſſimum ſit, aliquatenùs tolerari; nunc verò, illos ad ea, quæ ſaluti ſunt adverſiſſima, impellitis, & acſi deditâ operâ liberos veſtros perdere omni ſtudio curaretis, ita univerſa illos jubetis facere; quæ, qui faciunt, ſalvi eſſe non poſſunt*. S. Chryſoſt. Lex Evangelica, quam cum lacte deberetis inſtillare filiis veſtris, intonat minas horribiles æternæ damnationis, quæ divites manent: *Væ vobis divitibus*! Lucæ 6. 24. Et vos econtrà, ab annis puerilibus ipſis inculcatis, aliena retinenda, totamque felicitatem ſitam eſſe in conquirendis divitiis. Evangelium dicit: *Recumbe in noviſſimo loco*: Lucæ 14. 10. & vos illis oppoſitum perſuadetis, & ut nulli cedant, mandatis. Evangelium mandat: *Diligite inimicos veſtros*: Matt. 5. 44. & vos continuò illis ſuggeritis, ne vel minimum quid inultum relinquant, ſed illatas injurias vindicent: & ſic de cæteris; rationem Deo in judicio reddituri de omnibus, utpotè omnium facti participes. Peccato Juſſionis etiam peccant Patres-familias, qui diebus Domi-

Dominicis, & Feſtivis, contra Dei & Eccleſiæ præcepta, ſubditos ſuos cogunt operari; in eo facti inſignes collegæ diaboli. Superbus ille Lucifer, qui à principio voluit aſſimilari Altiſſimo, diabolus factus, non modò aſſimilari illi, ſed & ſuperare eum nititur, dum tributum, quod ab hominibus exigit Deus per obſervantiam Feſtorum, à Deo auferre, & ſibi tribui contendit: conjuratis ſuis dæmonibus, & collegis, qui de Synagoga ſunt ſatanæ, proponens: *Quieſcere faciemus omnes dies Feſtos Dei à terra.* Collegæ, faciamus, ut Feſta non ſint ampliùs Feſta Dei, ſed noſtra; quod inſigniter exequuntur illi, qui ſubditis ſuis, Dominicis, & Feſtis opera ſervilia præcipiunt. Vultis vobis unum talem nominari?

Pſalm. 73. 8.

VI. Exodi 5. 1. 2. Moyſes ex parte Dei dicit Pharaoni: *Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto.* At ille ait: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.* Econtrà, mittit illos ad opera ſolita. *Ite ad onera veſtra:* præcepitque Præfectis operum, ut cogerent eos colligere paleas, ac operibus eos ſervilibus, opprimerent. Idipſum frequenter nimis contingit hodie: mandat Eccleſia, ut omnes abſtineant ab opere ſervili diebus Feſtivis; ut Deo ſacrificent, & ſaluti animarum incumbant: at diabolus, per miniſtros ſuos mandat: *Ite ad onera veſtra.* Quàm indignarentur mihi ſimiles Patres-familias, licèt genere Nobiles, ſi illos Operarios, & Mechanicos dicerem? & tamen coram Deo ſunt tales.

Exod. 5. 1. 2.

Verſ. 4.

VII. Actorum 4. 10. Petrus cum Joanne aſcendens in templum, claudum à matris utero, ſanat: ſtupentibus deſuper Judæis, ait Petrus: *Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël, quia in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.* Numquid hoc milites fecerunt NN? Dixerant enim ipſi: *Nobis non licet interficere quemquam.* Quomodò ergò dicuntur illi Chriſtum crucifixiſſe? Quia mandârunt militibus, ut crucifigerent, ideò dicuntur crucifixiſſe. Domini mei Patres-familias, dum famulis, & ſubditis veſtris, Dominicis, & Feſtis opera ſervilia præcipitis, & ita occupatis, acſi non Eccleſiæ præcepto, ſed arbitrio veſtro, ſacræ, aut non ſacræ dies forent, putatis vos talia mandantes non diſtineri illis laboribus? Dico vos magis, quàm quemcumque de familia veſtra, operari: non enim geminâ dumtaxat manu, ſed tot manibus laboratis, quot familiares habetis, qui imperio veſtro toti ſunt in laboribus. Undè dico vos coram Deo operarios eſſe, & opus exercere mechanicum: & licèt Nobiles ſitis, vos Sartores, Piſtores, &c. eſſe, dum illos operari jubetis. Et vos, Mechanici, dum famuli veſtri juſſione veſtrâ dictis diebus tam liberè operantur, acſi dies forent Feriales, ne alioquin, ut dicitis, mercantium infrequentiam patiamini, & vos operamini, & graviter Deum offenditis. Utinam Cæſarius Arelatenſis hodie meo loco ad vos

Act. 4. 10.

 diceret,

diceret, eo ſpiritu, quo quondam ad populum ſuum Arelatenſem! Cæſarius Arel. Videns hic S. Præſul exiguam reverentiam, & reſpectum erga Feſta, ſuos de cathedra alloquitur: Filii, & Fratres mei, nimis impium eſt, quòd Chriſtiani non tantum deferant diei Dominicæ, quantum Hebræi Sabbato: præcepit illis Deus, quod & obſervant, Exodi 20. 10. Exodi 20. 10. *Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua*: ſi infelices illi tam exactè colant Sabbatum, ut ab omni opere, etiam minimo abſtineant, quantò magis 1. Pet. 1, 18. nos Chriſtiani? *Non corruptibilibus auro, aut argento redempti, ſed pretioſo Sanguine, quaſi Agni immaculati, Chriſti*, deberemus Dominicâ die, quæ in honorem ejuſdem Salvatoris hebdomadatim colitur, attendere, non ad terrena lucra, ſed ad cultum divinum, & intereſſe animarum noſtrarum? Et modò inſtitores, & opifices, contra Dei & Eccleſiæ præceptum, audent officinas habere apertas, emere, & vendere, acſi dies Dominicæ, dies Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni forent. Scio dari caſus, in quibus detur occaſio diſpenſandi; hoc enim & Chriſtus Dominus manifeſtum fecit in ſuis.

VIII. Matth. 12. 1. Abit Jeſus Matth. 12. 1. per ſata Sabbato: *Diſcipuli eſurientes, cœperunt vellere ſpicas, &* Verſ. 3. *manducare. Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce Diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.* Quærit hîc D. Chryſoſto- S. Chryſoſtomus. mus: *Quare per ſata Sabbato ducebat?* Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: *Quia volebat ſolvere Sabbatum; volebat quidem, ſed non ſimpliciter: ideòque non ſine cauſa id ſolvit, ſed dans occaſionem rationabilem, ut & legem ceſſare faciat, & legem non offendat; & ideò, ut Judæos mitiget, naturæ neceſſitatem præmittit: & hoc eſt, quod dicitur: Diſcipuli autem eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare.* Volebat Chriſtus in rigoroſa lege Sabbati diſpenſare, ſed ne ſcandalizarentur Judæi, nolebat hoc facere ſine cauſa: & ideò *Famem inducens, Diſcipulos ab omni accuſatione liberat.* Undè, ut oſtenderet ſe legem non tollere, ſed in lege diſpenſare illos interrogat: *Non legiſtis, quid fecerit David, quando* Verſ. 4. 5. *eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus? Aut non legiſtis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt?* Hinc colligant hi, ad quos ſpectat diſpenſare in obſervantia Feſtorum, quòd, ſi velint excuſari à mortali, neceſſitas debeat eſſe vera, & non ficta: talis autem erit, quandò alio modo non poteſt ſubveniri indigenti, nec opus in aliud tempus moraliter differri. At modò ex licita diſpenſatione tanta trahitur facilitas operandi, ut vix detur obſervantia Feſtorum. Dicite, obſecro: Eſtne neceſſitas, quæ in aliud tempus differri non poteſt, dum ſartor majoris lucri causâ operatur à veſpera Sabbati, uſque ad medium diem Dominicum?

minicum? Diceturne neceſſitas calceandi decem, aut duodecim equos, quia diſpenſatur in uno, itineris faciendi causâ? Quia parvitas rei, aut temporis excuſat à peccato Barbitonſorem, radendo unum, aut alterum, eritne ideò ei licitum, radere toto tempore matutino, & plus temporis tonſioni impendere Feſtis diebus, quàm ipſis Ferialibus, ſic ut famulis vix ſuperſit tempus Sacrum audiendi? Quia, dum meſſis periculum patitur, permittitur Meſſoribus meſſem colligere, dicetne idcircò civis, etiam minimam neceſſitatem laborandi, ipſum excuſare à peccato, & ſe ſuos cogere poſſe ad operandum? Attendant tales, ne ſibi contingat, quòd filiis Heli, retrahentibus homines à ſacrificiis. Attendant & famuli, ne & ipſi, ſimilibus obediendo, peccent peccato alieno, & proprio.

IX. Cùm ſubditorum ſit obedire præpoſitis etiam diſcolis, nec illis ſemper ſit licitum ſcrutari, an, quæ mandantur legi Dei, conſentanea ſint, nec ne, ſæpè fit, quòd quædam ſine peccato impleant, eò quòd ſimpliciter obediant: undè quàmdiu eis de contrario non conſtat, piè obediunt. V. G. in homicidio Uriæ Hethæi, poterat Joab mandatum Davidis exequi ſine peccato; ſciebat enim David virum ſanctum, & pium, quòdque geſtaret gladium, id eſt, quòd haberet poteſtatem in nocentes; conſequenter poterat argumentari: Offenderit fortè Urias Regem, undè morte eſt dignus: at ob rationes animum ejus moventes, cùm fidelis ejus fuerit miles, non vult Rex eum punire publicè, parcens ejus honori (ut ſæpè videre eſt in iis, qui decapitantur in carcere) & ideò mandat mihi, ut intereat ſine ignominia, ut ſic juſtitia cum miſericordia miſceatur: ſicque excuſabatur Joab à culpa, David autem reus erat homicidii. Dixi: *Quando ſubditis non conſtat de contrario*, vel quando eis invincibiliter non conſtat; alioqui ignorantia craſſa, & ſupina, illos non excuſat: ſæpè enim ſuperiores aliqua mandant, quæ ſubditi facilè ſcire poſſunt, & debent, ſe non poſſe abſque peccato implere: & tunc abſque dubio obediendo peccant. Tale mandatum fuit Pharaonis, de occidendis infantibus; cui benè noluerunt obedire obſtetrices, & à Deo benedictæ ſunt, Regi non obtemperantes. Subditi, Famuli, Ancillæ, &c. ab his diſcite non obedire mandatis, quæ contra legem Dei ſunt: diſcite ab Eccleſiæ viſibili Capite, cujus membra eſtis, ſimilibus non obtemperare. Exodi 1.15.16.

X. Act. 4. 19. Poſt claudi curationem, prædicantibus Apoſtolis Jeſum, comminantur eis Sacerdotes, & Magiſtratus templi, ne ultrà loquantur in Nomine hoc ulli hominum. Petrus, & Joannes reſpondentes, dixerunt ad eos: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, judicate: non enim poſſumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui.* Iterùm Act. 5. 28. cùm multa per Apoſtolos, & maximè per Petrum fierent ſigna, miſſi in carcerem: ab Angelo educuntur, & ob prædicationem Act. 4. 19.

tionem iterùm apprehenſi, à Magiſtratu, & miniſtris adducuntur in concilium: *Et interrogavit eos Princeps Sacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in Nomine iſto: & ecce repleſtis Jeruſalem doctrinâ veſtrâ. Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli, dixerunt: Obedire nos oportet Deo magis, quàm hominibus.* Sic, ſic reſpondendum eſt jubentibus contra Dei, & Eccleſiæ præcepta; alioquin juſſus peccabit cum jubente: magis tamen jubens, omnium ſcilicet tranſgreſſionum, ex ejus juſſione provenientium, futurus particeps. Sed ut ad ſecundam partem deſcendamus, peccaturne ſolummodò peccato Juſſionis, *Verbo*? Etiam *Opere*; & illo maximè.

Act. 5. 28.

XI. Gen. 3. 1. Serpens amplâ oratione utitur, ut Evam ad pomi vetiti comeſtionem inducat: *Cur præcepit*, inquit, *vobis Deus*, &c. *Aperientur oculi veſtri: Eritis ſicut dii.* Non miror, quòd Eva poſt tot blandimenta, & promiſſiones tandem conſentiat: ſed quid eſt, quòd Eva maritum tam facilè ad tranſgreſſionem inducat? Ne vel verbum loquitur ei ampliùs ſerpens, & tamen ſtatim comedit & mortis ſententiam incurrit. Quomodò hoc, ſi nulla impellens tentatio præceſſerit? Videbat Adam Evam comedentem, quæ exemplo ſuo ſtatim traxit maritum: nec mirum: quia *Verba movent, exempla trahunt*: imò, ut inquit D. Cyprianus de Dup. Mart. *Efficacius eſt vitæ, quàm linguæ teſtimonium; habent & opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam.* Et ideò dicitur Eva

Gen. 3. 1. Verſ. 5. S. Cyprianus.

cauſa Adæ peccati, quia exemplo ſuo juſſit eum divinam legem tranſgredi. N. In conſortio multorum juras, & execraris Deum, & Sanctos; detrahis proximo in re graviſſima; rides Papiſtas, Miſſam, Confeſſionem, Sacramenta, ipſam Eccleſiam. Jurant etiam præſentes, proximo detrahunt, ſimiliter tecum rident Papiſtas, Sacramenta, Jejunia, &c. Dico te horum omnium reum eſſe, atque omnia illa peccata aliena incurrere juſſione tuâ, licèt eos ad illa non fueris exhortatus: imò nec verbum locutus: *Efficacius eſt enim vitæ, quàm linguæ teſtimonium; habent opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam.* Malo exemplo tuo jubes, imò cogis alios peccare. Hoc fortè mirum tibi videbitur, ſed probo, quod aſſero.

XII. 1. Reg. 26. 15. Venit David ad locum, in quo erat Saul dormiens; tulitque David haſtam, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul: ſtanſque de longè, clamavit ad Abner: *Quare non cuſtodiſti Dominum tuum Regem?* ex quo clamore excitatus Saul, cognovit vocem David, & dixit: *Numquid vox tua eſt, Fili mi David?* Et ait David: *Vox mea, Domine mi Rex.* Et ait: *Quam ob cauſam Dominus meus perſequitur ſervum ſuum? Quid feci, aut quod eſt malum in manu mea? Nunc ergò audi, Domine mi Rex, verba ſervi tui: ſi Dominus incitet te adverſùm me, odoretur ſacrificium: ſi autem filii hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini, qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes:*

1. Reg. 26. 15. Verſ. 17. 1. Reg. 26. 19.

dicentes: Vade, ſervi diis alienis. Non eſt homo, qui vivit, qui mihi monſtret in toto illo Libro Regum ab aliquo dictum fuiſſe Davidi: *Vade, ſervi diis alienis.* Quo ergò ore aſſerit id David? Theodoretus, & Procopius aſſerunt, Davidem hoc verè dixiſſe: *Dicentes non verbis, ſed factis*; fugando enim Davidem ex Judæa, cogebant eum fugere ad Philiſthæos, aliaſque Gentes, à quibus David ſollicitabatur ad colendum idola illorum. Ita etiam Cornelius. Parentes, qui filios domi tam durè tractatis, ut cogantur fugere ad partes hæreticas, imò eò mittitis causâ mercaturæ, quid hoc eſt dicere, niſi: *Vade, ſervi diis alienis*? Et vos, Matres, quæ vultis, imò cogitis filias vobiſcum intereſſe *Converſationibus* (ut vocant) quas Auguſtinus, & Tertullianus intitulant *Territorium diaboli*: numquid hoc eſt dicere: *Vade, ſervi diis alienis*? Dico vobis, in omnibus impuritatibus, laſciviis, diſcurſibus, diſſolutis verbis, detractionibus ibidem fieri ſolitis, participatis, & proles veſtras tales eſſe cogitis: iterùm dico: cogitis; & ne miremini, quod hoc vobis improperem; Paulus idipſum improperat Petro in faciem.

Theodoretus. Procopius. Cornelius. S. Auguſtinus. Tertullianus.

XIII. Gal. 2. 14. 15. Cùm Petrus veniſſet Antiochiam, Paulus reſtitit ei in faciem: *Quia*, ut ait, *reprehenſibilis erat*: prius enim, quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat ſe; timens eos, qui ex circumciſione erant: cui ſimulationi conſentiebant cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Cùm vidiſſet Paulus, quòd non rectè ambularent ſecundùm veritatem Evangelii, dicebat Cephæ coram omnibus: *Si tu, cùm Judæus ſis, Gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodò Gentes cogis Judaizare?* Gal. 2. 14. 15. Super his verbis non modica difficultas orta eſt inter DD. Hieronymum, & Auguſtinum. Hieronymus opinabatur, obſervantias legales, quæ vivebant ante Chriſti Paſſionem, poſt mortem Domini non ſolùm mortuas fuiſſe, ſed mortiferas: undè practicari non poterant ſine peccato. S. autem Auguſtinus, cui adhæret Doctor Angelicus, tria ponit tempora; primum ante Paſſionem, quo ceremoniæ legales vivebant. Secundum immediatè poſt Paſſionem, & ante ſufficientem promulgationem Evangelii, quo tempore mortuæ quidem, non tamen erant mortiferæ; adeòque, licèt non eſſet obſervandi obligatio, obſervando tamen non peccabatur. Tertium poſt promulgationem veritatis Evangelicæ, quo & mortuæ erant, & mortiferæ, quia ſub gravi culpa prohibita erat earum obſervantia. Sic *Synagoga mater, cum honore erat ad tumulum deducenda*, inquit S. Auguſtinus. Huic obſervantiæ nimis tenaciter adhærebat Petrus: undè opinatur Auguſtinus peccâſſe Petrum venialiter, ideòque à Paulo reprehenſum: *Quomodò Gentes cogis Judaizare?* S. Auguſtinus. Quo, quæſo, pactò coëgit Petrus Gentes Judaizare? An illis fortaſſis præcepta dedit? aut cenſuris ad legalium obſervantiam adegit? Non hoc, inquit D. Tho-

mas; ſed vis, quam eis intulit, erat exemplum, quod dabat: D. Thomas. *Cogis Gentes, non quidem imperio, ſed tuæ converſationis exemplo: & dicit: Cogis; quia, ut Leo Papa dicit, validiora ſunt exempla, quàm verba.* N. cujuſcumque ſtatûs, aut conditionis es, ſignanter, qui aliis præes, dum legem Dei tranſgrederis, impudica exerces, &c. cogis Gentes Judaïzare: cogis te videntes, aut ſcientes mala tua veſtigia, ea premere: cogis, *Non quidem imperio, ſed tuæ converſationis exemplo*: quia validiora ſunt exempla tua mala, quàm verba. Idipſum improperavit Deus ſuo Davidi.

XIV. 2. Reg. 11. 27. Peccat hic cum Bethſabee: adulterio additur homicidium: occiditur Urias: illa, de mariti morte edocta, lacrymas 2. Reg 11. 27. fundit; at *Tranſacto luctu, miſit David, & introduxit illam in domum ſuam; & facta eſt ei uxor. Diſplicuit verbum hoc, quod fecerat David coram Domino*: & per Nathan in David ſic invectus eſt Do- 2. Reg 12. 12. minus: *Uriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi; quam ob rem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum; eò quòd deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut eſſet* Procopius. *uxor tua.* Addit Procopius: *Deum plùs hoc conjugio offenſum eſſe, quàm adulterio.* Sed quomodò, ſi ſit inter ſolutum & ſolutam? Pandant alii mentem ſuam; dico ego cum graviſſimis Authoribus, ideò diſplicuiſſe, quia ſcandalum interceſſit. Per hoc enim matrimonium, manifeſtè peccatum à ſe commiſſum oſtendit: & facilè quiſque conjicere potuit tranſactum adulterium, dum privati militis uxorem, Regem ſibi in ſponſam ducere videbat. Tunc quilibet dicere poterat: Jam capio, quid velint continui nuntii, ad Bethſabee miſſi; jam penetro, cur Urias ab exercitu revocatus fuerit; miſer ille, quia ædes ſuas ſubire noluit, perire debuit. Tunc indubiè multi ſcandalizabantur, quòd Propheta, quòd Rex ſummè ſanctus uxorem miſeri ſubditi raperet, eumque miſerè occidi juſſiſſet: ſicque anſam dedit, de Prophetis, & Dei ſervis murmurandi, & impiam linguam in cœlum contra Altiſſimum torquendi, quòd adulteris, & homicidis amicitiam exhiberet, ac beneficiis cumularet. Hinc Nathan Propheta, ex parte Dei ei ſic fuit locutus: Quia pœnituiſti, quia delictum tuum agnoviſti, & deploràſti, ideò Deus peccatum tuum remiſit, nec morieris: *Verumtamen, quoniam blaſphemare* Verſ. 14. *feciſti inimicos Domini, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Delentur cætera peccata, cùm dicit: *Peccavi*; ſed pœnam ob ſcandalum contractam non remittit: quod Salvianus teſtatur, cùm inquit: *Qui* Salvianus. *æternam pro offenſionibus ſuis pœnam propter unam tantùm confeſſionem meruit evadere, hujus tamen criminis veniam nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare.* Hinc patet, quàm verum ſit, quod ait D. Gregorius: *Gravabunt te aliena, cùm remiſſa fuerint tua.* S. Gregorius. Gravabant Davidem aliena, cùm remiſſa haberet ſua; occiderat David gladio Ammonitarum unum Uriam,

riam, malò autem ſuo exemplo tot animas occiderat, quot ſuo adulterio ſcandalizaverat, & in ruinam traxerat; & illa ipſi improperat Dominus. Utinam, utinam, Scándaloſe, te hodie trahere poſſem in tribunal conſcientiæ tuæ, ibique non ſolùm conſiderares adulteria, homicidia, cæteraque peccata tua, ſed ſeriò cogitares, quoties blaſphemare feceris inimicos Domini; quot malo exemplo tuo peccare juſſeris, & inimicos Domini feceris; & quot non corpora, ſed animas occideris: tot enim animas occidis, quot malo tuo exemplo in peccatum pertrahis. Ne mea verba putes, ſua tibi, tibique ſimilibus dat D. Gregorius Paſt. P.3. C. 1. Adm. 3. *Tot mortibus digni, quot perditionis exempla tranſmittunt.* Attende ergò, ne te gravent aliena, cùm remiſſa fuerint tua: & dic cum Davide: *Ab alienis parce ſervo tuo.* S. Gregorius.

FERIA VI. DOMINICÆ I. ADVENTUS

De Juſſione, ſecundo Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal.18.

Non ſolùm peccatur peccato *Juſſionis* verbo, ſed etiam opere; & illo maximè, ſignanter peccato ſcandali, quo ſcandaloſus cogit proximum peccare, non quidem imperio, ſed ſuæ converſationis exemplo, tot animas occidens quot ſcandalizat, juſtas Dei manus minimè evaſurus, neque in hoc, neque in futuro ſeculo.

I. SI Filius Dei Incarnatus, non ſolùm ut Conſiliarius, ſed & ut Legifer noſter ſibi aſſumpſerit, coadjutores, qui legem ejus Evangelicam promulgarent, imò & ipſi leges conderent, ut ſic per mandatorum, & legum obſervantiam, eos participes redderet bonorum operum ſubditorum; diabolus ſimiliter, ſedens in *Cathedra peſtilentiæ*, ut legifer infernalis, aſſumpſit ſibi coadjutores, qui juberent contra legem Dei, ut ſic jubentes participarent omnes tranſgreſſiones, quarum iniquâ ſuâ juſſione ſunt cauſa; *In cathedra peſtilentiæ* ſedit Pharao, Pſalm. 1. dum præcepit obſtetricibus, ut interficerent omnes, quotquot obſtetricaturæ eſſent infantes maſculos. In illa cathedra ſedit Saul, dum Abimelech, & 85. Sacerdotes juſſit occidi. In illa ſedebat David, quando Uriam Hethæum occidi mandavit gladio filiorum Ammon. In illa ſederunt Abſalom fratricida, qui Ammon; Jeſabel, quæ Naboth occidi juſſerunt. In cathedra peſtilentiæ ſedent parentes, proles ſuas ad malum impellentes; Patresfamilias, collegæ diaboli, dum

Quieſcere faciant dies Feſtos Dei à terra, cogentes ſubditos ſuos ad opera ſervilia diebus Feſtis. Sunt, qui non tantùm *Verbo*, ſed & *Opere* peccant peccato Juſſionis; uti herì vidimus: de iſtis iterùm hodie; ſed priùs ſalutemus Mariam. *Ave Maria.*

II. Iterùm dico: Non ſolùm peccatur peccato *Juſſionis Verbo*, ſed & *Opere*; imò magis *Opere*, S. Cyprianus. quàm *Verbo*: quia *Efficacius eſt vitæ, quàm linguæ teſtimonium.* Undè, dum quis ſcandalizat proximum, cogit eum peccare, *Non quidem imperio*, ut ait Auguſtinus, S Auguſtinus. *ſed ſuæ converſationis exemplo*: conſequenter fit reus omnium peccatorum, quæ fiunt per ſcandalum, ab ipſo datum: totq; occidit animas, quot ſcandalizat: hoc erit primum punctum præſentis Sermonis. Quiſquis es, qui tam liberè, & effrenatè ſcandalizas proximum, & ſcandalo tuo ad peccandum inducis, dico tibi ex parte Dei: Non evades juſtas manus ejus, neque in hoc, neque in futuro ſeculo. Erit ſecundùm. Dum ego incipio à primo, nolite vos inſurdeſcere in aure cordis.

III. Quid eſt ſcandalum? Doctor Angelicus definit 2. 2. Q.43. D. Thomas. Art.1. *Dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem ſpiritualis ruinæ.* Das ſcandalum fratri tuo, dum verbo, vel opere lapidem ponis offenſionis in via, quam tenet ad æternitatem: ſecun- Rom.10.13. dùm illud Rom.10.13. *Ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.* De dato ſibi ſcandalo conqueritur Pſalm 139.6. Pſalmiſta, Pſalm. 139. 6. *Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Item Pſalm.141.4. *In via hac, quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* Pſalm.141.4. Dic, amabo te Rex magne, in qua via poſuerunt ſuperbi laqueum tibi? In via caſtitatis poſuit Bethſabee laqueum mihi, poſt meridiem 2.Reg.11.2. ſe lavans ex adverſo ſolarii mei. In via Religionis poſuit laqueum mihi 2.Reg.6.14. uxor mea Michol, dum ut ſcurram deriſit me, ex humilitate, & devotione ſaltantem ante arcam Domini. In via dilectionis inimicorum poſuerunt laqueum mihi Principes mei, incitantes me ad vindictam. 1.Reg.24.5. 1.Reg.26.8. Davidem linquo: Scandaloſi, vos Deus alloquitur?

IV. Oſeæ 5. 1. *Laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor.* Oſeæ 5.1. Et ut totus mundus videat characterem iſtius peccati, petit ſpecialem attentionem: *Audite hoc Sacerdotes; attendite domus Iſraël, & domus Regis auſcultate; quia vobis judicium eſt.* Quibus? Sacerdotibus: domui Iſraël, & domui Regis, *Quoniam laqueus facti eſtis, & rete expanſum ſuper Thabor.* Scio, ſecundùm Hieronymum, ad litteram hæc intelligi de Jeroboam, qui in monte Thabor poſuerat ſpeculatores, qui impedirent filios Iſraël, ne irent in Jeruſalem Deo oblaturi ſacrificium; qui obindè, & quotquot proximo ſuo præbent occaſionem ruinæ ſpiritualis, à Cyrillo noſtro Alexand. in Cap.5. Oſeæ vocantur: *Magiſtrii, & Architecti erroris.* S. Cyrillus Alexand. Speculatores ſunt, qui, cùm tranſeuntibus rectam viam oſtendere deberent; tranſeuntes ſeducunt, laqueos ponunt, & retia expandunt, etiam

perfectos

perfectos inducentes ad lapſum. Ita D. Greg. ſuper Ezech. *Scire Prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla transmittunt.* In eandem ſententiam abit M. P. Auguſtinus de Paſtor. Cap. 4. *Quantum ad paſtores malos attinet, oves ſuas occidunt malè vivendo, malum exemplum præbendo.* Addat his S. Ephrem Adhort. 4 id, quòd ſentit de ſimilibus: *Quantos quiſque per ſcandalum deſtruxit, de tantis periculum damnationis incurrit: quantis detrimento fuit, de tantis damna contraxit.* Teſtis ſit Lucifer.

D. Gregor. D. Auguſt. S. Ephrem.

V. Doctor Angelicus 1. P. Q. 63. A. 8. quærit: *Utrùm peccatum primi Angeli fuerit aliis cauſa peccandi:* Huic objectioni, cujus ipſe auctor eſt, reſpondet Angelicè: *Quòd peccatum primi Angeli fuerit aliis cauſa peccandi, non quidem cogens, ſed quâdam quaſi exhortatione inducens.* Hinc à ſupremo Chriſti Secretario Joanne Cap. 8. dicitur dæmon homicida: *Vos ex patre diabolo eſtis; ille homicida fuit ab initio.* Cujus homicida fuit ille? Primi hominis? non: quia illa occiſio non fuit ab initio creationis ejus, ſed poſteà: cujus ergò? Angelorum: quando Apoc. 12. *Caudâ trahebat tertiam partem ſtellarum cæli.* M. P. Auguſtinus Tract. 42. in Joannem magnificè (ut ſolet) omnes alloquitur: *Videte genus homicidii, Fratres; homicida dicitur diabolus; non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum malum ſeminavit, & occidit.* Suâ perſuaſione, ſuo ſcandalo fecit Angelicidium, privans illos æternâ vitâ, & condemnans morti æternæ. Dantes ſcandalum, *Vos ex patre diabolo eſtis; ille homicida fuit ab initio,* & vos homicidæ eſtis. Quorum? non corporum, ſed animarum. D. Auguſtinus tali eos honorat titulo, Lib. de Paſt. *Noli putare te homicidam non eſſe, quando fratri tuo male perſuades; ſi fratri tuo malè perſuades, homicida es.* Ut hæc veritas clareſcat magìs, quæro, ubi Angelicidium factum ſit? *In monte ſancto Dei.* De monte ergò aſcendamus in montem.

D. Thomas. Ioan. 8. 44. Apoc. 12. 4. S. Auguſt. S Auguſtinus. Ezech. 28. 14.

VI. 1. Reg. 31. Pugnabant Philiſthiim adversùm Iſraël, & fugerunt viri Iſraël ante faciem Philiſthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë, irrueruntque in Saul, cæſiſque Jonathâ, & Aminadab filiis ejus, totum pondus prælii verſum eſt in Saul, & vulneratus eſt à ſagittariis. Cùm itaque ſe in præſentiſſimum cerneret conjectum diſcrimen, deſperatamque eſſe victoriam, *Arripuit Saul gladium, & irruit ſuper eum. Quod cùm vidiſſet armiger ejus, videlicèt quòd mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* Qui in præſentia aliorum peccat, animam ſuam, & præſentium animas interficit: ita Aug. Lib. de Paſt. *Qui in conſpectu populi malè vivit, quantùm eſt in ſe, omnes videntes interficit.* Qui in præſentia prolium, & in conſortio puellarum verbũ proferunt impudicum, ſecundùm D. Bernardum, *Leviter volans, ſed graviter vulnerans,* tam grandem ſæpè cauſant ruinam, ut multæ indè moriantur animæ: & qui in conſpectu aliorum actiones exercent malas, omnes videntes ad ſimiles actiones inducunt, & quantùm in ipſis eſt, animas eorum occidunt:

1. Reg. 31. 5. S. Auguſtinus. D. Bernar.

dunt: ita Hugo à S. Victore Lib. 3. de Clauſtro animæ Cap. 6. *Qui exemplum pravæ operationis fratribus oſtendit, quid aliud, quàm fratris animam propriis manibus; ſcilicet propriis actibus occidit?*

Hugo Victor.

VII. Gen. 3. Finito diluvio, benedicit Deus Noë, ac filiis ejus, cunctaque animalia eis tribuit in cibum: notat D. Greg. Nyſſ. quòd animalia, ut viderunt homines comedentes carnes, etiam & ipſa incœperint eas comedere: do verba ejus: *Comedente Noë cum ſuis carnes, reliqua animalia carnes comedendi licentiam nacta ſunt; & ex eo tempore eſt Leo crudivorus, & vultures cadaverum avidi.* Vix obtinuerat Noë licentiam comedendi, quin animalia hoc privilegium quòque traxerint ad ſe. Quis, quæſo, animalibus hanc dedit licentiam? Quòd homo hoc faciat, ex diſpenſatione divina fit: ſed undè animalibus iſta licentia? quia videbant homines carnes diſcerpere, & comedere, & ipſa diſcerpunt, & comedunt. Eruamus hinc doctrinam moralem.

Gen 9. 3. 4.

S. Greg. Nyſſ.

VIII. 2. Reg. 11. Comedit David carnem vetitam; & ut liberiùs comedat, jubet occidi Uriam. Quis tibi, David, hanc dedit licentiam? An neſcis, quòd ſubditi tui formabunt hoc argumentum: Si Rex noſter comedat carnes, quidni etiam & nos? nam. teſte S. Cypriano, *Adulterium diſcitur, cùm videtur.* Et quis erit occaſio tot carnalium peccatorum, tot adulteriorum, & impuritatum, niſi tu? Non diſcedo de domo tua. Sciebant filii David, patrem carnem manducâſſe, & quanta ex ſcandaloſo illo facinore exorta ſunt crimina! 2. Reg. 13. Ammon primogenitus ejus, opprimit ſororem ſuam Thamar. 2. Reg. 16. Abſalom *Ingreſſus eſt ad concubinas patris ſui, coram univerſo Iſraël.* 3. Reg. 2. Adonias prætendit Sunamitidem in uxorem, quæ fuerat uxor Davidis. Totus carnalis factus eſt Salomon, & in prædam datus impuri amoris erga mulieres Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas: ut teſtatur S. Textus 3. Reg. 11. 1. Dicite mihi NN. Undè eſus carnium hodie tam communis, ut non ſolùm fornicationes, ſed & adulteria quaſi licita videantur? Undè hoc? Quia tot ſuperiores, tot parentes à carne non abſtinent, hinc ſubditi, & filii carnes comedendi licentiam nacti ſunt. Quia in multis domibus tam multa dantur ſcandala, hinc integræ familiæ inficiuntur, & carnales fiunt: quid dico integras familias uno ſæpè ſcandalo infici? Millenæ animæ perire poſſunt ex uno ſcandalo, etiam extincto.

2. Reg. 11. 4. ℣. 15.

S. Cyprian.

2. Reg. 13 14.

2. Reg 16. 22.

3. Reg 2. 18.

3. Reg. 11 1.

IX. Exod. 32. Poſtquàm filii Iſraël adoraverant vitulum aureum, quem eis fecerat Aaron, Moyſes deſcendens de monte, vitulo combuſto, & uſque ad cinerem contrito, fratrem ob datum ſcandalum objurgat, dicens: *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum?* Jubetque occidi ex idololatris, quaſi viginti tria millia hominum. Quis non crederet omnem idololatriam, ſtante tali ſupplicio, jam omninò deletam? & tamen 3. Reg. 12. Jeroboam, ut averteret populum à cultu veri Dei, fecit duos vitulos aureos, poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan: *Et ibat populus*

Exod. 32. 21. ℣. 28.

3. Reg. 12. 30.

populus ad adorandum vitulum uſque in Dan. Acutiſſimè, more ſuo, Oleaſter in Cap. 32. ad hæc verba: *Si tempore Jeroboam vitulum in cinerem redactum ſuſcitârunt, quid facerent, ſi ejus reliquias integras inveniſſent?* Quot putatis animas interfectas ob datum ſcandalum ab hoc impio Rege, etiam poſt mortem ejus? Legite, quid factum ſit Tobiæ 1. *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecit, hic ſolus* (Tobias) *pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël.* NN. non loquor de vitulis qui currunt adhuc per domos veſtras, & plateas, ad quorum aſpectum aperiuntur ora multorum, qui ſcandalizantur in iis; tango ſolummodò lapides offenſionis, quos tenetis in domibus, & hortis veſtris: ſtatuas ſcilicet nudas, picturas turpes, & laſcivas, ad quarum aſpectum non ſolùm domeſtici, ſed & extranei patiuntur animæ ruinam. Quot per illas putatis animas interfici, quas Deus requiret de manu noſtra? Utinam ſimilibus non obtingat, quod de Salomone aſſerunt graviſſimi Auctores, quem impœnitentem, adeòque damnatum pronuntiant, eò quòd non removerit ſcandala, neque fana, neque aras, neque ſimulacra ante mortem deſtruxerit. Solùm adduco Abulenſem in Cap. 2. R. 7. Q. *Si Salomonem pœnituiſſet verè de peccatis ſuis, deleviſſet omnia altaria, & templa, qua fecerat in terra Jeruſalē: tamen ipſe non deſtruxit illa, ſed manſerunt uſque ad Regem Joſiam: ergò non pœnituit.* Audiant hæc, & exhorreſcant illi Patres-familias, qui laſcivas picturas filiis relinquunt jure hæreditario; libros quòque obſcœnos, impudicis amoribus, & ſordidiſſimis narrationibus plenos, quos tuto pede aliquis percurrere vix poteſt abſque infectionis inevitabili periculo. Quàm floreret Reſpublica Chriſtiana, ſi cum ſimilibus libris fieret, quod factum eſt

Oleaſter. Tob. 1. 5. S. Eucherius. Rabanus. Ugo Card. Beda. Philip. Abbas. Lyranus. Abulenſis.

X. Act. 19. Quidam de Judæis non credentes, conabantur in Nomine Jeſu, à Paulo prædicati, adjurare dæmonia, dicentes: *Adjuro vos per Deum, quem Paulus prædicat.* Reſpondens autem ſpiritus nequam, dicebat eis: *Jeſum novi: Paulum ſcio; vos autem, qui eſtis? Et inſiliens in eos dæmoniacus peſſimus, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Videns populus Epheſinus, quòd hi Exorciſtæ ita à dæmonio tractarentur, *Multi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium:* hoc eſt, 18. aut 20. millium librarum; quibus combuſtis, ait Lucas: *Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confortabatur.* NN. mei, undè modò adeò flacceſſit Chriſtianiſmus? Undè eſt, quòd verbum Dei tam exiguos fructus operetur in multis? Credo ego hoc maximè provenire ex lectione librorum, continentium amatoria, & impudica: quorum lectione legentes adeò intoxicantur, ut ab illa deſiſtere non poſſint: undè ſæpè tam gravia ſecuta ſunt mala (uti caſtæ alioquin animæ ſæpè cum lacrymis mihi confeſſæ ſunt) ut ampliùs verbum Dei non faciat radices in illis. Expertus id in ſe fatetur Auguſtinus: qui, quamdiu libros Gentilium Poëtarum, cunctaque talia

Act. 19. 14. Verſ. 15. Verſ. 19. Verſ. 20.

alia volumina legit, manſit hæreticus Manichæus, vitamque conſpurcatam inveteratis libidinibus duxit. Nec mirum, quia interiùs ipſi proficiebant ad impietatem. Jam quæro: Quinam ſunt in cauſa tantæ animarum ruinæ? Quinam? Componentes, imprimentes, vendentes, ementes, retinentes tales libros, & relinquentes illos in manibus prolium, aut ſubditorum, quorum fortè tantus numerus etiam in hac urbe noſtra, ut computatis pretiis ſimilium librorum, inveniretur facilè pecunia denariorum, ſi non quinquaginta, ſaltem aliquot millium. Quàm verendum eſt, quod illi novelli Chriſtiani inſurgent in judicio contra modernos! Potuiſſent facilè in urbe populata, mercatoria, & curioſa invenire pretium illorum librorum, ſed, ne inficerentur alii, maluerunt ipſos publicè comburere. Non legitur, quòd Apoſtoli illos comburi juſſerint; nullum deſuper decretum emanârat: & modò Chriſtiani, poſt tot Conciliorum decreta, audent illos vendere, emere, legere, retinere cum multarum animarum periculo. NN. non ſit in nobis in hac perfecta ætate fidei Chriſtianæ minor zelus, illo, quem oſtenderunt Epheſii in incunabulis ejus: ſi omnes comburerentur in publico foro coram omnibus, ita fortiter creſceret verbum Dei, confortaretur verbum in multis, nec tam multi inficerentur. Scandaloſi, qui ſcandalis veſtris cogitis alios peccare, vos alloquor: vultis dicam, quales coram Deo ſitis? Non malè capietis? Uſurarii eſtis diaboli.

XI. D. Thomas in Quæſt. de Malo Q. 13. A. 4. definit uſuram: *Uſura eſt, quidquid præter ſortem accedit ſine juſto titulo, ſive in mutuo, ſive in contractibus.* Quando ex ſimplici mutuo mutuans intendit, aut vult lucrum, committit uſuram formalem. Diabolus dat alicui mutuò brevem aliquam delectationem, linguam detractoriam, lubricam; ex illo mutuo expectat duplex lucrum: quia non ſolùm cupit animam mutuatarii, ſed & animas ſcandalizatas, verbo, aut facto ejus inductas, & provocatas ad malum: ita ut ſæpè lucretur centum ad unum. Primi parentes noſtri, *Cùm poſt peccatum cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt ſibi folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata.* Miratur hoc factum D. Baſilius Seul. *Ecce, inquit, ipſi nudati nudant arbores.* Non ſufficit illis, quòd ſe ſpoliaverint gratiâ, & amicitiâ Dei: ſpoliant, & nudant totam arborem generis humani. Hinc effuſus in lacrymas, ſcribit D. Epiphanius S. Hieronymo: *Audio ad Occidentem quorumdam hominum naufragia perveniſſe, qui, non contenti perditione ſuâ, volunt plures mortis habere participes.* Hieronyme, audio aliquos in Occidente eſſe, qui, facti uſurarii diaboli, non ſunt contenti perditione ſuâ, ſed plures volunt ſuæ ſocios ruinæ. Sunt & in Oriente, & in Belgio noſtro, *Qui, non contenti perditione ſuâ, volunt plures mortis habere participes.* Sunt, quibus tutâ conſcientiâ idem improperare poſſem, quod D. Hieronymus Suſannæ lapſæ: *Si tibi ſoli damnum feciſſes, erat quidem triſtitia, ſed forſitan tolerabilis: nunc verò, quantas animas hoc tuo facto ſauciâſti! Quot de ſuo propoſito pænitere feciſti?* Quàm hoc

D. Thomas.
Gen.
D. Baſilius Orat. 3.
S. Epiphan.
D. Hieron.

hoc crudele, & Deo ſenſibile!

Pſal. 61. 5. XII. Pſalm. 61. Conqueritur Deus: *Pretium meum cogitaverunt*
Ugo Card. *repellere*: id eſt, inquit Ugo: *Auferre à me, & ab eis*: ſcilicet, *meis*; *pretium meum*, à me acquiſitum, *cogitaverunt repellere* à me: pretium, quòd ipſe ſum, & quod perditis, & perdentibus eſt promiſſum, repellere ab utriſque cogitaverunt, & à ſe repulerunt. Quàm hoc crudele! Audiatur hîc Petr. Bleſenſis de Conf. Sacram.
Petrus Bleſ. *Quis æſtimare poſſit, quàm execrabiliter damnabilis ſit apud Deum, & homines Herodiana crudelitas, quæ parvos occidit; atque malitia Pharaonis, quæ ſubmerſit parvulos Hebræorum? Et illi quidem non animarum, ſed corporum homicidæ fuerunt. Quantò igitur deteſtabilius, non dicam eorum homicidium, ſed parricidium, qui tot innocentium animas occiderint?* Preſſiùs ad propoſitum Eccleſiæ Apis mellea, quæ
S. Bernardus. hîc ſuum pandit aculeum: *Si Dominus*, inquit, *pretium Sanguinis dedit, in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione, malâ, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm ab illo, qui Sanguinem ſuum fudit?* Ita, ita: majoris culpæ rei ſunt, quàm qui in Sanguine Agni, in Calvario monte Crucifixi, manus ſuas cruentârunt. Bernardi veſtigia premit D. Ambroſius, qui ſuper verbis
1. Cor. 8. 11. Apoſtoli 1. Cor. 8. 11. *Et peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* ita commentatur: *In tua conſcientia, id*
D. Bernard. *eſt: tuo actu illum occidis, quando à te fieri videt; quod ille aliter intelligit: & tu eris occaſio mortis fratri, quem Chriſtus ut redimeret, crucifigi ſe permiſit.* Ita ut de ſcandaloſis dicere poſſit Propheta Pſal. 10. *Quæ perfeciſti, deſtruxerunt*: animas, tam caro pretio redemptas, deſtruxerunt. Pſal. 10. 3.

XIII. *Væ homini illi! Væ homini illi, per quem ſcandalum venit!* Si animæ ſolâ induſtriâ, & adinventione conſtitiſſent Dei Filio, non verò ſudore, aut Sanguine, nec morte atrociſſimâ, horrere deberet animus ad tantam deſtructionem: & tu, Scandaloſe, ad fratris animæ ruinam rides, & parvipendis?

XIV. Albertus, vel indè Magnus, quia Angelici Doctoris Magiſter, arte quâdam ſtupendâ ſtatuam conſtruxerat, quæ non ſolùm gradiebatur, ſed & ſtatis horis voces articulatas proferebat, ad audientium ſtuporem, imò & timorem. Caſu, Alberto abſente, intrat cubiculum diſcipulus ejus Thomas: rei neſcius, vidit moventem ſe ſtatuam, & ambulantem: imò & loquentem audit: putans phantaſma eſſe diabolicum, pede illam percuſſit, & comminuit. Albertus redux, ut vidit ruinam, Thomam alloquitur: Fili mi, quid feciſti? Confregiſti unâ horâ opus triginta annorum. Et tamen non conſtabat Alberto ſtatua, niſi merâ induſtriâ. Quid dixiſſet, obſecro, ſi pro illa animam poſuiſſet? Scandaloſi iterùm ego ad vos: Triginta tribus annis laboravit Chriſtus Filius Dei, pro ſalute animæ fratris veſtri; pro illa Incarnatus eſt, jejunavit, ſudavit, ipſam pertulit mortem: pro hac ſtatua erigendâ, omnes Sanguinis ſui theſauros prodegit; & vos uno ſcandalo, unâ delectatione momentaneâ, & voluptate beſtiali illam

demolimini, & in terram proſternitis: quomodò ſuper tanta injuria reſpondebitis Deo, judici veſtro? qui pretium animæ nôrunt, aliter, & cautiùs agunt.

XV. 1. Cor. 8. Scribit Doctor Gentium Corinthiis, eoſque hortatur, ut, licèt idolothytis veſci ex ſe illicitum non ſit, illa tamen non edant, aut repugnante conſcientiâ, aut cum offendiculo: undè rogat
1. Cor. 8. 9. eos: *Videte, ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum ſit infirmis.* Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam in idolo, recumbentem, nonne conſcientia ejus, cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?
Verſ. 11. *Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* Tandem premit eos: *Sic autem*
Verſ. 12. *peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam in Chriſtum peccatis.* Hinc concludit Apoſtolus:
Verſ. 13. *Quapropter ſi eſca ſcandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternũ, ne fratrẽ meum ſcandalizem.* O Apoſtolicã reſolutionem! Dicite & vos comedentes carnes non licitas, ſed vetitas: *Si eſca ſcandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Et meritò: quia, *Sic peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* NN. Paulum miramini, dicentem ſe non manducaturum carnem in æternum, ne fratrem ſuum ſcandalizet, pro quo Chriſtus mortuus eſt? Eleazarum, virum ætate provectum, & canitie venerabilem vobis in medium producit Doctor Seraphicus
S. Bonav. Bonaventura Serm. 4. Dom. Paſſio. *Quàm periculoſum ſit, per ſcandalum perdere proximum, oſtendit Eleazarus, coactus cum ſcandalo fratrum ſuorum carnes vetitas manducare: legitur enim, quod perdidit ſe corporaliter, ne proximos perderet ſpiritualiter.* Item Ser. 2. Fer. 3. Pentecoſtes: *Eleazarus maluit vitam ſuam tormentis objicere, quàm cuiquam magiſter perditionis exiſtere.* Si hactenùs dicta vos non moveant, Scandaloſi, audite ergò, quid de vobis dicat glorioſus Martyr Cyprianus: *Non invenient in judicio* D. Cyprian. *Domini ullum ſolatium, qui fratribus peccandi fomitem miniſtrârunt.* Non invenient ſcandaloſi ſolatium, neque in hoc, neque in futuro ſeculo.

XVI. Matt. 18. De his futurus judex noſter ait: *Qui ſcandalizaverit* Matt. 18. 6. *unum de puſillis iſtis, expedit ei, ut ſuſpendatur in collo ejus mola aſinaria, & demergatur in profundum maris. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* In his Chriſti verbis varia notanda occurrunt. Dicit: *Mola aſinaria.* Quia, teſte Divo Hieronymo, Paleſtinis nulla erant molendina, quæ aquarum vi impellerentur; ſed jumentis utebantur, ad volvendas molas, uti noſtrates ſolent in olearea equis uti (*Et hæc erat pœna*, inquit hîc D. Thomas) *quæ inferebatur ei, qui* D. Thomas. *furtum fecerat; quia mola hujuſmodi ſuſpendebatur in collo ejus, & projiciebatur in mare.* Vos, Scandaloſi, fures eſtis animarum: divinum theſaurum, animas ſcilicet, deprædamini: ſalutiferum Crucis ſignum deturpatis, fructus ipſius, ſalutem nimirum humanam excutiendo: Angelos lætitiâ privatis: Chriſtum regno ſuo ſpoliatis, animabus ſcilicet pretioſiſſimo ſuo Sanguine redemptis: ideòque meremini, ut mola ex collo veſtro pendeat, & in profundum maris,

maris, in profundum æternorum cruciatuum projiciamini:& quidem juſtè mola, inquit S. Chryſol. quia lapis molaris, eſt lapis vitalis, dans vitam generi humano, conterens triticum,quo ſuſtentatur homo:quia ergò ſcandaloſi, petra offenſionis,& ſcandali, mortem dant, ubi vitam dare deberent, ideò ab illo ipſo lapide merentur mortem, qui aliis dat vitam. Tenetur unuſquiſque bono exemplo vitæ ſuæ, & exhortatione ad opera vitæ æternæ, vitam dare animæ proximi ſui:at quando econtrà quis non vitam,ſed mortem cauſat,& mortem quidem æternam, meritò ille pœnâ proportionatâ punitur. Quot animæ, ô Scandaloſi,in inferno morte perpetuâ mortuæ ſunt, occaſione ſcandali, à vobis dati?Quoties Deo mortem intuliſtis, qui omni momento vos in vita conſervat,& qui in illis animabus fortè in æternum per gratiam vixiſſet? Quid facit Deus? *Eâdem menſurâ*, &c. permittit, ut quidquid ſervire vobis ad vitam deberet, id ſerviat ad mortem: occidiſtis illum in animabus,quas emit pretio Sanguinis ſui, & ideò erit Advocatus permittens vos adjudicari æternæ damnationi: 1 Joan. 2.1. *Advocatum* enim *habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.* Notate ly *Juſtum.* Animæ, quæ culpâ veſtrâ ardent in inferno,& Deum blaſphemant,clamant in cœlum vindictam contra vos,ut ſitis modò ſocii earum in tormentis,qui in hac vita cauſæ exemplares fuiſtis in peccatis,magis puniendi,quàm Gentiles, qui pretium animæ non cognoverunt. Dicit D.Thomas. D.Thomas, per molam,cœcitatem Gentilium intelligi: *Quia animalia, quæ ponuntur ad ducendam hanc molam, ſunt cæca*: hinc Judicum 16. *Philiſthæi eruerunt oculos ejus* (Sampſonis) *& duxerunt Gazam, vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Judic. 16 21. Quid indè? Ut ſciatis, meliùs vobis fore, Turcas,aut Gentiles eſſe, quàm ſcandaloſos: quòd enim Gentilis, qui ignorat,quanti Deo conſtiterit anima, non curet ſcandalizare proximum, & præbere occaſionem ruinæ ejus,non adeò mirandum eſt:ſed quòd Chriſtianus, qui novit, quantis anima Deo conſtiterit tormentis, quaſi delectetur,malo ſuo exemplo illam perdere, certè pejor eſt ille omni Judæo, & Saraceno: quem & obindè major manet damnatio. Confirmant aſſertum meum verba Chriſti: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit!* Matt. 18. 6. Obſervat idem D.Thomas, Chriſtum Dominum his ipſis verbis Judam furem, & proditorem objurgâſſe: *Specialiter dicit de Juda, qui tradidit illum* Matt. 26.24. D. Thomas. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Matth.26 24. Hoc ipſum *Væ*, quod Chriſtus Dominus Judæ Iſcariotæ minitatus eſt,etiam contra ſcandaloſum pronuntiat;ut ſciat ſe,dum ſcandalum præbet,& animę cuipiam ruinam ſternit, eandem pœnam cum Juda incurſurum. Judas ſententiam contra ſeipſum edixit, ſeipſum condemnavit,& propriis manibus mortem ſibi intulit: præcipitatus eſt Judas in profundiſſimum inferni centrum: & hæc eadem ſors,nec melior, ſcandaloſo obtinget: is enim Judæ aſſidebit in horrendiſſimis, & graviſſimis tormentis cruciandus. Sed ne cogitetis, Scandaloſi, in futuro ſeculo ſolummodò vos tormenta illa

manere; dum proximo veſtro præbetis occaſionem ſpiritualis ruinæ, etiam in hoc ſeculo temporalem veſtram invenietis ruinam; non eſſetis primi, ſunt & alii eandem experti. Do unum, & inſignioris quidem notæ, quàm eſtis vos. Judicum 8. Gedeon, devictis Sebēe & Salmanâ, ex inauribus, aliiſque populi donis

Judic. 8. 27. *Fecit Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ephra; fornicatuſque eſt omnis Iſraël in eo, & factum eſt Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam.* In illo Ephod, & cum illo, Iſraël fornicatus eſt myſticè: id eſt, idololatriam commiſit, illud ut idolum, & Deum adorando; vel certè, ut ait Cornelius; illo ad cultum Baalim abutendo: cujus idololatriæ cauſam præbuit Gedeon, incautè nimis poſteris, in idola adeò proclivibus, illud fabricando. Culpam idololatriæ non quidem commiſit Gedeon, ſed poſteri; neque prævidit indè illam ſecuturam: undè facilè à mortali excuſandus: quia tamen illam occaſionem præbuit, *Factum eſt Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam*: ob illam culpam tota poſteritas ejus exciſa eſt, atque pœnam hanc ſubiit Gedeon. Quid ad hoc, Scandaloſi, qui non rem ſacram, ſed meretrices in privatis cubiculis, in hortis veſtris recluditis, cum ſcandalo multorum? Attendite, prædico vobis: Occaſionem præbetis, proximo veſtro ruinæ ſuæ ſpiritualis, ſed, *Erit* vobis, *& omni domui veſtræ in ruinam.* Idola erexiſtis, de quibus antè, & non deſtruitis ea, ita ut fornicetur omnis Iſraël in eis, puræ, ſcilicet & caſtæ animæ: hæc ipſa idola *Erunt* vobis, *& omni domui veſtræ in ruinam.* Conſiderent hæc iterùm Pictores, Sculptores, librorum Auctores, Impreſſores, eorumque Venditores, & Emptores: & quotquot ſcandalum præbent proximo ſuo, ſciant, quòd quidquid ex ſcandalo profecerint, cedet ipſis, & domui eorum in ruinam. Quàm hoc expertus eſt malo ſuo Jeroboā Rex!

XVIII 3. Reg. 13. Erexerat ille idola, ut populum à frequentando veri Dei templo averteret: undè graviſſimæ confuſiones, & ſumma ſcandala in populo Iſraëlitico nata ſunt. Peccatum hoc Domino Deo ita diſplicuit, ut Jeroboam & regno, & vitâ exuerit: ſtatimque filius ejus primogenitus, etiam extinctus, & tota deinde ſucceſſio ſit deleta. *Et propter hanc cauſam peccavit domus* 3. Reg. 13.34 *Jeroboam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.* Undè tot adverſitates in domo veſtra? Cur vobis Deus benedictiones ſuas ſubſtrahit? Cur morbos immittit, veſtroſque è vivis rapit? Cur de magnis divitiis in extremam vos conjicit paupertatem? numerate, ſi poteſtis omnia à vobis data ſcandala, & illis imputate ruinam veſtram: *Propter hanc cauſam domus veſtra everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.* Utinam ſaperetis & intelligeretis, & imminentia mala prævideretis! Intrate aulas veſtras, quotquot hîc eſtis, & me auditis, & aſpicite pendentes ibi picturas laſcivas, in confuſionem tot Sanctorum & Sanctarum, etiam ipſius Matris Dei, ibidem locum non habentium. Illa ſimulacra impuritatis, illæ ſtatuæ impudicitiæ, quid repræſentant? Idololatriā, idololatriam. Et vos cum illis cupitis in mortis articulo à Chriſto reperiri, quando veniet judicare vos?

vos? Abſit, abſit: quia tam certa foret damnatio veſtra, ſi ſic moreremini, quàm fuit Jeroboam idola relinquentis, & non deſtruentis. NN. mei, ſi lapides offenſionis habeatis in domo veſtra, hortatur vos
Iſaiæ 57. 14. Evangelicus Propheta Cap. 57. *Auferte offendicula*, & ſequimini non meum conſilium, ſed ipſius Dei mandatum, quod expreſſis terminis
Deut. 7. 5. dat vobis: *Idola comminuite, con-*
Deut. 12. 3. *fringite ſtatuas, comburite ſculptilia, diſperdite nomina eorum de locis veſtris*: tollite funeſtas illas figuras, quæ parere vobis, & aliis non poſſunt, niſi damnationem: Vulcano tradite: imitemini Cratem Philoſophum, qui, mittens in mare divitias, dicebat: *Mergo vos, ne mergar à vobis. Mergo vos, ne mergar à vobis.* Sic & vos: omnes picturas, ſtatuas, & libros impudicos in ignem mittite, & dicite: *Uro vos, ne urar propter vos. Uro vos, ne urar propter vos.* Satis Dixi.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS

De Juſsione, ſecundo Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Inter ſcandaloſos, facilè palmam ferunt mulieres, *Quæ mollibus veſtiuntur*, nimio veſtium luxu, & impudenti denudatione ſuâ animas trahentes in ruinam: quæ, licèt *Virgines* ſint, etiam dici poſſunt *Matres fornicationum*: tamquàm animarum homicidæ, & incendiariæ à Deo extremo judicii die puniendæ.

I. Sicut vidimus diebus præteritis, non eſt res parva, proximum ſive verbo, ſive opere ſcandalizare: peccata enim, quæ committit ſcandalizatus, ponuntur ad computum ſcandalizantis; qui damnum cogetur reſarcire. Quot hodie, quorum adeò ſcandaloſa vita eſt, ut dicere poſſem, quod Chriſtus in
Matth. 11. 6. hodierno Evangelio (licèt alio plane ſenſu) *Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me*: tam perverſo hodie vivitur ſeculo. Si quis me interroget, quinam ſint illi? Ipſi
Verſ. 8. ſunt, *Qui mollibus veſtiuntur*; & non ſolùm *In domibus Regum ſunt*, ſed & civium: iſtæ ſunt mulieres, *Quæ mollibus veſtiuntur*; quæ nimio veſtium luxu, & impudenti denudatione ſuâ tot animas in ruinam trahunt; ſicque peccant peccato Alieno *Juſſionis*. De illis hodiernus erit Sermo noſter. Præbete aures incipienti. *Ave Maria.*

II. Apoc. 17. 1. Deſcripturus Joannes meretricem, quæ tali nomine circumferebatur, attentionem parat: *Veni*, inquit, *& o-* Apoc. 17. 1.
ſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, cum qua fornicati ſunt

Reges terræ, & inebriati ſunt, qui habitant terram, de vino proſtitutionis ejus. Et exinde illam ſic depingit: *Vidi mulierem, ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, &c. & mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis.* D. Thomas in hæc
D. Thomas. verba ait: *Sedentem ſuper beſtiam, id eſt, ſuper diabolum: quia ſedet, & fundatur in diabolo:* diaboli enim ſuggeſtione ſe proſtituit, operoſiore cultu ad pompam, & luxum adornata: tergo diaboli inſidebat, hinc & inde per vicos, & plateas circumferebatur, ut incautos abripiat oculos, & libidinis in ſpectatoribus concitet incendia. *Et*
Verſ 5. *in fronte ejus nomen ſcriptum:* Quale illud? *Babylon magna, mater fornicationum: id eſt,* inquit Angeli-
D. Thomas. cus: *Peccatorum, & errorum, quibus alii fornicentur ſpiritualiter, hoc eſt, recedant à Deo.* Non miror ego, quòd talis *Meretrix* vocetur: luxus veſtium, & nomen ſcriptum in fronte, indicant, quòd ſit *Babylon magna,* & *mater fornicationum;* quòdque illa ſit ratio damnationis ejus. N. *Veni, & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, cum qua fornicati ſunt multi.* Veni, & oſtendam non unam, ſed centenas, quæ, licèt *Virgines,* putentur, *Matres fornicationum* ſunt. Quænam illæ? quæ circumdatæ purpurâ, & coccino, & inauratæ auro, & lapide pretioſo, & margaritis, multos ad ſpiritualiter fornicandum inducunt: quæ ita ſcandalizant earum ſpectatores, ut à Deo recedere eos faciant. Virgines ſunt, ſed matres; de quibus S. Cyprianus in Politico Chriſtiano Cap. 12. *Dum ornari cultius virgines* S. Cyprianus. *volunt, eſſe virgines deſinunt; viduæ, antequàm nuptæ:* matres fornicationum ſpiritualium. Et illa eſt ratio damnationis illarum, quòd meretricio ſuo ornatu factæ ſint matres plurium fornicationum. Non eſt ab heri, aut nudius-tertiùs, quòd ſimiles habitæ ſint meretrices, & matres fornicationum.

III. Gen. 38. 14. Thamar, mortuis duobus maritis Her, & Ona filiis Judæ, videns, quòd ſecundùm legem non intenderet dare Selam ad ſuſcitandum ſemen fratris ſui, ſciensque, quòd ſocer ſuus aſcenderet in Thamnas ad tondendas oves, *Depoſitis viduitatis veſtibus,* Gen. 38. 24. *aſſumpſit theriſtrum; & mutato habitu ſedit in bivio: quam cùm vidiſſet Judas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem.* Quàm præceps eſt homo in judicando! An ideò meretrix habenda, quia in bivio ſedit? non ideò tantùm, ſed quia *Depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum.* Certè non temerè illam meretricem judicabat; quia videre mulierem formoſam, juvenem, viduam, depoſitis viduitatis veſtibus aſſumentem theriſtrum (quod erat apud Paleſtinas velum pretioſum) & in bivio ſedentem, quis illam pudicam & honeſtam dicet? Audiendus hîc Tertullianus de Cult. Fem. Cap. 12. *Thamar illa, quia ſe* Tertullianus. *expinxerat, & ornaverat, idcirco Judæ ſuſpicioni viſa eſt, quæſtui ſedere.* Utinam hodie unica ſolummodò Thamar foret! Sed quàm multæ, quæ honeſtæ dici, & haberi

beri volunt, tamen ſi non meretrices, matres fornicationum dicendæ, & habendæ ſunt, dum ſe nimiùm ornantes, quæſtui ſedent infernali. Quæſtus hic hodie tam familiaris eſt, ut in domibus, templis, in ipſis plateis obviæ ſint innumeræ, laqueum ponentes, & ſcandalum ad capiendas animas; haud ſecùs, quàm illa, de qua Proverb. Prov. 7. 10. 7. 10. *Occurrit illi mulier meretricio ornatu præparata, ad capiendas animas.* Sic eſt NN. ideò multæ tam impudicè ſe præparant, ut prodant animas, & quæſtum faciant diabolo; qui quæſtus per ſimiles tam feliciter illi ſuccedit, ut & in ipſo cœlo tantùm non ei ſuccedat.

Apoc 12. 1. IV. Apoc. 12. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo*, inquit Joannes: *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Meritò vocat Joannes *Signum magnum*, dum mulierem videt ſolem geſtantem in veſte, in pedibus lunam, & in capite coronam; ſed (ut ſolet) ſplendor invidiam, corona inimicos, & divitiæ illi ſuſcitabunt, inſidiatores audite! Verſ. 4. *Draco ſtetit ante mulierem.* Inimicitia irreconciliabilis eſt inter ſerpentem, & mulierem. Evâ devictâ in Paradiſo, tentat congreſſum in hanc. Vide, quid agas, Draco: attende, quòd hæc in cœlo ſit, & non in terra; Gen. 3. 15. & ſcias, quòd ipſa ſit, *Quæ conteret caput tuum*: non timet equidem, ſed ſperat eam ſuperare, licèt *In cœlo* ſit. *In cœlo*, inquit Nacera in Cap. 7. Joſue §. 40. N. 184. Nacera. *jam mulierem videt, ſed quia ſplendidè ornatam animadvertit, vel in cœlo vincendam credit*: ſed fruſtratus ſpe ſuâ: *Projectus eſt draco magnus in terram.* Verſ. 9. Comparat Mellifluus Doctor hanc victoriam, viſioni magnæ, quam habuit Moyſes in rubo: Serm. ſuper Miſſus: *Magna* Exod. 3. 2. *planè viſio, rubus ardens ſine combuſtione. Magnum ſignum, mulier* S. Bernardus. *illæſa manens amicta ſole.* Sicut prodigium eſt, & contra naturam, quòd rubus ardeat, & non comburatur, aut in cineres redigatur; ita grande miraculum eſt, quòd mulier ſplendidè veſtita, ſole amicta, lunam habens in pedibus, in capite coronam, non ſuperetur à diabolo, & quæſtui ejus non ſedeat. *Signum magnum.* Sed ubi videtur hoc grande miraculum? *In cœlo*: in cœlo tantùm, non in terra ſimilia videntur miracula. Quot hodie animæ incenduntur, & comburuntur per iſta ornamenta, quæ ſunt carbones luxuriæ, & flammæ libidinis? Quaſi miraculum foret ad illos carbones non accendi, & comburi. In cœlo ſunt iſta miracula, non in terra: ſignanter dum illæ, ſedentes quæſtui diaboli, impudenter corporis ſui partes detegunt. Quis illas non dixerit *Incendiarias*, non corporum tantùm, ſed & animarum? Etiam ſanctiſſimos incenderent.

V. 2. Reg. 11. 2. Accidit, ut David, vir ſanctiſſimus, quâdam die ſurgeret de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domûs Regiæ (ut à paucis vidimus) ibidem exiſtens, videt mulierem formoſam, ſe lavantem *Ex* 2. Reg. 11. 2. *adverſo, ſuper ſolarium ſuum*: ut vidit, ita incenſus eſt, ut miſſis

nuntiis

nuntiis illam vocaret, dormiretque cum ea. Quis non caderet ad talem lapidem offenſionis? Quis ad tantas flammas non incenderetur? Et quis illam excuſabit ab iſto incendio? Denudat ſe ex adverſo ſolarii Regii, in loco patenti, ubi ab omnibus videri poterat: quomodò poſſibile, ut ignis concupiſcentiæ non accenderetur in illam vidente; & quidem poſt meridiem, menſâ vix finitâ? Dic mihi, Bethſabee: Cur hoc manè, aut veſperi, aut de nocte non feciſti? Numquid ſæpiùs vidiſti Regem ambulantem poſt meridiem in ſolario domûs ſuæ? Ad denudandum, & lavandum te, debuiſſes, ut Suſanna, eligere locum ſecretum, & claudere ſuper te oſtia: ſi non intendiſſes ſcandalizare Regem, eumque incendere, ad minùs inveniremus ſcriptum, quid præ pudore pueris Regis reſponderis, per quos te citavit: dixiſſes ad minùs, quòd mirareris abſente marito à Rege vocari: excusâſſes te: ſi non intendiſſes excitare Regem ad adulterium, non tam citò nunciâſſes Davidi; *Concepi*: nec tam fictis lacrymis defleviſſes mortem mariti. dico tibi in faciem, Bethſabee: Incendiaria fuiſti Davidis. Quot mulieres ab hac incendaria diſcere poſſent, & palpare quid velim, & quo vergam? Filia, nulli intendit (ut ais) mali occaſionem dare: & interim jaces in feneſtris nuda; ſtas ad portam detecta; ſic venis in publicum, incedis per plateas, intras Eccleſiam, etiam in media hyeme: ſi non intenderes dare ſcandalum, ſi non velles accendere ignem libidinis in corde viſitantium, aut videntium te, non tam nudam te exhiberes. Conſidera, in quale diſcrimen animas perducas: vel, ſi frons tibi meretricia eſt, audi Deum loquentem tibi.

VI. Exodi 22. 6. Damnabatur olim, qui ex concitato igne alteri damnum intulerat: undè ajebat Deus ſuis (quod & nunc tibi) *Si egreſſus ignis comprehenderit ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.* Exod. 22. 6. Sunt homines, ipſi imprimis juvenes, ſpicæ & paleæ; neque tu religioni ducis, ignitis tuis ornatibus paleam hanc accendere? Exclamat D. Chryſoſtomus Hom. 5. quod Reg. Fœm. &c. *Mulier, quid agis? Quorſum te tam pompoſe veſtis? Cur ignem accendis? Quomodò te puram à peccato cenſes, cùm illius inſania opus tuum ſit? Tu gladium acuiſti, tu dexteram armâſti; quomodò ergò poteris ab homicidii ſupplicio liberari?* S. Chryſoſtomus. Quomodò de peccatis te poteris liberare, quæ ignem ſuccendis, & pabulū te alienis præbes peccatis? Non vides te multorum eſſe homicidiorū ream, quæ tot jugulas, & incendis animas? Impudica Mulier, tu animas pretioſo Chriſti Sanguine redemptas tot petis armis; quot ſcandaloſa ornamenta geris, nuda & detecta: *Periit enim ille in tua forma, ſi concupierit; & facta es tu gladius illi*: ut rectè Tertullianus Lib. de Habitu Fœmineo, ſimul exiſtens incendiaria, & homicida: ſed quàm damnoſa! Ego mulieres, ſe impudicè ornantes, & in publicis congreſſibus ſuos ſcandalizantes ſpectatores, vineam Domini deſtruere autumo, ac obindè meritò Sampſonis Tertullianus.

ſonis vulpibus comparandas eſſe cenſeo.

VII. Judicum 15. Sampſon, Philiſthæorum ſegetes incenſurus, *Cepit trecentas vulpes: caudaſque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio: quas igne ſuccendens, dimiſit, ut huc illucque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum. Quibus ſuccenſis, & comportatæ jam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipulis, concrematæ ſunt; in tantum, ut vineas quoque, & oliveta, flamma conſumeret.* Vos, vos Mulieres, portatis ignem impuritatis in congregationes, & comparitiones, & incenditis animas Chriſti redemptas Sanguine: ſed *Væ* vobis. Qui incendit domum ſui inimici, morti adjudicatur abſque miſericordia: & impunitas videmus illas, quæ ad aſpectum omnium, etiam judicum, faciunt funeſtum illud incendium, contra quod vindictam clamat Pſalmiſta Pſalm. 37. *Incenderunt igne ſanctuarium tuum in terra; polluerunt tabernaculum nominis tui.* Illa impunitas reddit vos adeò inſolentes, ut, dum extinguere vos oporteret incendium, quod accendiſtis, adhuc ei ligna addatis, novos vos ornandi modos adinvenientes, ſicque majus incendium accendatis. Sed etſi juſtitia humana, mala, quæ committitis, diſſimulet, juſtitia Divina tantam ſtragem ſeverè puniet, aut in hoc, aut in futuro ſeculo.

Judicum 15.

Pſalm. 37.

VIII. Ad exſtruendam ſuperbam molem templi Dianæ Epheſinæ, impenſi ſunt ducenti & viginti anni, ad profuſiſſimas expenſas, totâ concurrente Aſiâ. Quis deſcribat vel umbratenùs illud orbis miraculum? Hoc dicere ſufficiat, quòd centum viginti columnæ marmoreæ, habentes ſingulæ ſexaginta pedes altitudinis, hoc templum famoſum ſuſtentârint: ab una tamen Eroſtrato, nequiſſimo incendiario, unicâ nocte, imò paucis horis in cineres eſt datum. Templum Dei ſanctum, eſt anima caſti adoleſcentis, donis cœleſtibus ditata: *Et exempla ſuccendunt*, inquit D. Gregorius; una ſcandaloſa denudata puella tantum accendit ignem, ut conſumat, & in cineres redigat omnia, & ne vel minimum reſtet virtutis Chriſtianæ in eo: *Exempla ſuccendunt.* Quod adeò verum eſt, ut aſſerat D. Bernardinus Senenſis: *Vellem potiùs habere peccata illius, qui interfecit homines, quàm fœminæ mille, introducentis conſuetudinem inhoneſtæ vanitatis.* Et ratio eſt, quia cùm anima ſit nobilior corpore, graviùs eſt, animam gladio ſcandali, quàm corpus ferro transfodere. Deus bone! Quàm grande peccatum eſt, ſcandalum unius incendiarii ſimul, & homicidæ! Si leges divinæ, & humanæ ſe veriſſimè puniant incendiarios, & homicidas, quales pœnas ſervat piratas juſtitia Divina, homicidis, & incendiariis animarum? Sed cùm needum de pœnis loquar, quæ te manent Impudica, diſce à pudica Suſanna, magis pudicè te gerere.

S. Gregorius.

S. Bernardin. Senenſ.

IX. Danielis 13. 32. Caſtiſſima Suſanna falsò accuſatur adulterii; vocatur in judicium; pudore ſuffuſa, Thaidis inſtar demiſſis in ter-

ram oculis, pallio tegit faciem ſuam: *Erat enim cooperta.* Tolle velamen, Suſanna: cur candorem puritatis tuæ obfuſcas? Non vides, quòd cooperiendo te ream agnoſcas, & tuam damnes innocentiam? Oſtende faciem tuam, ut omnes videant, & cognoſcant animi tui candorem. Tertullianus de Corona Militis, extollens hanc incomparabilem Suſannæ caſtitatem, dicit: quòd, licèt innocens eſſet, & caſtiſſima, ut rea tamen traducta, & accuſata, ut talis habebatur: & ideò Suſanna, ob umbram tantùm ſcandali, occaſione ſuæ perſonæ accepti, licèt non ſuâ, ſed aliorum culpâ, tanto rubore, confuſione tantâ ſuffuſa eſt, ut non fuerit auſa aliquem aſpicere in faciem, multò minùs ſuum exhibere vultum, quem obindè operuit: *Erat enim cooperta.* Ubi eſtis Suſannæ noſtri temporis? Ubi eſtis Mulieres inverecundæ? caſtiſſimæ Suſannæ habent velatam faciem præ dolore, & confuſione, ob umbram tantùm ſcandali; & non pudet vos, comparere in locis publicis, plateis, Eccleſiis, converſationibus; non ſolùm facie, ſed humeris, & uberibus detectis, dantes occaſionem ruinæ innumeris perſonis: *Lapis offenſionis, & petra ſcandali.*

Daniel. 13. 32.

1. Petri 2. 8.

X. Quis me aberrare dixerit, ſi vos *Laqueos diaboli* vocem, cùm habeam præcedentem me Regium Prophetam è Pſalm. 56. 7. de inſidiis diaboli conquerens, ait: *Laqueum paraverunt pedibus meis.* O infelicem me! Quocumque me vertam, reperio laqueos; ſed quinam ſunt illi? Dicat Eccleſiaſticus Cap. 7. 27. *Vidi mulierem, quæ laqueus venatorum eſt.* Non de omnibus mulieribus loquitur Eccleſiaſticus; ſunt enim piæ, & religioſæ quàm plurimæ, quæ per exemplarem honeſtatem, & ædificativam modeſtiam, retia, & laquei ſunt Spiritûs ſancti; *Laqueos diaboli* ſolùm vocat illas laſcivas, petulantes, & impudicè ornatas. Tali quòque eas inſignit encomio Purpuratus Ugo: *Mulier laqueus venatorum eſt, id eſt, dæmonum, qui venantur animas hominum ad mortem. Hunc laqueum tendunt dæmones, ubicumque mulieres præparant, & exornant.* Diaboli vos ornant Mulieres vanæ, impudicæ, & luxurioſè comptæ, quæſtui eorum ſedentes. Audite, quid de vobis Habacuc Propheta dicat Cap. 1. 16. *Super hoc lætabitur, & exultabit: & propter hoc immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo; quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus, & cibus ejus electus.* Do probam.

Pſalm 56. 7.

Eccli. 7. 27.

Ugo Card.

Habacuc 1. 16

XI. Vir religioſæ ſanctitatis, in prænobilis Domini porticum, turbam Cacodæmonum ſtatis horis intrantem conſpexit; ac ibidem loci nudæ, ac laſcivæ cuidam picturæ, poſt profundiſſimas inclinationes imagini factas, incenſum offerre, in recognitionem quæſtûs magni, quem faciebat per illam infernus: & poſt quaſdam adjurationes à dæmonibus extorſit, plures libidinis flammas ab hac una tabula incendi, quàm illi omnibus ſuis infeſtationibus inflammare poſſent. Quo vir Religioſus conterritus, Domino rei viſæ ſeriem exponit, ac graviter commovet, picturam hanc flammis aboleret.

Engelgrave Dom. 4. Quad. §. 4.

aboleret. Quam viſionem cùm ille illuſioni, aut ſomnio adſcriberet, poſtridie ab his inferorum geniis horrendum in modum diſcerptus, ante imaginem repertus eſt. Quis mihi perſuaſerit, quòd diabolus potiorem rationem habeat incendendi laſcivam telam mortuam, quàm imaginem vivam, quæ aſpectu, & nutu impudico, habitu ſcandaloſo, humeris, & uberibus detectis, nihil magis intendit, quàm ſpectatores ſuos incendere? *Super hoc lætabitur, & exultabit*; tantique facit hoc rete ſuum, ut quaſi adoret: *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo; quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus*; & accreſſit ſemper cibus, magis ſapidus palato furoris ejus. Sed *Væ* iſtis retibus diabolicis, inquit Iſaias Cap. 5. 18.
Iſaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis; & quaſi vinculis plauſtri peccatum*. Væ vobis, quæ ducitis quaſi in triumphum iniquitatem, trahentes animas ſcandalis vanitatis, & nuditatis veſtræ in ruinam! Hoccine eſt implere, quod non ſolùm Corinthiis, ſed & vobis mandat Apoſtolus?

XII. 1. Cor. 11. 5. Scribit illis Doctor Gentium, & præcipit, ut in templo mulieres habeant coopertam
1. Cor. 11. 5. faciem: *Mulier orans non velato capite, deturpat caput ſuum*: & ut oſtendat hanc rem ſibi cordi eſſe, ipſos Corinthios conſtituit
Verſ. 13. judices: *Voſipſi*, inquit, *judicate: Decet mulierem non velatam orare Deum*? Cur, quæſo, Apoſtolus mulieres, maximè in templo, velatas vult? Meliùs me hoc dixerit
Lyranus. Lyranus: *Ne viri ex aſpectu mulierum non velatarum, ad concupiſcentiam provocentur*. Quid vobis videtur de hoc Apoſtolico præcepto Mulieres Chriſtianæ? Severum nimis? videtur; quia pauciſſimæ illud obſervant. Obſervâſſent tamen facilè mulieres Gentiles, quæ, ſpontaneè etiam, per plateas incedebant velatæ; teſte S. Clemente Alexandrinò in Pedag. Lib. 2. Cap. 10. Creuſa, Æneæ uxor, tantâ erat honeſtate dotata, ut coopertam habuerit faciem in ipſo etiam incendio Trojano: & flammæ, quæ integram civitatem redigebant in cineres, nequidem infumare valuerint vultum ejus pudicum; timebat magis, lædi ab impuro aſpectu humani oculi, quàm à tanti ignis voracibus flammis. De Arabicis refert Tertullianus de Vel. Virg. quòd ex toto vultu unum ſolummodò oculum habuerint detectum: *Contentæ, dimidiâ frui luce, quàm totam faciem proſtituere*. Tertullianus. Et vos recuſabitis honeſtatem illam in Eccleſiis, quam mulieres idololatræ oſtenderunt in plateis? Iterùm vos alloquitur Paulus, qui heri Corinthios.

XIII. 1. Cor. 8. 11. *Peribit infirmus in tua ſcientia frater, pro quo* 1. Cor 8. 11.
Chriſtus mortuus eſt? ſinite me unum tantùm mutare verbum: *Peribit infirmus in tua forma, pro quo Chriſtus mortuus eſt*? Pereat, non curant; imò in his tam altas hoc Tom. 2. de Patt. Flag. Art. 2. Cap. 2.
malum radices egit, ut aſſerat D. Bernardinus Senenſis: *Si Angelus de cœlo deſcenderet, vel Paulus, fortè vel Chriſtus, & contra hæc talia veſtimenta, & ſuperflua, prædicarent, credo, quòd victoriam non haberent.*

berent. Quomodò ſimiles dicendæ, aut habendæ ſunt Chriſtianæ? Habeant, qui voluerint, ſed non ego: econtrà, audacter illis dico, quod de Torquato, viro molle, & pompatico, S. Martyr Tiburtius dicebat Fabiano Præfecto: *Numquid tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſervos ſuos?* A fortiori dico de tam impudenter denudantibus ſe: Numquid tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere famulas ſuas? Non ſibi perſuadeant talia, dum contra ſe loquentem habent D. Cyprianum Lib. de Diſc. & Habitu: *Sericum, & purpuram indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis, ac pectoris perdiderunt.*

Surius in Vita S Sebaſt.

S. Cyprianus.

XIV. Dicetis fortè: nihil intendimus mali; multò minùs ruinam animarum. S. P. Vincentius excuſationes iſtas non admittit; ſed ſimiles comparat furi, qui non audet piſcari in Domini ſui vivario, aut in ejus ſaltu venari, ſed viverras, canes venaticos, aut retia mutuat audaciori ſe. Sic agunt, inquit, mulieres vanæ, & inverecundæ denudantes ſe; mutuant diabolo corpora ſua, quibus ut retiis utitur ad capiendas animas; aut, ut vult D. Hieronymus, ſimiles ſunt, publicè vendenti toxicum, aut venenum: qui, licèt nullus indè nocumentum patiatur, non deſinit equidem peccare. *Mulier, ſi ſe ornaverit, & oculos intuentium ad ſe traxerit, etſi plagam non intulit, vindictam tamen ſolvet extremam: venenum enim intulit, etſi nullus, qui biberet, inventus ſit.*

S Hieronymus.

In eandem ſententiam abit Doctor Angelicus 2. 2. Q. 43. Art. 4. *Etiamſi nullum pulchritudine ſuâ potuit vulnerare, dabit tamen extrema ſupplicia: paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamſi nullus, qui biberet, inventus ſit.* Licèt nullus ex aſpectu humerorum, aut uberum, ruinam ſit paſſus, peccant tamen coram Deo, quia ignem ſuccenderunt. Hinc ſancti Patres, judicàrunt ſimiles abſolutione indignas, & à Communione arcendas. Unum præ cæteris do, D. Carolum Borromæum: *Mulierum confeſſiones non audiantur, quæ ceſuſſatæ veniunt, quæ fucis utuntur, quæ ex auribus geſtant monilia, quæ levibus, & vanis ornamentis ſimilibus laſcivis comptæ accedunt: & ut ſemel omnia dicam: quæ veſtes modeſtas non habent; cùm cogitare debeant, quòd ante tribunal, & judicium Domini Dei ſui ſe ſiſtant, ac quaſi peccatrices, miſericordiam, & veniam ſuppliciter de iiſdem imploraturæ veniant.* Tract. de Ration. Adm. Sacram. Conf. apud Hoſſenium Lib. 3. Bibl. Select. Cap. 23. Patet id inſuper ex Brevi SS. D. N. Innocentii XI. à paucis annis deſuper dato, quo impudicas illas non tantùm Sacramentis Eccleſiæ indignas, ſed & Excommunicatione digniſſimas cenſet.

D. Thomas.

S. Carolus Borromæus.

XV. Quidni Chriſti Vicarius ſimiles in terris excommunicet, quos ipſe Dei Filius æterno *Væ*, excommunicatione ferit æternâ: *Væ* enim de æterna damnatione ſolet intelligi; inquit D. Hieronymus. Si dicatur *Væ* hypocritis, qui ſe

ſolos damnant: quale *Væ* manet eos, qui tot animas damnant? Si reddenda nobis ſit ratio de fratribus noſtris, & omnes damnandi ſint, qui cum Cain dixerint: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Qualis erit reddenda ratio iis mulieribus, quæ tot animas fratrum ſuoru[illegible]erint in ruinam æternam? Dicat Auguſtinus, quid de illis ſentiat; de Honeſt. Mulierum ſic loquitur: *Illorum animæ, qui perierunt, ab illis in die judicii requirendæ ſunt, qui illis exemplum perditionis oſtendunt.* Attenderit fortè M. Auguſtinus ad legem à Deo latam.

XVI. Exodi 21. *Si quis aperuerit ciſternam, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſina in eam, reddet Dominus ciſternæ, pretium jumentorum.* Quærit D. Bernardinus, quænam hæc ciſterna ſit: num fortè mulier, de qua in divinis Proverbiis Salomonis Proverb. 5. 15. quæ tunc aperta dicitur, quando denudata? ſic eſt: ſi ergò non operiens apertam à ſe ciſternam, in quam inadvertenter cecidiſſet jumentum, ſecundùm qualitatem reddere cogatur pretium jumenti; neque ſufficeret Domino ciſternæ dicere; Non tenui illam apertam, ut aliquod indè jumentum periret; ſed ſimpliciter illam apertam tenere, ipſum reum reddat: quantò magìs oportebit vos reddere animarum pretium: ſi per nuditates veſtras pereant animæ, pretioſo Chriſti emptæ Sanguine? Non titilletis vos frivolâ illâ excuſatione: *Non habui malam intentionem*: quia vos ipſas teſtes volo: ſi muſca amans luminis, contenta foret ſolùm lumen videndo, parùm ei noceret illud videre; at quia allecta lumine, lumen videns, in flammam volat, ideò illi lumen oſtendere, illam occidere eſt. Nimis immoderati ſunt hominum appetitus: quò oculi vergunt, cor ſequitur: *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum* Job 31. 7. videte Iob 31.7.
ergò periculum, cui innumeros exponitis, licèt tantùm oſtendatis nuditates veſtras. Audite Eccleſ. 9. 9. de ſpecie mulierum loquentem: *Propter ſpeciem mulieris multi perie-* Eccl.9.9.
runt; & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit. Si propter ſpeciem multi perierint, quot propter nuditates ſcandaloſas? Si cor humanum paleam, ſtupam dixero, multum dixero, nec tamen totum: ſtupa enim non accenditur, niſi approximatâ flammâ: non accenditur ad aſpectum; concupiſcentia autem, ut videt, flammas concipit, & exardeſcit. Quid ad hæc Mulieres vanæ? Non ergò ſufficit vobis, quod rationem reddere oportebit pro animabus veſtris, ut etiam pro tot animabus, quas ſcandalizando damnatis, reſpondere velitis? Quòd diabolus ruinæ animarum ſtudeat, quid mirum? diabolus eſt: odium habet inteſtinum erga illas; at vos, quæ Chriſtianæ eſtis, quæ rationem non habetis illas odio habendi, ſed amandi; cur tam ferè perſequimini eas? Utinam non contingat vobis, quod ſibi eventurum timuit ſcandaloſus Beringarius, de quo Feriâ 3. Septimanæ præteritæ! Utinam ultima confeſſio veſtra ob datas confuſiones non fiat mera confuſio! In fine vitæ altâ voce clamabat ille: *Væ mihi! Væ mihi! peccantem me vidiſtis, pœnitentem non vidiſtis.* Quot ſimilium in fine vitæ clamabunt eâdem voce:

Peccantem me vidiſtis, pœnitentem non vidiſtis? Quomodò nunc denudantes
Lucæ 23. 30. ſe, *Tunc dicent montibus: Cadite ſuper nos* Lucæ 23. & tegite nos, ne videamus iratam faciem Dei juſtiſſimi judicis noſtri? Quomodò tunc, quæ nunc ſine pudore ſunt, pudore ſuffundentur, quando Angeli producent in judicium omnia ſcandala ab ipſis data, & numerum animarum per ipſas damnatarum?

XVII. Ne fortè vobis verba tantùm dare videar, exemplum adduco; præ ſolito, tamen, cùm non facilè ad hiſtorias, & exempla recurram niſi in SS. Paginis contenta. Zachariâ Boverio teſte, in Annalibus: Matrona quædam nobilis, veſtium luxui nimis addicta, multos protraxerat in ruinam: ſicque ſacro-ſancta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequentabat Sacramenta: Dei vindicis ira, miſeram hanc, & infelicem inopinatè ferit. Quâdam die, conſuetis intenta vanitatibus, ſubitò ad Dei rapta tribunal, & in infernum (qui ſimilibus paratus eſt) deturbata eſt. Ululatu horrendo aërem replens, Divino ſe clamabat damnatam judicio: filiarum una adſtans, ad has matris voces timore perterrita, patrem abſentem vocat: accurrit ille, eamque, ut in Dei clementiam ſperaret, hortatur: obſurduit illa, aſſerendo ſe damnatam, jamque nullum ampliùs ei ſupereſſe remedium. Acceſſitur Confeſſarius: qui perſuadere conatus, diaboli eſſe tentationes, arbitrum ſe ſuæ fuiſſe conſcientiæ per annos multos, non videre ſe, quid cauſæ damnationis haberet: ad quæ mulier infelix: *Ah Pater, meæ me confeſſiones damnant: Deo mentita, pompas, luxus, vanitates, corporis curam, quibus cæteros in ſcandalum pertraxi, longè Deo, ac propriæ animæ ſaluti antepoſui.* Ad hæc filia: Eja, Mater, animos ſume: quamdiu vivis, ſpes veniæ eſt: ſed illa: *Apagè iſtinc, maledicta Filia; tui enim causâ potiſſimùm condemnor. Ego, ut illam veſtem auro criſpantem, hactenùs non viſam, jam verò omnibus obviam, haberes, procuravi.* Vix illa dixerat, cùm ſubitò dæmon magno impetu eam terræ alliſit: & alliſidendo animam eliſit, magno poſt ſe relicto fœtore. Diſcite Mulieres vanæ ab exemplis ſapere, & per veſtium luxum non perire. D. Iſidorus vos alloquitur in Solil. Lib. 1. Cap. 10: *Aſpice ex aliorum tormento, quod timeas: reſpice in alieno exitio, quod paveſcas: evita foveam, in quam alium videris cecidiſſe: periculo alieno in te pertimeſce.* S. Iſidorus. Et ego cum Chryſoſtomo vos precor: *Ut vocis tandem illius recorderis, quam in Baptiſmo profeſſus es: Abrenuntio tibi, Satana, & pompæ tuæ;* S. Chryſoſt. & ſeriò cogitetis, an quæſtui ejus ſedere, ſit illi abrenuntiare, & pompæ ejus? Ne jubeatis ſcandalis veſtris alios peccare, ne & veſtras, & aliorum animas perdatis: ſed dicite cum Pſalmiſta: *Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſervo tuo.*

FERIA II. DOMINICÆ II. ADVENTUS.

De Conſenſu, tertio Peccato Alieno

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Tertium Peccatum Alienum committitur *Conſenſu* in malum alterius: quod peccatum contrahunt illi, qui, videntes fieri mala, ea, dum poſſunt, non impediunt; aut ſi impedire non poſſint, corde in illa conſentiunt; non minùs, quàm ipſi malè operantes, poſt hanc vitam puniendi: juxta illud Apoſtoli ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni ſunt morte; non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

I. UT heri dixi, non ſolùm peccatur peccato *Juſſionis* verbo ſed etiam opere: & ſignanter ſcandalo, quod datur ab eis maximè mulieribus, quæ mollibus veſtiuntur, & nimio veſtium luxu, ac impudenti denudatione animas trahunt in ruinam: iterùm dico, & dicam ſemper, illas non ſolùm laqueos eſſe diaboli ad capiendas animas, ſed *Matres fornicationum*, ſedentes quæſtui infernali; ita ut de illis verificetur illud Habacuc: *Super hoc lætabitur, & exultabit* (diabolus) *& propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus*; adeò ut illis indubiè profundiſſimas inclinationes faciat, incenſum offerens in recognitionem quæſtûs magni. Si quæ hîc forent præſentes, dico illis ex parte Dei: *Væ, quæ trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis!* quia omnes animæ, quæ pereunt per eas, in die judicii requirentur ab illis. Illas linquo: venio ad tertium peccatum, quod committitur *Conſenſu* in malum alterius. Non loquar de illo, niſi imploratâ priùs interceſſione ejus, quæ dedit Angelo illum conſenſum, à quo tota ſalus noſtra. *Ave Maria.*

II. Inter omnia arcana, quæ ex altiſſimo Incarnationis Chriſti Myſterio nobis profluxerunt, non infimum locum habet, magnum Sacramentum ſpiritualis, & divini Matrimonii inter Chriſtum, & Eccleſiam: inter Deum, & hominem. Ita Apoſtolus Epheſ. 5. *Ego autem dico: In Chriſto, & Eccleſia;* hinc Verbum Incarnatum vocatur: Sponſus Eccleſiæ; imò: Sponſus cujuſque animæ: *Sponſabo te mihi.* Quàm benevolè ſe habent conjugati ad invicem! Maritus, ſi amet uxorem, conſentit ei, & permittit, quidquid licitè ipſa voluerit, petieritve. Econtrà quòque, eodem modo ſe habet uxor ad maritum. Ita Verbum Incarnatum permittit, & conſentit Sponſæ ſuæ, quidquid petierit; eâ conditione, ut ipſi in omnibus obediat, tamquàm Capiti. Oſtendit hoc Sponſus Sponſæ Cant. 3. ſicut enim ipſa noluit excitari

Epheſ. 5. 32.

Oſeæ 2. 20.

Cant. 3. 5. tari Sponſum, ita & ipſe: *Donec ipſa velit.* Videte idipſum in hoc altiſſimo myſterio. Divinitas conſentit humanitati, ut patiatur famem, ſitim, frigus, calorem, dolorem, ipſam mortem: humanitas conſentit Divinitati, ut cooperetur humanis actionibus, ut humanitate ſuâ, tamquàm inſtrumento ad patranda miracula utatur, &c. ita ut hoc modo dicatur Deus paſſus, mortuus, & ſepultus, reſurrexiſſe, &c. homo verò dicatur miracula feciſſe, ſuper aquas ambulâſſe, mortuos ſuſcitâſſe. Quidquid Chriſtus in ſua Perſona fecit viſibiliter, hoc in hominibus facit ſæpè inviſibiliter: undè ipſi, tamquàm conſentienti, omnia noſtra bona tribuamus: & non ſolùm dat nobis ipſe ſuum conſenſum, & nos illi noſtrum, verùm etiam voluit homines hominibus conſentire in bonum, ſicque alterum alterius boni operis participem eſſe. V. G. in conjugatis: alteruter vult ad tempus ſe continere ab actibus Matrimonii, ut vacet orationi, non poteſt autem ſine conſenſu alterius: petit ergò conſenſum; alter dum dat, dando fit particeps iſtius continentiæ. Sicut inter Deum & hominem, inter Chriſtum & Eccleſiam, eſt ſpirituale Matrimonium, ita econtrà, inter diabolum & peccatores, eſt quoddam quidem conjugium; ſed perverſum, & diabolicum, quo conjuncti ſunt, ut invicem in malum conſentiant; ipſe, malum ingerendo: illi, conſentiendo: uti ad oculum ſæpè videre eſt inter diabolum, & veneficos, qui cum illo ea de re viſibiliter ineunt pactum; idem autem inviſibiliter fit, inter peccatores ad ejus voluntatem captivos: inter quos diabolus non ſolùm vult per conſenſum ſuum eſſe particeps peccatorum, ſed & conatur, ut homines alienorum inſuper peccatorum participes ſint, alienis peccatis conſentiendo. Tertium ergò peccatum alienum committitur *Conſenſu*, in peccatum alterius. De illo hodie dicturo præbete benignas aures. Incipio.

III. Tunc peccatur peccato *Conſenſûs*, prout Conſenſus ſpectat ad peccata Aliena, quando quis, videns mala fieri, aut valens illa impedire, ea non impedit. Ita D. Bernardus Serm. de Nativit. S. Joan. Bapt. *Conſentire eſt, ſilere, cùm arguere poſſis.* S. Bernardus. Item Gloſſa: *Qui deſinit obviare, cùm poteſt, conſentit.* Glossa. Vel etiamſi non valeat obviare, & impedire, corde tamen in malum alterius conſentit: ut rectè Doctor Seraphicus Lib. 2. Pharet. Cap. 4. *Tunc conſentimus, cùm approbamus, & volumus, & errorem fovemus.* S. Bonav. Auguſtinus Tom. 4. Lib. de Mendac. Cap. 19. dans differentiam inter permiſſum, & conſenſum, dicit: *Permittendi mala poteſt eſſe aliqua ratio (evitandi V. G. majoris mali) conſentiendi autem nulla. Tunc enim conſentimus, cùm approbamus, & volumus.* S. Auguſtin. Magni Auguſtini veſtigia premit Mellifluus Bernardus: *Qui non vetat, vetare cùm poteſt, jubet.* S. Bernardus. Si quis deſideret ſibi nominari aliquos, qui, conſentientes alterius peccato, peccent, & æternam damnationem pro mercede conſensûs expectent; talis eſt Achab: qui 3. Reg. 21. conſenſit, ut Jezabel uxor ejus ſcriberet litteras concilio Jezraël, de occidendo Naboth; unde merebatur audire à S P. Noſtro ELIA, quòd fur eſſet, 3. Reg. 21. 19.

&

& homicida. Talis fuit Ozias ſummus Sacerdos, qui Judith 8. 1. conſenſerat, ut traderetur civitas Aſſyriis, ſi intra quinque dies non habuiſſet ſuppetias; qui obinde reprehenſus eſt à Judith, quaſi tentans Deum, & eum ad iracundiam provocans. Tales fuêre filii Iſraël, qui 1.º Machabæorum 1.º & 2.º Cap. reprehenduntur, quòd conſenſerint in ſacrificiis idolorum. Tales ſunt Phariſæi, qui Luc. 11. arguuntur, quòd operibus ſuis oſtenderint ſe conſentire factis patrum ſuorum in nece Martyrum; dum illis exprobrat Chriſtus: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum; patres autem veſtri occiderunt illos: profectò teſtificamini, quòd conſentitis operibus patrum veſtrorum; quoniam ipſi eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra.* Tales etiam ſunt, qui in alieno peccato conſentiunt. V.G. fit homicidium, & non impedis, dum potes: vel, quia inimicus tibi erat, approbas, & in corde gaudes, & conſentis; homicida es coram Deo. Fit perſecutio fidelium, & Eccleſiæ ſanctæ Dei oppreſſio: perſecutio te intercedente ceſſabit: intercedere potes, & non facis: vel intercedere non potes, & corde in perſecutionem conſentis; ipſo conſenſu es perſecutor Eccleſiæ, & Miniſtrorum ejus, ac innocentium oppreſſor. Lapidatur inimicus tuus, injuriis & convitiis appetitur, dum impedire potes, & debes, gaudes, & rides: injuſtè ſupprimitur, & adeò affligitur, ut tandem indè moriatur; non defendis innocentem: contrà, gloriaris; imò ſupprimentibus, & lapidantibus tacitè lapides ſubminiſtras: in tali caſu, dic audacter cum D. Paulo: *Eram conſentiens neci eorum*: vel, ut habet Arabicus; *Saulus erat latus de nece illius.* Pallies necem tuam, ut volueris: dico tibi in faciem, quod Greg. Naz. Juliano Apoſtatæ.

Judith 8. 1.

1. Mach. 1. 2.

Lucæ 11. 47.

Actor. 7. 59. Arabicus.

IV. Imperante Juliano emanârat crudele edictum in Chriſtianos, vi cujus multi à vera Chriſti fide apoſtatârunt. Super hoc edicto Julianus multa paſſus opprobria, purgabat, & juſtificabat ſe, dicens, nec dediſſe nec publicâſſe ſe edictum; multò minus mandâſſe illam prætenſam perſecutionem. Quid ad hæc D. Gregorius? Julianum aggreditur, & in faciem ei exprobat: Tu, tu ipſe es perſecutor: tuum eſt edictum; quia faves, & amas illos, qui Chriſtianos perſequuntur; exultas, dum fautores tui infeſti ſunt ipſis. Non debeo habere aliam probam tuæ tyrannidis: ſatis pandebas perverſum animum tuum, dum interrogabas: An non liceret idololatræ, occidere decem Galilæos? ita appellans Chriſtianos: non vetans, vetare dum poteras, jubebas; conſenſus tuus, decretum crudelitatis eſt tuæ. Sciens enim, & non impediens, & conſentiens, idem ſunt. Ita D. Antoninus P. 1. T. 4. de Vol. Cap. 9. *Facientem, & conſentientem, par pœna conſtringit.* Hoc auctoritate Apoſtolicâ confirmet Paulus. S. Antoninus.

V. Act. 7. Reprehendens Stephanus Judæos, quòd ipſi, & patres eorum Spiritui ſancto ſemper reſtiterint, ab illis lapidatur, teſtibus veſtimenta ad pedes Sauli deponentibus. Hanc lapidationem deſcribens S. Lucas, ait: *Saulus autem erat conſentiens neci ejus.* Actor. 7. Saulus, Act. 7. 59.

L jam

jam factus Paulus, narrans ſuæ converſionis ordinem, dicit inter alia, quomodò, à Domino miſſus ad prædicandum Gentibus, illi reſponderit:
Actor. 22. 20. *Domine, ipſi ſciunt, quia eram concludens in carcerem, & cadens per Synagogas eos, qui credebant in te. Et cùm funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum*, tamquàm cum illis interficiens, & lapidans Stephanum. Quot fortè, etiam ex hîc ſtantibus, qui cum Paulo coram Deo judice confiteri debebunt, quòd multos in carceres concluſerint, multos cæciderint, lapidaverint, morte affecerint, licèt tamen numquam aliquem lapidari, virgis cædi aut occidi juſſerint, aut manu propriâ lapidaverint, aut occiderint: ſed quia cum Paulo dicere debebunt: *Eram conſentiens neci eorum?* Habemus ſuper his confirmationem Apoſtolicam.

VI. Ad Rom. 1. Enumeratis multis, & gravibus vitiis, in quæ inciderunt Gentiles, tandem concludit Apoſtolus, reos mortis eſſe æter-
Rom. 1. 32. næ, *Non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Multi quidem Gentilium talia crimina non perpetrârunt, ut Plato, Ariſtoteles, Socrates, & ſimiles: quia tamen ipſi conſenſerunt talia facientibus, & ſcriptis ſuis laudaverunt, aut ſaltem debito odio non ſunt perſecuti, ideò & ipſi digni ſunt morte. Multi hodie coram Deo ambulant tamquàm Hæretici, licèt veram fidem numquam amiſerint; eò quòd Hæreticis faveant, & conſentiant, eorum templa adeundo, Conciones audiendo, ceremonias aſpiciendo: in quo externo ſigno oſtendunt ſe conſentire Hæreticis; tali enim modo multi Judæorum conſenſerunt Gentilium ſacrificiis, & tamquàm idololatræ puniti ſunt. Quàm ad rem noſtram faciunt ea, quæ Spiritus ſanctus dicit.

VII. Eccli. 49. 5. *Præter David, Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt*. Eccli. 49. 5. Eſtne hoc ſimpliciter verum? Non peccavit David peccato adulterii, & homicidii? Non peccavit Ezechias? Non peccavit Joſias? ipſe SS. Paginæ id teſtantur, & ob peccata ſua à Deo punitos memorant. Quomodò ergò *Præter David, Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt?* Scio à Patribus hoc intelligi de *Idololatria*, quæ Antonomaſticè *Peccatum* dicitur; utpotè peccatum peccatorum: idololatra enim, eſt apoſtata, qui perfidè à Deo ad idolum, id eſt, ad dæmonem deſciſcit. Dicet quis: Etiam Rex Aſa, & Joſaphat fuêre veri Dei cultores, & oſores idolorum. Reſpondeo, id verum eſſe: ſed dico utrumque peccâſſe peccato idololatriæ vicino & annexo: nam nec Aſa, nec Joſaphat *Abſtulit Excelſa*: templa ſcilicet, & altaria erecta in montibus, lociſque excelſis, quæ Deus vetuerat 3. Reg. 15. 14. & 3. Reg. 15. 14.
3. Reg. 22. 14. Inſuper cum Regibus Iſraël Achab, Ochozia, & Joram 3. Reg. 22. 14. idololatris, amicitias, & connubia inierunt; ſicq; eorum idololatriam, indirectè foventes, roborârunt; quamobrem uterque acriter reprehenſus fuit à Propheta 2. Paral. 19. 2. & 2. Paral. 19. 2. 20. 37. Computantur ergo Aſa, & Joſaphat inter idololatras, quia idololatriam non impediendo, cùm poſſent

poſſent, tacitè in illam conſenſerunt; juxta illud D Gregorii Magni apud Gratianum in Decret. Diſſ. 83.
S. Gregorius. P. 1. *Conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit*; quamquàm aliundè vir pius, & ſanctus ſit.

VIII. Apocal. 2. Eccleſiæ Tiatyræ Epiſcopus, ob vitæ ſanctitatem *Angelus* dictus, ex parte Dei inſigniter increpatur. Erat ille Prælatus raræ fidei, charitatis eximiæ, patientiæ incomparabilis, laboris indefeſ-
Apoc. 2. 19. ſi: juxta hæc Dei verba: *Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium tuum, & patientiam tuam, & opera tua noviſſima, plura prioribus: ſed habeo adversùs te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit propheten, docere, & ſeducere ſervos meos fornicari, & manducare de idolothytis.* Erat hic Epiſcopus bonus quoad ſe, reprehenſibilis autem, quia permittebat mulieri iſti libertatem ſeducendi populum: & ideò reprehendit eum ob non factam correctionem, tanquàm omnium malorum reum; eò quòd non reprehendere peccata, ſit illa approbare. Ita Innocentius Papa in Ca-
Innoc. Papa. none: *Error cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas, cùm minimè defenſatur, opprimitur: negligere quippe, cum poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quàm fovere: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Audiatur etiam D.
S. Proſper. Proſper: *Si peccantem video, & non ſolùm non arguo, ſed etiam ei peccanti conſentio: participem me damnationis ejus efficio: & cum omnibus peccantibus pecco, quando eos, quos ſcio peccâſſe, ſive peccare, quâdam crudelis animi malignitate non increpo.* Lib. 3. de Vita Contempl. Cap. 23. Notent hæc Reges, & Principes Chriſtiani: diſcantque, non ſufficere, quòd ipſi ſint Orthodoxi, & pii: ſed inſuper Deum ab ipſis requirere, ut Hæreticos, & Hæreſim, quantùm poſſunt, extirpent. Notent & parentes, multique ſuperiores: & ſciant, quòd, licèt viri probi, pii, juſti, & conſcientioſi habeantur, tamen in libro Dei ſcripti ſint tamquàm blaſphemi, impii, ac latrones, quia non impediunt, aut corrigunt talia agentes. Notent etiam hunc locum Principes, & Magiſtratus: & ſciant, ſe reos eſſe omnium latrociniorum, homicidiorum, &c. quæ ſubditi, ipſis ſcientibus, & non, in quantùm poſſunt, impedientibus, committunt. Item qui operarios diebus Dominicis, & Feſtis, ab opere ſervili non arcent. Qui officinas non claudunt, ſed emere, & vendere, liberè permittunt. Si nunc Nehemias viveret, quomodò inſurgeret in illos!

IX. 2. Eſdræ 13. *In diebus illis,* inquit, *vidi in Juda calcantes torcularia in Sabbatho, portantes acervos, &* 2. Eſdræ 13. 15.
onerantes ſuper aſinos vinum, & uvam, & ficus, & omne onus, & inferentes in Jeruſalem die Sabbathi; & addit: *Conteſtatus ſum, ut in die, quâ vendere liceret, venderent:* nihil aliud dicebat, niſi ut in die, quâ liceret, talia venderent; ſed ut vidit, quòd *Tyrii habitaverunt in ea, inferentes piſces, &* Verſ. 16.
omnia venalia: & vendebant in Sabbathis filiis Juda in Jeruſalem: tunc zelo plenus, ait: *Objurgavi Optimates* Verſ. 17.
Juda, & dixi eis: Quæ eſt hæc res mala, quam vos hîc facitis, & profanatis diem Sabbathi? Quinam profanabant

Sabbathum? numquid Tyrii, qui inferebant piſces, & alia venalia? Quare ergò Optimates objurgat, & non Tyrios? Quare? quia ad illos ſpectabat attendere, ut ſervaretur Sabbathum; illorum erat impedire, ne talia illo die inferentur, & venderentur; ſed quia illi diſſimulando permittebant, & ſic conſentiebant in illam tranſgreſſionem, ideò illos objurgat, & meritò illos dicit tranſgreſſores Sabbathi. Si videret Nehemias ea, quæ in noſtris Catholicis civitatibus, Dominicis, & Feſtis diebus fiunt, certus ſum, quòd aliter clamaret: *Ut in die, quâ liceret vendere, venderent*: quòdque objurgaret Optimates, eoſque diceret profanatores Sabbathi, permittendo illicita, & conſentiendo, tam liberè emi & vendi, quaſi dies forent Feriales: ſed quia tempora illa tranſierunt, & pauci modò reperiuntur Nehemiæ, qui illos objurgent, hinc tot committuntur peccata, & illis diebus tam liberè offenditur Deus: quorum tamen omnium peccatorum, ipſi conſentientes coram Deo rei ſunt, adeòque etiam ab illo propterea puniendi. Audiatur Doctor Doctorum Auguſtinus, hanc materiam tractans Serm. 1. Dom. 26. poſt Pent. Tom. 10. *Nolite, Fratres mei dilectiſſimi, hæc*
S. Auguſt. *facere: nolite hac facientibus conſentire: quia non ſolùm qui hac faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, pereunt.*
Gloſſa. Hinc Gloſſa Ord. *Omnis faciens, & conſentiens, dignus eſt morte.* Utinam ſaperent, & hæc intelligerent, qui ſe putant ſine culpa eſſe, & tamen coram Deo digni ſunt morte!

X. Levitici 20. 2. 3. 4. Ait Do-
Levit. 20. minus: *Si quis dederit de ſemine ſuo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum.* Verùm ſufficitne, quòd morte temporali puniatur? nequaquam: *Et ego*, inquit Dominus, *ponam faciem meam contra illum, ſuccidamque eum de medio populi ſui, eò quòd dederit de ſemine ſuo Moloch.* Ecce præter mortem temporalem minatur etiam Deus æternam. Sed numquid ſolùm facientem manet hæc pœna? neutiquam: *Ponam*, inquit iterùm, *faciem meam ſuper hominem illum, & cognationem ejus, ſuccidamque & ipſum, & omnes, qui conſenſerunt ei, ut fornicaretur cum Moloch de medio populi ſui.* Gentiles enim abominabile faciebant peccatum, ſemen ſuum Moloch offerentes, & conſecrantes: imò alii filios ſuos, & filias ipſi offerebant: erat enim Moloch idolum concavum, æneum, in cujus manu ponebatur infans: idolum autem erat ignitum, & ſic infans cremabatur, & tunc inter deos relatus putabatur. Et ne parentes dolerent ſuper fletum pueri, erat Sacerdos præſens, qui fiſtulâ tantum faciebat ſtrepitum, ut vox pueri non audiretur, donec mortuus eſſet. Et cui, quæſo, offerebant pueros, quando offerebant Moloch, niſi dæmoni? juxta illud Pſal. 105.
Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Pſal. 105. 37.
dæmoniis. Qui ſic offerebant pueros, lapidibus obruebantur, & æternâ morte à Deo puniebantur; nec ſolùm facientes, ſed, ut expreſsè addit Deus: *Et omnes, qui conſenſerunt ei.* Verum quidem eſt, vix hodie inveniri, qui ſemen ſuum, aut filios ſuos Moloch offerunt ſecundùm litteram; myſticè tamen hoc multi faciunt. Quot ſunt, qui filios ſuos, verum ſemen

paren-

parentum, Moloch, id eſt, juxta 70ª. Principi hujus mundi offerunt, & conſecraut? Quot ſunt, qui filios ſuos, dum adhuc intellectu, & ratione carent, ſuperbo offerunt Lucifero, ornantes, & veſtientes, non ut filios Chriſtianorum, ſed ut filios diaboli? Quot, qui ſeipſos ſuperbiâ inflatos, in provecta ætate diabolo offerunt, eò quòd à parentibus jam diu ei oblati erant? Quot, qui filias ſuas à pueritia conſecrant Veneri, qui à parentibus ipſi Veneri oblatæ, ſeſe, jam ratione utentes, eidem per omnem luxuriam conſecrant? Sanè omnes tales ſemen ſuum offerunt Moloch, filios, & filias immolant dæmoniis; & ideò Deus (licèt modò à Magiſtratibus lapidibus non obruantur) per gratiarum ſubtractionem lapidibus illos obruit, ut corde indureſcant, poſiturus aliquando faciem ſuam contra illos, & de medio populi ſancti ſucciſurus, cùm dicet: *Diſcedite à me, Maledicti.* Non ſolùm autem dæmoniis ſe offerentes, perdet, ſed & parentes eorum: qui, licèt filios, & filias manibus ſuis non conſecrent dæmoniis, tamen filiis, & filiabus, ſeipſos dæmoniis offerentibus, conſentiunt, dum, quantùm in ipſis eſt, peccata illorum non impediunt. Undè Patres, & Matres, vos allòquor.

XI. Deut. 22. 21. Mandabat Deus, ut filia ſui oblita expelleretur de domo paterna, & lapidare-
Deut. 22. 21. tur: *Quòd ſi verum eſt, quòd non ſit in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domûs patris ſui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur.* Secundùm Oleaſtrum, & alios Expoſitores, hæc Dei ſententia mandabatur executioni ante domum parentum, & in conſpectu eorum: ut indè addiſcerent parentes, meliùs cuſtodire filias: ſcirentque, juſtitiam, non crudelitatem eſſe, in oculis eorum lapidari filiam; ut vel ſic participes eſſent pœnæ, qui participes fuerant & culpæ. Fateor, in lege nova hæc pœna non infligitur; non quòd Deus peccatum odio non habeat, ſed quòd longanimiùs expectet nos ad pœnitentiam. Hoc tamen reor, quòd peccata filiorum imputabuntur parentibus non impedientibus ea, ſicuti imputata ſunt Heli: cui ex parte Dei dixit Propheta 1. Reg. 2. 29. *Quare calce abjeciſtis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur in templo?* Et tamen certiſſimum eſt, quòd ipſe perſonaliter 1. Reg. 2. 29.
in eo non deliquerit: ſed quia filios, Sacerdotali munere tam ſcandaloſè fungentes, non debitè corripuit, dum debuit, & potuit; ideò ipſe calce abjeciſſe victimam dicitur, & filiorum peccato conſenſiſſe. Matres, peccatis filiarum conſentitis, dum filias denudatas, diſſolutas videtis, & tacetis; peccatis filiorum conſentitis, Patres, dum ſcitis filios lupanaria frequentare, & diſſimulatis. Quotquot filii, & filiæ peccata committunt, parentibus imputabuntur. Peccant item ſimiliter peccato Conſenſûs filii, & filiæ, conſentientes peccatis parentum.

XII. Joſue 7. 1. Mandat Deus

Joſue, ne quis de populo tolleret aliquid de anathemate: *Filii autem Iſraël prævaricati ſunt mandata, & uſurpaverunt de anathemate*; nam Acham abſtulit pallium coccineum, ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: ob quam prævaricationem percuſſit eos Dominus: *Iratus eſt Dominus contra filios Iſraël*: dixitque ad Joſue, qui pronus cecidit in terram: *Peccavit Iſraël, & prævaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti.* Quæro: ſi ſolus Acham peccavit, quomodò de omnibus dicitur: *Tulerunt de anathemate, & furati ſunt, atque mentiti?* Cur ob iſtum ſolum totus caſtigatur exercitus? Quid hîc latet myſterii? Reſpondebit me meliùs D. Baſilius Reſp.47. voluit Deus, inquit ille, in eo toti mundo manifeſtum facere magnum Myſterium: quaſi diceret: *Si adversùs eos, qui ſceleris authoris conſcii non fuerant, Dei vehemens ira adeò exarſit: quid de iis dicendum eſt, qui & conſcii ſunt, & tacentes diſſimulant?* Idem factum ponderans Theodoretus, ait Quæſt.9. in Cap. 7. Joſue: *Voluit Deus omnibus incutere metum: ut qui divinarum rerum ſunt obſervatores, coarguant tranſgreſſores: alioquin infligendi ſupplicii ſint futuri participes.* Quod facto Joſue confirmatur: qui ex Dei mandato non ſolùm morte punivit Acham furem, ſed & *Filios, & filias: & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.* Si inquiratis rationem, facilè illam daturus eſt cum Procopio Cornelius à Lapide: *Veroſimile eſt, filios & filias Acham furto paterno conſenſiſſe. Agentes enim, & conſentientes, pari pænâ puniuntur.* Non eſt, quòd hîc moralizem: ſcitis, quò vergam. Audiant omnes conſentientes peccatis alienis D. Pium, quid illis dicat. Hic Pontifex ſanctus, Part.1. Diſt. 83. ſic loquitur: *Quid prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti?* Qui alterius errori conſentit, ſciat ſe cum illo ſimiliter culpabilem judicandum: *Similis eſt*, inquit D. Iſidorus Lib. 2. ad Synonim. Cap.16. *qui conſentit malo, illi, qui agit malum. Facientem, & obſequentem, una pœna conſtringit.* Quòd eodem modo puniatur conſentiens, & faciens, probo

XIII. Act.5.36. 37. Cùm per manus Apoſtolorum fierent ſigna, & prodigia multa in plebe, Princeps Sacerdotum, & qui cum illo erant, injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publicâ. Ab Angelo liberati, & denuò in templo docentes, adducuntur in concilium: & dum cogitabant interficere eos, quidam Legiſdoctor, nomine Gamaliel, ſurgens in concilio, dixit ad congregatos: *Viri Iſraëlitæ, attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſentit numerus virorum, circiter quadringentorum: qui occiſus eſt; & omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ſunt ad nihilum. Poſt hunc extitit Judas Galilæus, & avertit populum poſt ſe: ipſe periit; & omnes, quotquot conſenſerunt ei, diſſipati ſunt.* Quibus

Marginalia: Joſue.7.1. — Verſ.11. — S. Baſilius. — Theodoretus. — Joſue 7.25. — Cornelius à Lapide. — B. Pius. — S. Iſidorus. — Act.5.36.37.

bus auditis rationibus, dimiſſi ſunt Apoſtoli; & quotquot conſenſerunt in mortem ipſorum, mutârunt mentem ſuam, timentes, ne ſimul cum Principibus Sacerdotum diſſiparentur, & perirent omnes, quotquot conſenſerant eis. NN. verbum habeo ad vos: & ne meum putetis, declaro me illud habere ex Epiſtola 31. quæ eſt Cleri Romani ad Cyprianum: *Non eſt immunis à ſcelere, qui, ut faceret, imperavit: nec alienus à crimine eſt, cujus conſenſu, licèt non à ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur.* Scitis, & videtis viros Apoſtolicos, qui faciunt ſigna, & prodigia multa in plebe, perſecutionem pati, & male tractari: videtis innocentes, ſimplices, juſtos, malignè ad judicium trahi: ſcitis, imò & conſentitis: dico cum Gamaliele: *Attendite vobis ſuper hominibus iſtis, quid acturi ſitis*; non enim ab heri, aut nudius-tertiùs factum eſt, quòd non ſolùm ſimiles, ſed & omnes qui conſenſerunt eis, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum: quia *Non eſt immunis à ſcelere, qui, ut faceret, imperavit: nec alienus à crimine eſt, cujus conſenſu, licèt non à ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur.* Undè rogo vos omnes, & obſecro in Domino cum Tobia Cap.4. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum; & cave, ne aliquando peccato conſentias; & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Sicut enim conſenſus in malum, conſcientiam lædit, & anxiam reddit: ita non conſentire in malum, conſcientiam defendit, & ſecuram facit. Teſtis ſit Sara, junioris Tobiæ uxor.

Epiſt. Cleri Rom. ad Cypr.

Tobiæ 4. 6.

XIV. Tobiæ 3. 16. Sara, tradita ſeptem viris, quos dæmonium, nomine Aſmodæus, occiderat, mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam, audit improperium ab una ex ancillis patris ſui, quòd eſſet interfectrix virorum: ad hanc vocem deprecabatur Deum: *Tu ſcis, Domine, quia nunquam concupivi virum: & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia. Virum autem cum timore tuo, non cum mea libidine conſenſi ſuſcipere.* Quaſi diceret: Fortè mariti mei acceperunt me ſicut equus, & mulus, in ſua concupiſcentia, in qua tamen ego non conſenſi. Felix conſcientia, quæ tale de ſe poteſt præſtare teſtimonium! Utinam talis & noſtra foret: & unuſquiſque noſtrûm in veritate dicere poſſet: in quocumque genere peccati, *Mundam ſervavi animam meam*: ego non conſenſi. Quanta foret in illa conſcientia gratiarum inundatio, & quàm ſecura illa eſſet de regno Dei! Ne ſolummodò verba dare videar, nomino unum, aut alterum, quem vos ipſi nôſtis. Tobiæ 3. 16.

XV. Lucæ 23. 51. Vir erat, nomine Joſeph, bonus, & juſtus: ſecundùm Matthæum etiam *Dives.* Lucæ 23. 51.
Hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum: ſcilicet Phariſæorum, Magiſtratuum, condemnantium Chriſtum; ab Arimathæa, civitate Judææ: qui audacter introivit ad Pilatum, & petiit Corpus Jeſu: addit Lucas: *Qui expectabat & ipſe regnum Dei.* Præclarè D. Ambroſius ad hunc locum Luc.23. hunc Joſeph *Juſtum* dixit Lucas, Matthæus

S. Ambroſius. *Divitem: Et meritò Dives hoc loco dicitur, ubi Corpus ſuſcepit Chriſti: ſuſcipiendo enim divitem, neſcivit fidei paupertatem. Juſtus* erat Joſeph, & cùm ſuſciperet Corpus Jeſu, etiam *Dives* erat: non quomodolibet, ſed omnium divitiarum ſuppellectili abundans; nam cùm juſtus eſſet, ſuſcipiens totum Divinitatis theſaurum, omnes ſibi opes comparavit. Quàm diſertè de his divitiis D. Epiphanius Oratione de
S.Epiphanius. Chriſti Sepultura: *Verè Dives: utramque enim ſubſtantiam Chriſti, à Pilato dono acceperat: verè Dives: ſic ut margaritam illam, quæ omnem pretii æſtimationem excedit, ſecum aſportare promeruerat. verè Dives: ſacculum namque plenum geſtabat; nempè ipſummet Divinitatis theſaurum.* Sic diteſcit, qui non conſentit conſilio, & actibus malorum. *Vade, & tu fac ſimiliter: & cave, ne aliquando conſentias peccato, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Si autem vis conſentire alicui, conſentias in bono, & habebis laudem ex eo; ſicut enim rei mortis ſunt, non ſolùm qui malè faciunt, ſed & qui malo conſentiunt: ita etiam digni ſunt vitâ æternâ, non ſolùm qui bona faciunt, ſed & qui in bona conſentiunt. *In tribus*, inquit Sapientia Eccleſiaſtici Cap. 25. *placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & Amor proximi, & Vir & mulier benè conſentientes.* Notandum illud *Benè*: quaſi diceret: non in luxuria, non in aliquo malo, ſed *Benè*, id eſt, in bono; ut dum volunt ad tempus continere, dum conſentiunt invicem cohabitare, ut alter alterius defectus ſupportet. Faciamus & illud Chriſti: Matth. 5. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via.* Ipſe enim eſt adverſarius peccatoris; ſi autem ei conſenſerimus, dum adhuc ſumus in via, hoc eſt, in vita, ipſe conſentiet nobis in hora mortis, dum petierimus regnum cœlorum. Quod concedat nobis, &c.

Eccli 25. 1

Matth. 5. 25.

FERIA III. DOMINICÆ II. ADVENTUS

De Conſenſu, tertio Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Peccatum alienum *Conſenſûs* contrahit auditor detractionum, conſequenter detrahens & audiens pari reatu detinentur, imò quid damnabilius ſit, detrahere, aut detrahentem audire, nemo facilè dixerit, quia ſi non eſſet auditor, non eſſet murmurator.

I. COmmune proverbium eſt, *Qui tacet conſentire videtur*, qui detractorem audit & tacet, conſentit, idemque incurrit malum.

peccans

peccans peccato alieno *Conſenſus*, & conſequenter cum illis annumerandus, de quibus Apoſtolus: *Digni ſunt morte non ſolùm qui talia agunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. D. Thomas 2. 2. Q. 73. Art. 4. docet hanc peccatis alienis participationem duobus modis fieri poſſe: *Uno modo directè, quando ſcilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum: alio modo indirectè ſcilicet quando non reſiſtit cùm reſiſtere poteſt.* Dum quis detractori non repugnat, ſe detractioni conſentire, eamque gratam & acceptam habere oſtendit, ſicque ſe culpæ participem facit: ita V. Beda in ſuis Prov. verbo *Crimen. Crimen æquale committit & is qui alicui detrahit, & qui detrahentem libenter audit.* Imò auſim dicere digniores morte eſſe conſentientes, quia ſecundùm D. Hieronymum, *Ubi deſunt audientes, non reperiuntur detrahentes.* De his hodie latiùs, ſalutatâ prius eâ, quæ numquam aurem præbuit ſerpenti, ſed Angelo dicenti. *Ave.*

Rom. 1. 32.

D. Thomas.

S. Beda.

S. Hieronymus.

II. Luc. 11. 14. *Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Super his verbis ſe dignam reflectionem facit Titus Boſtrenſis, & eleganter notat, non hominem, ſed dæmonium ab Evangeliſta mutum dici: *Mutum & ſurdum dicit dæmonium, & potiùs hominem dæmonio obſeſſum debuit dicere mutum.* Cur non energumenus, ſed ſpiritus obſidens dicitur mutus, cùm non dæmonii ligata ſit lingua? Cur vitium aut defectus hominis imputatur Dæmonio? ſimilem quæſtionem movet ſolitâ ſuâ ſolertiâ D. Petrus Chryſologus ad illa Marci verba, *Attuli filium meum habentem ſpiritum mutum*: ubi in hæc verba: *Non dixit attuli filium meum ſurdum & mutum, ſed attuli filium meum habentem ſpiritum ſurdum & mutum. Numquid nequitia ſpiritualis humanis diſtinguitur membris, & ſenſibus anguſtatur humanis, ut debilitates noſtras, noſtras perferat paſſiones?* Quando homo malæ ſuæ linguæ uſum amiſit tunc dæmonium mutum dicitur; quia lingua detrahens potiùs diaboli quam hominis membrum eſt, ut rectè D. Chryſologus Hom. 79. in Matth. *Linguam diaboli habet quæ ut diabolus loquitur.* Et ideò non tam dicitur homo mutus, qui linguæ uſum amiſit, quàm diabolus, dum hominis lingua præpeditur. Similiter quando homo non vult audire malum proximi ſui, tunc diabolus dicitur ſurdus; & quando inclinat aures in malum proximi & audit libenter, ac detractionibus conſentit, tunc dicitur diabolus audiens, quod acutiſſimè obſervavit Doctor mellifluus Lib. 2. de Conſid. Cap. 13. *Detractor & detractionis auditor uterque diabolum portat, ille in ore, iſte in aure*, quia ut adjungit D. Hieronymus, *Si non eſſet auditor, non eſſet murmurator.* Si non forent audientes, non darentur tot loquentes. Et ideò non minùs audienti & conſentienti adſcribitur malum, quàm ipſi loquenti. Non creditis NN? præbete mihi ſolitas benignas aures, oſtendam evidenter. Incipio.

Luca 11. 14.

Titus Boſtr.

Marc. 9. 16.

S. Chryſologus.

D. Chryſologus.

S. Bernard. Lib. 2. de Conſid.

S. Hieronymus.

III. Quærit Doctor Angelicus 2. 2. Q. 73. Art. 3. an qui audit gra-

viter detrahi proximo, peccet mortaliter? quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: quod ſi detractio ſit gravis materiæ aut inferat grave damnum proximo, & audiens poſſit impedire, & non impedit, peccat mortaliter; quia facit contra legem charitatis, quæ unumquemque obligat impedire, dum poteſt, grave malum proximi. Unde D. Ephrem: *Audiendo & non reprehendendo ma-*
S. Ephrem. *ledicta ejus, qui loquitur, tamquam vera probare videtur*: & iterum de Morbo Ling. Tom. 1. *Narrat aliquid obtrectator, & tu illi præbes aurem, quam ille ſuo ore inferre ſtudet necem, tu eam aurium tuarum ſinu excipis.* Addat ſua Ven. Beda in Prov. verbo Crimen. *Crimen æquale committit & is, qui alicui detrahit, & qui detrahentes libenter audit.* Quod dico probo

IV. Joannis 12. 3. In Domo Marthæ & Lazari excipitur Chriſtus, feceruntque ei cœnam ibi: Lazarus unus erat ex diſcumbentibus cum eo. *Maria ergò accepit li-*
Joan. 12. 3. *bram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & domus impleta eſt ex odore unguenti.* Verè pretioſi, quia unus ex duodecim, Judas Iſcariotes, ex ſolo odore taxat ad trecentos denarios: hic dæmonium habens in ore cœpit murmu-
Verſ. 5. rare: *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis & datum eſt egenis?* dicit Matthæus 26. 8. quòd omnes Apoſtoli murmuraverint:
Matth. 26. 8. *Videntes autem Diſcipuli, indignati ſunt dicentes: ut quid perditio hæc?* quis ad concordiam adducet, hos duos Evangeliſtas niſi incomparabilis Doctor Auguſtinus? dicit itaque Lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum Cap. 79 *Poteſt etiam intel-* S. Auguſtinus.
ligi, quòd & alii Diſcipuli aut ſenſerint hoc, aut ſibi dixerint, aut eis Juda dicente perſuaſum ſit. Detractor erat Judas, detrahenti aures præbebant alii, nemine detrahenti ſe opponente, aut ſilentium imponente, ut fecit Chriſtus, & ideò illis adſcribitur Judæ detractio: & meritò, quia ſecundùm D. Bernardum de Int. domo Cap. 2. *De-* S. Bernardus.
trahentes, & audientes pari reatu detinentur. Sunt tamen hodie qui omnium, quæ in civitate fiunt copiam volunt, malum eſt inquiunt quod audire non poſſumus, & benè; quia certè id quod malum eſt, audire non licet, & detractio eſt malum quod audire non poſſunt. Quid tamen hodie communius? eſt conſortium aliquod, ubi pintula in medio: incipit aliquis proximum deſcribere, alii frigillæ inſtar auſcultant & ſubinde annuunt oculis, & fovent dicentem, ſicque detrahunt etiam tacentes. Quid quæſo faciendum cum illis, quærit D. Baſilius? *Ambo à ſocietate ex-* S. Baſilius.
terminandi. Qui ſcalas tenet ut alius furetur & ipſe fur eſt: qui detinet aliquem ut inimicus perfodiat eum faciliùs, & ipſe homicida eſt, quidni idem de eo dixerim, qui cum guſtu audit gladio linguæ perfodi famam proximi & honorem, & non defendit nec impedit, ſi poſſit, nam, ut vulgò dicitur: *Nil proſunt homines, ſi occiduntur honores?* hinc benè S. Bernardus Lib. 2. de Conſid. *Detrahere & detra-* S. Bernardus.
hentem audire quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim. Moveant

veant te hæc Bernardi verba, moveant te, qui detrahentibus tam facilè aures præbes, iiſque conſentis, & ſi ſapis, illas potiùs præbe D. Bernardino Senenſi, dicenti tibi Tom. 1. Sermone 23. *Tripliciter peccare poteſt audiens detractorem, primo ſi taceat, ſecundo ſi delectetur, tertio ſi judicet.* Superaddit Sanctus, arbitror ego detractiones audientem aliquando longè culpabiliorem eſſe ipſo detrahente: *Talis plerumque ampliùs quàm detractor peccat vel offendit, quoniam ex majori iniquitate vel malignitate procedit: & talis omnium malorum, quæ ex cauſa, ab eo data, procedunt, coram Deo habet reddere rationem.* In eandem ſententiam abit D. Thomas 2. 2. Q. 73. Art. 4. *Non minùs peccat auditor, quàm detrahens, & quandoque magis.* Quid ad hæc illi, qui non minùs nequiter agunt cum proximo, quàm Caiphas cum Christo, ab electiſſimis diaboli miniſtris accuſato?

S. Bernardinus Senenſis.

D. Thomas.

V. Matth. 26. 62. Principes ſacerdotum quærebant falſum teſtimonium adversùs Jeſum, ut eum morti traderent, unus objicit crimen rebellionis, eò quòd tentâſſet ſe Regem facere: alter quòd eſſet ſacrilegus, utpote injuſtus uſurpator prætenſæ Divinitatis, tertius quòd eſſet ſeductor populi, ſub prætextu quòd commoviſſet Gentem, ut illam ad ſe traheret; quartus, quòd jactaret ſe deſtructurum templum, & in triduo reædificaturum, &c. ob quæ dicebant eum reum eſſe mortis: tunc Caiphas aperiens os ſuum dixit: *Nihil reſpondes ad ea, quæ illi adversùm te teſtificantur?* Quid dicis? Cur non reſpondes? *Jeſus autem tacebat.* S. Laurentius Juſtinian. de Triumphali Agone Cap. 10. quærit quid moverit Caipham ad inducendum Chriſtum ut loqueretur? & quæſtioni reſpondet: *Obſervabat Caiphas callidè, ſi fortè ex ore mediatoris aliquem ſermonem incompoſitum agnoſceret, propterea cernens quod nihil falſis objectionibus reſpondiſſet, tentavit, ſi quo modo ipſum concitaret ad loquendum.* Judicabat quòd verbum inconſideratè prolatum ſufficeret ad obſcurationem famæ ejus, in contaminationem exiſtimationis ejus & obfuſcationem actionum ejus heroicarum, & ideò *Concitavit eum ad loquendum.* O calliditatem! Auditor detractionum, qui non ſolùm detrahentem audis libenter, & detrahenti conſentis, ſed ſæpè concitas ad loquendum, ad depingendum & denigrandum proximum, omnium iſtarum denigrationum es cauſa, & concitando eum conſenſu tuo ad loquendum, facis ut loquens habeat diabolum in lingua, & tu in aure; & hinc fit quòd non ſolùm non refrenes linguam detrahentem, nec ſolùm auſcultes libenter, ſed omnia, quæ audis tibi quaſi Evangelium ſint, & tam vera quaſi ipſis vidiſſes oculis, aures in oculos mutans, non minori paſſione, aut aurium pruritu, quàm ipſi hebræi, de quibus ſacer Textus,

Matth. 26. 62.

S. Laurentius Juſtinian.

VI. Exodi 20. 18. Accipiente Moyſe à Domino Decalogum *Cunctus populus videbat voces & lampades & ſonitum buccinæ*, viſum in

Exod. 20. 18.

auribus habebat, hunc populum & tu imitaris auditor detractionum, cùm, non attentâ qualitate perſonarſi detrahentis, & injuriis affectæ, aures tuæ funguntur officio oculorum, dum audis detractiones, & omnia tam certa habes, ac ſi vidiſſent oculi tui; Deus bone! qualis hæc ſenſuum inverſio! Certè cæcior es
Matth.20.30. duobus illis, qui Matth.20.30. *Audierunt quia Jeſus tranſiret*, auribus defectum oculorum ſuppeditantibus: undè D. Baſilius Seleuc. O-
S. Baſilius. rat.36. *Cùm ipſis eſſent oculi demortui, aures neceſſariò oculorum vice corpori ſubſerviebant, & vicinus ſenſus uſum ſuum commodabat.* Iſta commutatio fit in te auditor detractionum in damnum tuum & magnum præjudicium, vellem te hodie Malchum facere & non unam tantùm ſed utramque tibi amputare auriculam, abſque tamen tui læſione. Non capis quid velim?

VII. Joannis 18. 10. Dum Judæi in horto injiciunt manus in Je-
Joan.18.10. ſum, Simon Petrus *Habens gladium eduxit eum: & percuſſit Pontificis ſervum & abſcidit auriculam ejus dexteram.* Ugo Card. in hunc
Ugo Card. locum ait: *Legitur quòd Petrus Paſtor Eccl.ſiæ amputavit auriculam dextram Malcho, qui interpretatur Rex conſilii, quia qui conſultè ſe vult regere, oportet ut juxta Conſilium Petri habeat aurem amputatam, ut omninò ſurdus ſit ad audiendas detractiones.* Sed, quia fortè non libenter abſque auribus incederes, ſequere ad minùs conſilium Eccli.28.
Eccli.28.28. *Sæpi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire*: quæ verba expendit Auguſtinus Lib. de Dom. Diſcip. Cap.1. Tom.9. *Sæpi aures* S. Auguſtinus. *tuas ſpinis, & ille qui importunè intrare auſus fuerit, non ſolùm repellatur, ſed etiam compungatur, repelle eum à te, dic Chriſtianus ſum, Chriſtianus es, non hoc accepimus in domo diſciplinæ, non hoc didicimus ſub illo magiſtro, cujus cathedra in cælo eſt, noli mihi iſta dicere aut noli ad me accedere.* Auguſtini verbis inſiſtit Chryſoſtomus Hom.3. ad populum Antioche-
num: *Dic proximo: babes aliquem,* S. Chryſoſtomus. *quem laudes aut commendes? aures aperio ut unguentum ſuſcipiam: ſi verò malè velis dicere, verbis ingreſſum obturo, non enim ſtercus & cœnum accipere ſuſtineo. Quod mibi lucrum, ſi didicero quòd ille improbus ſit? maximum igitur nocumentum ex hoc & extrema jactura.* Si ſic tractarentur detractores, non tam frequenter ſeminaretur malum ſemen, exemplo ſuo hoc docuit ſuos Regius Propheta David,

VIII. Pſalm. 100. 5. *Detrahen-* Pſalm.100.5.
tem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Rex ille magnus non ſolùm denegabat detractoribus aurem, ſed à conſpectu ſuo abigebat, & aulâ ſuâ expellebat. S. Chryſoſtomus Hom. 42. in Gen. ſuper hoc in ſtuporem datus, te, Davidis imitatorem volens, alloquitur: *Vidi-* S. Chryſoſtomus.
ſti virtutis eminentiam? non ſolùm non recipit quæ dicuntur, ſed abigit volentem fratri ſuo maledicere. Dixerit fortè magnus Pater Auguſtinus à Davide, injuriam à detractore fratri illatam, ſentire tamquàm ſuam; ſic enim loquitur Hom. 16. de Verbis Domini:
Quando, me audiente, fratri meo S. Auguſtinus.
quiſque

quiſque injuriam facit, abſit, ut à me injuriam illam alienam putem: prorſus & mihi fecit: imò mihi plus fecit, cui putat placere, quod fecit. An fortè quia noverat, quòd Propheta Regius detractorem non admitteret ad menſam ſuam, *Cum hoc non edebam*: Pſal. 100. 5. ideò in cœnaculo ſuo juſſit affigi in tabella hoc Dyſticon: *Quiſquis amat* Poſſidonius. *dictis abſentûm rodere vitam, hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.* Quidquid ſit, teſte Poſſidonio, contigit, quòd quidam Prælati, ab Auguſtino ad menſam invitati, incœperint loqui de defectibus aliquorum, obliti conditionis in illis verſibus expreſſæ, ſub qua fuerant admiſſi: at ille libertate Chriſtianâ tanto Doctore dignâ, dicebat illicò: Domini mei, terminate illos diſcurſus, aut ego me in cubiculum recipio. Ut & nos, hâc ſanctâ libertate armati, valeamus reſiſtere detractoribus, nec illis conſentire. Audiamus Epiſtolam 1. D. Hieronymi ad Demetriadem: D. Hieron. Epiſt. 1. ad Demetriad. *Non minùs auribus, quàm linguâ fugias detractionem. Sed dicis, inquit: Ipſe non detraho; aliis loquentibus, quid facere poſſum?* Replicat illi Hieronymus: Item Epiſt. 4. ad Ruſtic. *Ad excuſandas excuſationes in peccatis, iſta prætendimus; Chriſtus autem non illuditur: nequaquam mea, ſed Apoſtoli ſententia eſt: Nolite errare, Deus non irridetur; ille in corde, nos videmus in facie.* Sed demus, te detractorem non poſſe impedire, ne loquatur malè: non potes ad minùs unum de duobus: aut interrumpere ſermonem ejus, aut triſtem præbere vultum? Primum te docet Salvator noſter,

IX. Matt. 15. Obmurmurantibus, & detrahentibus Scribis, & Phariſæis, Chriſti Diſcipulis: Matt. 15. 2. *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* fracto ſermone, ait illis: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras? Ut indè diſcamus, quàm acerbum vultum debeamus oſtendere illis, qui coram nobis de proximis noſtris detrahunt: & quanta cum acrimonia, & acerbitate nos eis reſpondere oportet*; inquit Diez: Diez. aut ſaltem interrumpere ſermones. Si autem tantos non habeas animos, ad minùs oſtende diſplicere tibi, quod dicitur; quia ſecundùm Eccl. 7. 4. *Per triſtitiam vultûs, corripitur* Eccl. 7. 4. *animus delinquentis.* Rationem dat D. Hieronymus Epiſt. 4. ad Ruſticum: D. Hieron. *Detractor, cùm triſtem faciem viderit audientis, illicò conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliva ſiccatur.* Item Libro 3. ſuper Prov. Cap. 25. *Si hilari vultu audieris detrahentem, tu* Idem. *illi das fomitem detrahendi: ſi verò triſti vultu hæc audias, diſcit non libenter dicere, quòd didicerit non libenter audiri.* Idipſum confirmat Sapiens

X. Proverb. 25. 23. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias; & vultus triſtis linguas detrahentium.* Prov. 25.23. Ventus Aquilonaris diſſipat, & impedit pluvias, ut Dionyſius Carth. ait; quia frigidus eſt, & gelidus: ſicut enim ventus ille abundantem, & copioſam craſſorum vaporum in aëra elevationem ſolet impedire, ita cauſa eſt, quòd nubes in aquas minimè reſolvi poſſint. Hanc ſimilitudinem idem Carthuſianus ei, qui maledicum vultu aſpero coërcet, applicat his verbis: D.Dion.Cart. *Auditor detrahentis mæſtum vultum monſtrando detractori, tacitè admonet eum, ut ſileat: dum enim detractor perpendit ſua verba invitè audiri,*

audiri, repercutitur in ſemetipſo. Si hilari vultu audias detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; ſi autem triſti eum vultu audieris, *Diſcet non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.* Quia, ut rectè Eccleſiaſti-
Eccl. 28. 12. cus Cap. 28. *Secundùm ligna, ſic ignis exardeſcit.* Dum ignis nullam ſtraminis, vel lignorum invenit eſcam, augeri, aut creſcere nequit, ſed ſubitò extinguitur: contrà verò, mirè augetur, dum magnum illi lignorum pabulum adjicitur. Si detractorem hilari vultu audis, ligna admoves, quò detractionis ignis ampliùs exardeſcat: ſi ſtatim inchoatâ detractione triſtem vultum avertis, ſcintillam extinguis, quaſi ſuper-expueres, & ſuffoces; ſi hoc non poſſis ſaltem tace, & non reſpondeas. Sic David fecit Pſal. 37. *Ego autem,*
Pſal. 37. 14. *tamquàm ſurdus, non audiebam.* Sed, proh dolor! eò deventum eſt hodie, ut non ſolùm non præbeant vultum triſtem, ſed etiam ſummo animi guſtu applaudant: ita ut modò non horrori ſint detractores, ſed recreationi; imò panis quaſi quotidianus. Audiant illi, quid Spiritus ſanctus dicat

XI. Prov. 23. 20. *Noli eſſe in*
Prov. 23. *conviviis eorum, qui carnes conferunt ad veſcendum.* Quid, quæſo mali, carnes conferre ad convivia? D. Greg. Lib. 4. Mor. Cap. 25. declarat in ſenſu
D. Gregor. morali: *Carnes ad veſcendum conferre, eſt in collocutione, derogationis vitia proximorum dicere.* Loquitur Salomon de illis conventiculis maledictis, in quibus dilaceratur fama proximi: quæ conviviis comparat, eò quòd tanta ſit detractorum, & audientium complacentia, ut conviviis intereſſe videantur. Hinc Spiritus S. monet timoratum: *Noli eſſe in con-* Prov. 23. 20.
viviis eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt; ſubjungit enim: *Quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur.* Et quinam, quæſo, ſunt illi? Potibus vacant, inquit S. Greg. ſuprà: *Qui de opprobrio vitæ alienæ* S. Gregorius.
ſeſe inebriant: ſymbolum verò dare, eſt, ſicut variis ſolet, quiſque pro parte ſua cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre: ſed tamen conſumentur, quia ſcriptum eſt: Omnis detractor eradicabitur. Audite caſum.

XII. Paſtor quidam ovium, nomine Pœmon habebat feros aliquot canes, in cuſtodiam gregis ſui: caſu contigit, ut in tranſeuntem peregrinum inſiliſſent, eumque devoraverint; idipſum vidit paſtor, nullâque commiſeratione ductus, neglexit, dum debuit, & potuit, eum liberare: mortuo peregrino, dolore tactus intrinſecùs; intravit eremum, ibique condignâ peractâ pœnitentiâ, placuit Divinæ miſericordiæ, dimittere illi quidem peccatum quoad culpam, non tamen quoad pœnam: Divinâ ſic diſponente juſtitiâ, ut & ipſe à feris devoraretur. Dicite NN. mei: Quæ major dari poteſt crudelitas, eâ, quâ quis audiens dilacerari famam, & honorem proximi, dum vel parvâ correctione, vel ſermonis interruptione, vel triſtis vultûs exhibitione poteſt ſuccurrere, non ſolùm recuſat, ſed contrà, gaudet, & ridet? Quomodò ſimilis effugiet iram Dei?

XIII. Pſal. 14. 3. De juſto, cœleſtem Jeruſalem ingreſſuro, loquitur Pſalmiſta: *Et opprobrium non ac-* Pſal. 14. 3.
cepit

cepit adversùs proximos ſuos. Sanctus Hieronymus ex Hebræo legit: *Non ſuſtinuit opprobrium vicino ſuo.* Quid ſibi volunt verba iſta? Titelmannus reſpondet: *Hic verſus ſpecialiter poteſt intelligi de detractione; ut ille dicatur, accipere opprobrium adversùs proximum ſuum, qui detractionem audit, & ſuſtinet, ſive acceptat, audienſq; arridet, & applaudit, cum magis debuerit obſiſtere.* Opprobrium accipit adversùs proximum ſuum, qui audit injuriã proximo irrogari, quam acceptat, ſuſtinet, & quâ oblectatur: cùm debeat, ſi poſſit, impedire, ſilentium detrahentibus imponendo: aut, ſi habeat auctoritatem, illos reprehendendo: aut ſaltem acerbum aſpectum oſtendendo, ſignificans ſe illam audire nolle. Nonne inhumanus eſſet dicendus qui fratrem ſuum à canibus lacerari aſpiceret, & vocibus ſaltem illum non defenderet? Longè ſanè inhumanior eſt, qui proximi ſui famam à detractoribus confringi, & conculcari patitur, nec eis ſilentium imponit, vel ſaltem, ſi id non poſſit, triſtem vultum non oſtendit. O diabolicam crudelitatem non ſolùm canes non deterrere, ſed etiam illos concitare, ut fratribus ſuis majores morſus infigant! Rogo omnes, ut, ſi qui tales adſint, audiant Spiritum ſanctum Prov. 24. *Cum detractoribus ne commiſcearis: quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſque quis novit?* Audiſne: *Ruinam utriuſque quis novit?* nec ego, nec tu, nec ullus viventium. Hoc ſcio, tales à Deo maledici maledictione peſſimâ.

Titelmannus. Prov. 24. 21.

XIV. Inebriatus Noë, ex vino, nudaverat ſe in tabernaculo ſuo; quod cùm vidiſſet Cham, pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiavit duobus fratribus ſuis foras. *At Sem, & Japhet, pallium impoſuerunt humeris ſuis: & incedentes retrorſùm, operuerunt verenda patris ſui.* Evigilans Noë, cùm didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Dixitque: *Benedictus Dominus Deus Sem: ſit Chanaan ſervus ejus. Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem: ſitque Chanaan ſervus ejus.* S. Chryſ. Hom. 29. in Gen. eximiè hunc locum explanat: *Qui ſenſibilem nuditatem evulgavit, maledicto ſe fecit obnoxium: & excidit ab honore, quem parem habuit cum fratribus; condemnatus, ut illis ſerviret. Quid patientur, qui peccata fratrum evulgant, & non ſolum non contegunt, & excuſant, ſed magis ea faciunt manifeſta: multaque ex hoc operantur peccata?* Per Sem, & Japhet, qui pallium humeris ſuis impoſuerunt, & incedentes retrorſùm, verenda patris operuerunt, avertentes facies ſuas, repræſentantur illi, qui aliorum defectus & peccata audientes, ſuam à linguis maledicis averſionem oſtendunt, defectuſque auditos, meliori quo poſſunt modo, contegere, aut palliare conantur, eadem cum charitate excuſando, & pallio ſilentii tegendo; hi à Deo benedictionibus, nudantes autem, & conſentientes, maledictionibus replentur. Deus bone! Quomodò hi reſpondebunt pro omnibus detractionibus, quarum auditores illi ſunt cauſa: detrahentibus aures præbentes, & dictis eorum non ſolùm conſen-

Gen. 9. 23. & ſeq. S. Chryſoſt.

ſentientes, ſed ſæpè provocantes eos, ac interrogatoriis curioſis ad proſequendum diſcurſum invitantes? Quales eos maledictiones manent! Audite non me, ſed Eccleſiæ Doctorem S. Hieronymum Ep. 4 ad Ruſticum, ad hæc verba Sap. Prov. 24. 21. *Cum detractoribus ne commiſcearis*: vide, ne illis conſenſeris: *Quoniam veniet repentè perditio eorum; & ruinam utriuſque, quis novit? tam ſcilicet ejus, qui loquitur, quàm qui audit loquentem.* Undè iterùm Epiſt. 14. ad Celantiam inquit: *Tu verò hoc malum ita effuge, ut non modò non detrahas, ſed ne alii quidem detrahenti aliquando credas: nec obtrectatoribus auctoritatem de conſenſu tribuas: ne eorum vitium nutrias annuendo.* Hinc M. P. Auguſtinus de Salut. Docum. Cap. 26. *Detrahenti, & audienti, utrique eſca mortis animæ*: uti & Mellifluus de interiori Domo Cap. 42. *Detrahentes, & audientes, pari reatu detinentur.* Undè eadem pœna utrumque manet; ſi hunc non fortè major.

Prov. 24. 21.

S. Hieron.

Idem.

S. Auguſtinus.

D. Bern.

XV. Nemo noſtrûm ignorat, quantæ apud Deum Moyſes fuerit auctoritatis, ut redderet Deum populo placabilem, populumque reconciliaret Deo. Erexerat ille (ut ſcitis vitulum aureum: jamque illi thura, & incenſum ſacrilegè adoleverat, cùm Deus furore accenſus ferrum, & ignem paraverat, ut deleret populum. Vix Moyſes pro iis preces interpoſuit, quin ulla ſinè difficultate obtineat veniam, omnemque ponat Deus iram. Exod. 32. *Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat contra populum ſuum.* Quis noſtrûm non ſuo induxiſſet animo, quòd is, qui perfidæ adeò Genti obtinuiſſet veniam, nullam poſthac paſſurus eſſet repulſam? Et tamen quid evenit? Pauco lapſo tempore, ſuas pro propria ſorore Maria interponit preces; pro ſorore, tetrâ in vultu leprâ percuſſa: & tamen, licèt oret, gemat, precetur, nihil obtinet: depellitur à populo, cogiturque ab omni aliena conſortio, longè à caſtris exulare, ingenſque pati opprobrium. Cur iſta? An pejus idololatriâ incurrerat peccatum? Quid patraverat miſera? Quid dixerat? Conſtat, nimiâ lapſam eſſe loquacitate: liberâ nimis linguâ fratrem ſuum Moyſen arguiſſet de muliere Æthiope (neſcio, an moribus, an colore tali) quam duxerat ſibi uxorem; & quia id erat detractio, & minor alienis in defectibus pietas, noluit Deus (ut advertit S. Baſilius) pro illo delicto quemquam exaudire, nec commendationes, nec clamores, nec preces attendere. Quàm mirum! Qui facilis adeò, & flexibilis ad unam Moyſis pro contumace, & idololatrante populo precem: qui in ſe patratum adeò facilè condonat peccatum, neutiquam, in Moyſen patratum, vult condonare. Verba ſunt D. Joannis Chryſoſtomi, deſuper ſtupore pleni: *Nec Moyſes pro ſorore ſupplicans, & veniam petens, placare Deum potuit: ſed ab eo valde increpatur.* Horribilis ſanè peccati detractionis effectus, quem in Dei parat corde, ipſum facere Deum ferreum, durum, obſtinatum, implacabilem, nullis exorandum precibus! Si eadem manet pœna audientem, quæ manet detrahentem, viderint audientes, & conſen-

Exod. 32. 11.

S. Baſilius.

D. Io Chryſ.

conſentientes detrahentibus, ne Deum in fine vitæ inexorabilem, & aures ejus clauſas inveniant, qui ſuas ad proximi defectus habuerunt apertas. Si hæc prurientes aures veſtras non feriant, non habeo, quod vobis hodie ultrò dicam.

FERIA IV. DOMINICÆ II. ADVENTUS.

De Immaculata Conceptione B.V. Mariæ.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

A Peccatis Alienis Conſensûs, & Irritationis in ſua Conceptione alieniſſima fuit B.^ma^ Virgo Maria Mater Dei, quæ Adæ Protoparenti noſtro, Deum irritanti, non conſenſit: neque perſuaſioni ſerpentis aures præbuit; undè à Natura reverenter eſt conſervata: à Lege diligenter venerata: & à Gratia clementer prælecta.

1. EGimus diebus præteritis de *Conſenſu*, prout eſt tertium peccatum Alienum: hodie agemus de quarto, quòd committitur *Irritatione*. Duplex eſt irritatio: ſcilicet quâ irritatur Deus, & quâ irritatur homo. Primus irritator homo fuit diabolus, Deum irritans, dum dicere auſus eſt: *In cœlum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero Altiſſimo*: quâ irritatione traxit caudâ ſuâ tertiam partem ſtellarum, quæ ei conſenſit: deindè irritans hominem, dum primos parentes noſtros tentavit, irritavitque, Gen. 3. 1. dicens: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi? Nequaquam moriemini; ſcit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii*. Fecerat Deus hominem rectum (quæ rectitudo à Theologis *Juſtitia* dicitur *Originalis*, de ſubjiciendo appetitum rectę rationi, corpus animæ, & animã Deo. Ditaverat eam donis naturalibus, & ſupernaturalibus; ſicque ditatum poſuerat in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illũ. Inſignum tamen ſubjectionis, & dominii, iniit Deus pactũ cum Adamo, aut potiùs decretum condidit, quo omnium poſterorum voluntates in ejus voluntate conſtituit; ita ſcilicet, ut quemadmodum Adæ voluntas obediendo futura erat omnium voluntas in cuſtodienda & transfundenda in eos originali juſtitia, ſic quoque voluntas ejus futura eſſet prævaricando omnium voluntas in illa amittenda: juxta illud Oſeæ 6. *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum: ibi prævaricati ſunt in me.* Oſeæ 6. 7. In hoc pacto Chriſti Mater, Deipara Virgo, incluſa non fuit: propterea Adæ Deum irritanti non conſenſit, neque ſerpenti, uti Adam, aures præbuit. Do verba Origenis Hom. 1. in diverſ.

Origenes. Diverſ. *Maria Virgo neque perſuaſione ſerpentis decepta eſt, neque ejus afflatibus infecta.* Suffragatur Origeni D. Laur. Juſt. in Serm. de Annuntiatione : *Ab ipſa ſua Conceptione in benedictionibus eſt præventa dulcedinis, atque à damnationis aliena chyrographo : de quo ad* Coll. 2. *Delens, quod adverſum erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Si aliena à chyrographo decreti, ergò aliena eſt à decreto, ſeu pacto, cujus eſt chyrographum, ſic ut nihil commune habeat cum Adæ poſteris in tranſgreſſione pacti, ſive chyrographi maledictionis, nullamque partem in communi peccato Alieno Conſensûs, vel irritationis. Hoc hodie in laudem Immaculatæ ſemper Virginis venio oſtenſurus. Præbete aures.

S. Laur. Iuſt.

II. In libro generationis Jeſu Chriſti, qui in hoc Immaculatæ Conceptionis die Chriſti-fidelibus prælegitur, exprimuntur tria genera perſonarum notabilium : Abraham, primus Chriſti progenitor, cui omnium primo facta eſt promiſſio Incarnationis: *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes terræ*: qui fuit legis naturæ, ſimul cum aliis, quos ei aſſociat Euangeliſta. Et quia lex ſcripta à Moyſe originem duxit, *Lex per Moyſen data eſt*: alii uſque ad Chriſtum ſunt legis ſcriptæ: uti David, Salomon, &c. Lex gratiæ cœpit in Chriſto ejus latore : *Gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Cùm autem ſecundùm Aug. peccatum ſit tranſgreſſio legis, voluit S. M. Eccleſia hoc ſacratiſſimo die Immaculatæ Concept. Virginis decantari Euangelium, in quo omnes leges proponerentur : lex naturæ, lex ſcripta, & lex gratiæ. *Natura* in Abraham : *Filii Abraham*; *Scripta*, in Davide : *Filii David* : *Gratia*, in Chriſto : *De qua natus eſt Jeſus*; quaſi innuens, omnes leges aſſiſtrices eſſe, ac declaratrices, quòd Maria immunis ſit, atque exempta ab omni lege culpam prætexente. Ita Melleus Bernardus : *Maria à natura eſt reverenter conſervata; à lege diligenter venerata; & à gratia clementer prælecta.* Oſtendo primò, eam à natura conſervatã.

Gen. 22. 18. Joan. 1. Ioan. 1. 17. Matt. 1. D. Bernard. Serm. de B. Maria.

III. Propheticè de Immaculata Virgine loquens Pſaltes Regius Pſ. 86. ait : *Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei* : ſtatimque ſubjungit : *Memor ero Rahab.* Dum de te loquar, recordabor Rahab, per fidei miraculum ſalvatæ. De illa Hebr. 11. etiam aſſerit Apoſt. *Fide Rahab meretrix non periit cum infidelibus.* Quomodò in laudes Mariæ hæc ingreditur, cùm, *Ubi de peccato agitur, non intendat S. Synodus Trid. aliquam fieri de Immaculata Virgine mentionem?* Quòdque mirandum eſt magis, ipſe Evangelicus Chronologiſta Matthæus, referens Genealogiam Salvatoris, mentionem ingerit hujus Rahab : *Salomon autem genuit Booz de Rahab.* Quomodò, ubi de peccato ſilendum eſt, ſubintrat mulier peccatrix? Pandit myſterium Os aureũ, rationem afferens, cur ſalvata ſit Rahab, dum Joſue 6. omnes Jerichuntini flammis abſumpti ſunt : quia, inquit, *Rahab non fuit ejuſdem maſſæ cum Rege.* Quando Rex, & omnes adhærentes ejus tentârunt mortem inferre exploratoribus Joſue, *Rahab non fuit ejuſdem maſſæ cum Rege:*

Pſal. 86. 3. 4. Hebr. 11. 31. Trident. Matt. 1. 4. S. Chryſoſt. Ioſue 6.

Rege: quia non fuit ejuſdem conſilii cum aliis, nec culpam eorum incurrit, nec pœnam. Tentaverat Deum Adam (& in ipſo poſteri ejus) dum voluit æqualis eſſe Sapientiæ Verbi, idque à diabolo dicente: *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum, & malum*, deceptus. Maria Adamo Deum irritanti non conſentiebat: *Non erat ejuſdem maſſæ cum Adamo*. Lex declarat invalidum eſſe, matris contra filium teſtimonium (quæ enim mater in proprium agat filium?) cùm ergò culpa Adami directa fuerit contra Sapientiam Verbi, ex Maria incarnandi, præſumi non poteſt, illam ejuſdem cum Adamo fuiſſe propoſiti contra Verbum, Filium ſuum; adeòque *Non fuit ejuſdem maſſæ cum Adamo*: ſi ergò de maſſa Adami non extiterit, quomodò peccatum Adami incurriſſet?

Gen. 3. 1.

IV. Dicet aliquis: Quotquot viâ naturalis propagationis ab Adamo deſcendunt, culpam originalem contrahunt: ſi ergò Maria ſit Adami filia, ab eoque naturâ originem ducat, quomodò in favorem privatæ illius puellæ poteris refragari Divinæ Juſtitiæ publica decreta? Quis hîc audeat ligare manus Dei? Morena partus eſt parentum diſſimilium; mater piſcis eſt, ſapore dulcis: genitor, ſerpens eſt venenoſus totus: inviolabili tamen lege naturæ hoc illis eſt inditum, ut non congrediantur, niſi priùs ſerpens, provocato vomitu, omne ejiciat venenum, ne in prolem illud transfundat: D. Baſilius Hom. 7. *Venenum ejaculante beſtiâ, unitur*. Ita cum Maria Deus: traxit Maria ab Adamo ſucceſſionem naturalem, non culpam; & infectus parens transfudit in eam genituram, non venenum: ut rectè D. Petrus Damianus Serm. de Aſſump. *Caro Virginis ex Adam aſſumpta eſt, ſed maculas Adæ non admiſit*. Conſidero Adamum in ſtatu duplici: gratiæ, & culpæ; in illo, creatus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei; in hoc, per peccatum factus eſt mancipium diaboli. De priori loquens D. Athanaſius, ait: *Deipara Virgo ſola ex Adam generatur*. Nos omnes filii ſumus Adæ peccatoris; undè: *In Adam omnes moriuntur*: ſed de Adamo in gratia, de Adamo imagine Dei, *Sola Virgo generatur*. Idipſum innuunt SS. Evangeliſtæ.

D. Baſilius

S. Damianus

S. Athanaſ.

1 Cor. 15. 22.

V. Ex quatuor duo ſunt, qui Chriſti Genealogiam deſcribunt, Matthæus ſcilicet, & Lucas: at ſtylo planè diverſo. Matthæus incipit: *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham*: & poſteà concludit: *Jacob autem genuit Joſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Notandum, Matthæum in tota ſua Genealogia ſemper mentionem facere originalis peccati, dum ait: *Abraham genuit Iſaac; Iſaac autem Jacob*, &c. quotquot enarrat Patriarchas, Sacerdotes, Regeſque, totam eorum propaginem hoc verbo *Genuit*, conſpurcat maculâ, & inurit ſtigmate reatûs originalis; ipſum quoque illibatiſſimum Mariæ Sponſum: *Jacob autem genuit Joſeph*: ſiquidem in generatione imbibitur ſimul debitum contrahendi peccatum originale; quod quia etiam incurrit Joſeph, ipſius generatio ponitur, non autem Mariæ; ſed tantùm illa inducitur ut Mater Dei: *De qua natus eſt Jeſus*:

Matt. 1. 1.

Verſ. 16.

Verſ. 2.

Verſ. 17. *Quæ licèt ex Adam ſumpta ſit, maculas Adæ non admiſit.* Hinc S.Lucas, Mariæ Secretarius, eandem deſcribens Genealogiam, nunquam uſus eſt Lucæ 3. 23. termino *Genuit*, ſed *Qui fuit*; qui ſolū indicat relationem aliquam filii ad patrem, non autem communicationem culpæ: undè concludit in Deo: Verſ. 38. *Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Quaſi diceret, Notate, quòd Adam fuerit pater Mariæ, in quantùm *fuit Dei*: non autem in quantum fuit peccator, & à diabolo ſeductus. Ita notat Concilium 6. Act. 11. & 12. Conc. 6. *A Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura: illa, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.* In quam ſententiam etiam abit D. Ambr. S. Ambroſius *Expiata eſt à Spiritu Domini, caro Domini, ut in tali tempore naſceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Ut magìs clareſcat veritas.

VI. Quatuor dantur conceptionum modi: primus, dum quis generatur à patre ſine matre: ſecundus, dum à matre ſine patre: tertius, dum à patre, & matre: quartus, dum ſine patre, & ſine matre. Hi quatuor conceptionum modi reperiuntur in Genealogia Jeſu Chriſti. Primus à Patre ſine matre ſcilicet Verbi æterni: Matt. 1. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti*; quia Intellectus Patris generans Verbum, quaſi liber, &c. Secundus à Matre ſine patre: *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*, Verbi incarnati. Tertius à patre, & matre: omnium ſcilicet illuſtrium perſonarum, quæ ibi nominantur: Abrahæ Iſaac, Jacob, Davidis, &c. *Abraham genuit Iſaac; Iſaac autem genuit Jacob*, &c. Quartus ſine patre, & ſine matre: qualis eſt Adami, & Evæ. Conceptionis hujus modus hîc quidem non reperitur, ſed alius ponitur, qui eſt ſine patre, & ſine matre. Perpendite Matthæi verba: *Jacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Hîc nec pater, nec mater invenitur. Quid hoc myſterii? Matthæe, cur ſtylum mutas? Cur filum abrumpis? quærit D. Joannes Damaſc. Lib. 4. de Orthod. Fide: *Cur non: Iacob genuit Melchi, & Pamber; Panther autem genuit Barpantherem; Barpamber autem genuit Ioachim; Ioachim autem genuit S. Deiparam?* S. Damaſcenus Cur Joachim excludis? Ambr. Cathar. reſpondet objectæ quæſtioni: *Oſtendere enim voluit Spiritus ſanctus, ſecundùm quam partem eſſet conſideranda in Genealogia, ſacratiſſima Virgo Maria: non quippe, ut habens patrem, & matrem peccatores, per quos fuerit in illa aliquod peccatum transfuſum; ſed ut exiſtens Dei Mater*: S. Ambroſ. Cathar. quæ, quia debebat eſſe cœlis purior, ideò excludenda erat mentio parentum carnalium, qui transfundunt naturaliter cum ſemine culpam; & comparere tantùm debebat ipſa cum Filio, in ſignum quod natura in hac Conceptione nullum haberet locum, ſed Deus tantùm, & gratia. Quis neſcit parentes Mariæ fuiſſe SS. Joachim & Annam? Quid Joachim, quid Anna ſignificat? *Ioachim Præparatio* interpretatur: quæ juxta D. Auguſt. *Prædeſtinationem* indicat. S. Auguſt. *Anna* ſignificat *Gratiam*: ut ex his unuſquiſque colligat, quòd Maria priùs fuerit filia prædeſtinationis & gratiæ, quàm naturæ. Audiendus hîc præcellens Mariæ cultor D. Joan. Damaſcenus: *Natura gratiæ cedit, ac tremula.* D. Io. Damaſc.

tremula ſtat, progredi non ſuſtinens; & quia futurum erat, ut Dei Genitrix ex Joachim & Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè eſt auſa: ſed tantiſper expectavit, donec produxiſſet fructum ſuum. Accedit, quòd Eccleſia, à Spiritu ſancto directa, & in Feſto SS. Joachim & Annæ, parentum Mariæ, & in Nativitate ejus, & hodie in Conceptione ejus Immaculata, Chriſti-fidelibus prælegat non Lucæ, ejus tamen Secretarii, ſed Matthæi Evangelium: quia in Evangelio Lucæ fit mentio Adæ: in Evangelio autem Matthæi, Mariæ, ut Matris Dei: *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Hinc ubi Adam ponitur, nulla fit mentio Mariæ; ubi Maria nominatur, ſubticetur nomen Adami; ne vel umbra detur communis legis pro Matre Dei, *Quæ à natura eſt reverenter conſervata.* Confirmant aſſertum SS. Paginæ.

VII. Num. 17. 8. Ex Dei mandato, virgas duodecim tribuum Iſraël ponit Moyſes in tabernaculo fœderis, indè percepturus, quem ex his elegiſſet Deus in ſupremum Sacerdotem: ille, *Sequenti die regreſſus, invenit germinâſſe virgam Aaron, in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in Amygdalas deformati ſunt.* Quærit Abulenſis Q. 11. Art. 7. an Aaronis virga fuerit ex amygdala, vel alia arbore? reſpondet. *Illa virga erat de alia arbore; ſed ut totaliter ſupernaturaliter fieri appareret, fructus alterius generis produxit.* Indubiè miraculum foret, germinâſſe virgam, etiamſi ex Amygdala exciſa eſſet, cùm jam diuturnâ ariditate virtutem amiſiſſet germinandi; at majus miraculum fuit, cùm eſſet ex alia arbore, folia & fructus Amygdalæ produxiſſe. Per hanc virgam Mariam intelligi, teſtatur S. Hieronymus Lib. 4. in Iſaiam Cap. 11. *Nos Virgam de radice Jeſſe, ſanctam Mariam Virginem intelligimus, quæ nullum habuit ſibi fruticem cohærentem.* Idem quòque teſtatur ipſa Eccleſia: *Tu es enim Virga Jeſſe, in qua Deus fecit eſſe Aaron Amygdalum, mundi tollens ſcandalum.* Sicut ergò virga Aaronis, folia & fructus habuit, ſed non illius ſtipitis, à qua ipſa proceſſerat, ita piè credendum, Mariam, vivam Aaronis virgam, licèt ab Adamo originem duxerit, non habuiſſe folia vitiati ſtipitis, ſed foliis arboris Paradiſi obtectam. Folia, quæ Proto-parens induit, ut ſuam operiret nuditatem, omnes poſteros miſerè obtexerunt; Maria aliis foliis ornabatur in ſua Conceptione: nempè foliis gratiæ, & obumbratione Spiritûs ſancti, quia filia Adami, *Qui fuit Dei*: non autem Adami ut peccatoris; ut benè divus Cyprianus Oratione de Nativitate Jeſu Chriſti: *Plurimùm à cæteris differens, participabat naturam, non culpam,* adeòque *A natura reverenter conſervata*: & quàm juſtè.

Num. 17. 8. | S. Hieronymus. | S. Cyprianus.

VIII. Meliùs me dicet Joannes Gerſon Part. 4. Serm. de Concept. Virg. "Juſtum eſt, quòd Regina „cœli, & Magiſtra Angelorum „contriverit caput ſerpentis, id „eſt, infernalis inimici, ut non „ſit.

Joan. Gerſon.

„ ſit ullo tempore membrum ſuum, „ aut ſubjecta ejus: alioquin ſemper poſſet improperare diabolus, & per irriſionem dicere: „ Ecce mulierem, quæ contrivit „ (ut inquit) caput meum: ſed „ priùs calcavi caput ſuum, per „ peccatum originale. Ecce Dominam, quæ dicitur *Tota pulchra*: „ ſed ſub me fuit maculata, contaminata, & proſtituta per peccatum originale. Ecce, Angeli, „ amicam Regis veſtri: ſed ipſius „ ego priùs rex fui, & dominus „ per peccatum originale. Ecce illam, quæ ſe dicit *Domicilium*, & „ *Matrem virtutum*: ſed priùs ipſa „ obedivit mihi, & me hoſpitio „ ſuſcepit per peccatum originale. O „ Deus optime, & potentiſſime, exclamat Gerſon: abſit, ut eo modo „ irridere poſſit tuus, & noſter inimicus de Immaculata Filii tui „ Matre, ac Spiritûs ſancti Sponſa. „ Et tandem concludit: Credendum eſt, & tenendum, quòd „ Domina noſtra non fuit unquam „ in Conceptione ſua, & poſt, niſi „ tota pulchra, viva, pura, & „ munda." Et cur non credendum, & tenendum, Mariam *A natura reverenter conſervatam*?

IX. Sunt adeò conjuncta, præmium & meritum, pœna & peccatum, propter pactum reſpectu meriti, & intrinſecam malitiam reſpectu culpæ, ut ab invicem non ſeparentur. Si quis arbitretur Mariam originali ſtigmate inuſtam, audiat ille S. Ephrem de Laudibus Joſeph. Gen. 37. 32. Sanctiſſimo Patriarchæ Jacob nuntiaverant filii, predilectum ſuum Joſeph à fera peſſima devoratum; & ut certiùs eum fallerent, tunicam ejus in ſanguinem hœdi intinxerant, mittentes; qui ferrent illam ad patrem, & dicerent: Hanc invenimus: Vide, utrum tunica filii tui ſit, an non: at ille, viſâ ſanguine conſperſâ tunicâ, exclamans, ait: *Tunica filii mei eſt; fera peſſima comedit eum: beſtia devoravit Joſeph.* Gen. 37. 32. Macte animo Jacob, inquit S. Ephrem, & conſidera: penitiùs intuere tunicam, ſi vel beſtiæ morſum, vel dentium veſtigia inveneris; videt, vertit, invertit, & fraudem detegens, ait (verbis utitur Ephrem) *Non te fera devoravit, ſed humanis profectò manibus exutus, & occiſus es: nam ſi, ut fratres tui ajunt, conſumptus à beſtia fuiſſes, tunica utique tua per partes diſciſſa eſſet; neque enim fera exuere priùs ſuſtinuiſſet, ac tum demùm exſatiari carnibus tuis, Fili; rurſus: ſi priùs exuiſſet, ac demum devoraſſet, tunica tua ſanguine infecta non eſſet; non ſciſſuræ unguium in tunica, non dentium ulla veſtigia: undè igitur ſanguis?* S. Ephrem. Si infernalis Cerberus Mariam momordit, dentium oſtende veſtigia. Ubi fomes peccati, qui nobiſcum uſque ad ſenectam permanet, & nos miſeros ad peccandum inclinat? Ubi duplex ſententia, quam in Evam, & in omnes mulieres fulminavit Divina juſtitia: *In dolore paries filios; & Sub viri poteſtate eris?* Gen. 3. 16. Nulli ex his ærumnis ſubjectam fuiſſe Dei Matrem, clamant Patres, clamat Eccleſia. Non partus doloribus aut ventris, quos cauſat pomum indigeſtum quoſque indubiè ſenſiſſet, ſi ex pomo

mo comediſſet, ob neceſſariam unionem inter culpam, & pœnam: cùm ergò pœnam non ſenſerit, ſub culpa non fuit. Solus audiatur S. Auguſtinus Serm. 18. de SS. qui eſt 2. de Annuntiatione Dominica: *Hæc eſt ... per cujus partum mutatur*
S. Auguſtinus. *natura Protoplaſtorum, deletur & culpa. Præciſum eſt in ea illud Evæ infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos: quia iſta in lætitia Dominum peperit. Eva enim luxit, iſta exultavit; Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit.* Scio Evam, quia ſimilis voluit eſſe Deo, marito ſubjectam:
Gen. 3. *Sub viri poteſtate eris*; ſed & hoc ſcio, nullam præter Mariam ab hac pœna exemptam. Probo, quod aſſero.

X. Certum eſt, inter B. Virginem, & D. Joſephum, verum, proprium, ac ratum interceſſiſſe Matrimonium; huic enim Evangelicæ veritati conſonant Patrum teſtimonia: adſtipulantur Scholaſtici omnes, ſignanter Angelicus in 4. Sent. Diſt. 29. & 30. & 3. P. Q. 29. totque ac tam claris fulcitur Scripturæ locis, ut plures celeberrimi Theologi eam ſententiam putent eſſe de Fide; ergò, inquies, ab hac lege naturali non eximitur Maria; ſi Joſeph vir ejus fuerit, ſub viri poteſtate fuit: quæ ſubjectio eſt effectus peccati. Suppoſitum negat M. P. Auguſtinus & cum illo Doctor Angelicus: *Nec ſub viri poteſtate fuit, quæ integerrimis viſceribus de Spiritu ſancto Chriſtum concepit.* Non enim fas eſt illam homini ſubjici, quæ concepit de Spiritu ſancto; unde ex hoc Matrimonio colligitur, quòd

Suarez Tom. 2. in 3. P. Q. 29. Art. 1. Fonſeca in Vita Chriſt. Cap. 9. Morales in Cap. 1. Matth. Eſcobar Tom. 3. in Evang. Lib. 2. Tit. Nupt. ſ. 8. Auguſt.

D. Thomas.

non contraxerit culpam: quia Joſeph illi non ut Superior, ſed ut ſervus datus eſt: *Joſeph ut famulus datur Virgini*, inquit Auguſtinus, *ne lex naturæ ex parte Matrimonii ullum jus ſuperioritatis prætendere videretur.* Hoc ſuppoſito; quis audeat illam aſſerere mancipium diaboli, quam etiam Deus noluit ſubditam eſſe ſtupori ſanctitatis, qualis eſt Joſeph? *Maria eſt à natura reverenter conſervata; à lege diligenter venerata.* Eſt ſecundum Punctum.

XI. Lucæ 2. 1. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur* Lucæ 2. 1.
univerſus orbis; ut quotquot ſub ejus eſſent imperio, ſubſcriberent, aut cujuſque nomen ſcriberetur. Hanc legem ſcriptam, non eſt, qui ſubterfugiat: ne ipſa quidem Maria; audite tamen quod ſequitur: *Aſcendit autem & Joſeph à* Verſ. 4.
Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: ut profiteretur cum Maria, deſponſata ſibi uxore, prægnante. Abiit Joſeph & Maria, & non ſubſcripſit illa; & quare? *Alio negotio magno impedita eſt, quo maximè excuſatur*: inquit Ambr. Cath. Ambr. Cath. Libro 3. de Conc.
excuſabatur Virgo, ob negotium majoris momenti; quodnam illud, vi cujus excluderetur ab edicto Cæſareo? Aſſignat D. Lucas: *Cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies,* Lucæ 2. 7.
ut pareret; & peperit Filium ſuum primogenitum. Non poterat Dei Verbum humanatum (cùm in manu ejus ſint omnia) tantiſper ſuſpendere Nativitatem ſuam, donec deſcriptum eſſet nomen Matris? Non poterat: *Non enim paſſus eſt*

Jeſus,

Jeſus, inquit nominatus Doctor, *deſcribi ſub Cæſare Auguſto Matrem ſuam, quæ ipſum, Auguſtiſſimum vere mundi Principem, peperit.* Debebat parere omnium Cæſarum Auguſtiſſimum Cæſarem: *De qua natus eſt Jeſus*; & deſcribetur illa in lege ab alio Cæſare ſcripta? *Non paſſus eſt Jeſus deſcribi Matrem ſuam.* Non permiſit Deus, quòd Mater ejus ſerva eſſet legis ſcriptæ. Allegorizat hoc factum ipſe Catherinus: *Regnabat in mundo Ceſar; id eſt, diabolus; vocatur univerſus orbis ad deſcriptionem, ut profiteretur quilibet ſub Cæſare iſto, & ſatana, ſe captivum.* Deſcribi in illo Cathalogo, erat declarari & confirmari mancipium diaboli; ergò excludatur Maria; deſcribatur univerſus orbis ſed non Maria: quia deſcriptio hæc correſpondet propoſitioni univerſali: Apoſtoli Rom.5. 12. *In quo omnes*
Rom.5.12. *peccaverunt*: Sicut ergò univerſus deſcribitur orbis excluſâ Mariâ, ita *Omnes in Adam peccaverunt* exceptâ Mariâ; quantumcumque enim ampla ſit, & generalis lex illa, ut omnes comprehendat, non tamen comprehendit illam, *De qua natus eſt Jeſus. Non enim paſſus eſt Jeſus deſcribi Matrem ſuam*, quam ſibi ſoli reſervavit. Sibi ſoli! ſibi ſoli: ita Spiritus ſanctus

Prov.9. XII. Prov.9. *Sapientia ædificavit ſibi domum.* Per hanc domum, à Patribus Mariam intelligi, ab æterno Verbo in Matrem electam, citra controverſiam eſt. Non dicit: *Sapientia fecit ſibi domum*; ſed *Ædificavit.* Non leviter fecit, ut cæteras res creatas: *Ipſe dixit, & facta ſunt*; ſed ſtudio, applicatione, architecturâ, regulis: *Ædificavit*: & *Ædificavit ſibi*: in domum ſuam, non alienam; in domum dignam Deo; hinc Ambroſius vocat Mariam *Aulam cœleſtem.* Bernardus *Domum* S. Ambroſius. *à Deo fabricatam.* Et ut talem non S. Bernardus. ædificâſſet cum omni perfectione & prerogativis Maternitati Dei condignis? Quis Monarcha, volens ædificare Palatium Regium, parcit expenſis? Et pepercisſet, æternum Patris Verbum, unigenitus Dei Filius, qui hoc opus admirabile non ſub alio, quàm *Sapientiæ* nomine extruxit: *Sapientia ædificavit*: ut quis ſciret, quòd ſupremus ille Architectus omnem ſapientiam ſingulariter impenderit illud adornando, tamquàm opus à ſe factum ad oſtentationem Divinæ ſuæ Sapientiæ? Licèt non foret vobis alius menſuræ calamus, dimetiendi ineffabilia privilegia Mariæ, ille ſufficit, quòd *Sapientia ædificavit ſibi domum*: ſibi, non aliis. Quis Princeps extructum ſibi Palatium patietur priùs inhabitari à ſuo traditore? Numquid ad mille milliaria mallet ipſum abſentem, quàm videre vel tantùm vicinum? Et cogitare quis poterit, quòd Sapientia æterna ædificâſſet domum præcellentem (qualis Beatiſſima Virgo) & quidem ſibi ædificâſſet, & quòd illam permiſiſſet inhabitari à dæmone, traditore ſuo? & non inhabitari tantùm, ſed & poſſideri ut propriam, vi peccati originalis? Quis hoc crediderit? Si quis foret, dicat mihi, ſi audeat: Quomodò Verbum Patris permiſiſſet diabolo illam poſſeſſionem capere, vel ex neceſſitate

neceſſitate, vel ex electione? Si ex neceſſitate, ergò non tantæ fuit potentiæ Omnipotens Deus, ut potuerit impedire. Si ex electione, ergò tam exiguo ferebatur amore in Virginem, ut noluerit impedire. Eſtne, qui audeat admittere unum ex his duobus graviſſimis abſurdis? *Sapientia ædificavit ſibi domum.* Ergò credendũ, quòd, qui ſibi illam ædificavit, ſibi ſoli eam voluerit. Si numquam permiſerit Verbum, ut poſt ſe dæmon domum illam inhabitaret, quomodò permiſiſſet, ut inhabitâſſet ante ſe? Divinæ Sapientiæ erat ædificare domum dignam Deo: providentiæ, eam ab omni impugnatione hoſtili defendere. *Sapientiâ ædificabitur domus, & prudentiâ roborabitur.* Prov. 24. 4. Ne quis mihi dicat, per unum tantùm inſtans dæmonem hanc domum inhabitâſſe: ſecundo autem expulſum; ne quis, inquam, id mihi obtrudat; alioqui inducam dæmonem, ipſi reſpondentem.

Prov. 24. 4.

Lucæ 11. 14. XIII. Lucæ 11. 14. *Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Vix ejecerat, ait immundus ſpiritus: *Revertar in domum meam, unde exivi.* Res mira: vi exorciſmi Divinæ præſentiæ mutaverat domicilium, vix ceſſerat locum gratiæ liberatrici, & adhuc vocat domum ſuam, jactatque illius poſſeſſionem: *Revertar in domum meam.* Quomodò tua? Non præſcripſiſti, quia eſt interrupta poſſeſſio; non ampliùs poſſides, quia migrâſti, indè expulſus; non habes jus ullum, quia à legitimo judice ſententiâ juſtiſſimâ es illâ privatus; *Quomodò ergò dicitur tua, ſi exiſti,*

Verſ. 25.

illam dimiſiſti? inquit Origenes 17. Caten. hîc. Jactat domum, animam illam, de qua exiit, ſuam: non quòd ſit, ſed quòd fuerit ſua: *Quia aliquando fuit ſua, ideò ſemper dicitur ſua.* Numquid idipſum diceret, ſi vel uno inſtanti inhabitâſſet Mariam? Numquid ad perpetuam rei memoriam ſuper illam ſcriberet, quòd ſemel fuiſſet ſua: *Revertar in domum meam?* Quomodò ad opprobrioſam illam inſcriptionem obſtupuiſſent Angeli, in miniſterium ejus miſſi? Quomodò Verbum Patris, inſcriptionem videns, dicere potuiſſet: *Hîc habitabo, quoniam elegi eam?*

Origenes.

Pſalm. 131. 14

XIV. Zachariæ 4. 7. Loquens Propheta de lapide fundamentali, quem poſuit Zorobabel in templo Jeruſalem, dicit: *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus.* Textus Hebraicus habet: *Educet lapidem primarium in clamoribus: Gratia, Gratia.* Quaſi diceret quòd, dum poneretur lapis fundamentalis, omnis populus præ gaudio clamaverit: *Gratia, Gratia.* Quando Deus in primo Conceptionis inſtanti poſuit primum lapidem ſacrati templi, Mariæ, *Exæquavit gratiam gratiæ ejus:* voluit fundamentum eſſe proportionatum tantæ fabricæ; undè in Conceptione Virginis dedit gratiam fundamentalem tam copioſam, ut fuerit adæquata, & proportionata tantæ dignitati, quanta eſt Maternitas Dei. Novit unuſquiſque veſtrûm, aut ſi non noverit, ſciat, quòd inter alias ceremonias, in conſecratione templi ſervari ſolitas, lapis fundamentalis

Zachar. 4. 7.

Hebraicus.

non ſolùm ſignetur ſigno Crucis, ſed & ad ejus poſitionem Epiſcopus hæc proferat verba: *Signum ſalutis pone, Domine Jeſu Chriſte, in loco iſto: & non permittas introire Angelum percutientem.* Jam argumentor: Si Eccleſia ſit adeò ſollicita, ut à primo lapide fundamentali templi materialis (licèt Deo dedicandi) ex vili tamen latere, & calce extructi, longè abſiſtat diabolus, permiſiſſetne Deus, introire Angelum percutientem ad primum lapidem fundamentalem vivi *Templi Dei, Sacrarium Spiritûs ſancti*? Credat, qui voluerit, ſed non ego, dum me SS. Paginæ docent, diabolum non à Maria, ſed Mariam à diabolo adoratam. Probo, quòd dico.

1. Reg. 5. 1. 3. XV. 1. Reg. 5. 1. 3. *Philyſthiim tulerunt Arcam, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon.* Quid indè? *Ecce Dagon jacebat pronus in terram ante Arcam Domini.* Portentum! Cur, quæſo, Arca ſolùm virtutem pandit in templo? Cur ibi, & non alibi cogit Deus Dagon, Arcam adorare? Templum illud locus erat, in quo omnes idolum adorabant, eique genua flectebant: & ubi omnes diabolum adorabant, ibi, ibi cogebatur Dagon Arcam adorare.

Abulenſis. Audite Abulenſem: *Supra os ſuum jacebat, ac poneretur quaſi adorans Arcam.* Quotquot mundum ingrediuntur, in ipſa conceptione diabolum quaſi adoramus, eique genuflectimus: ſola Maria ſtat, à diabolo adorata: *Dagon jacebat pronus in terram, quaſi adorans Arcam.*

Ita ut de Maria meritò dixerim; quod de Eſthere Aſſuerus: *Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta.* Eſther 15. 13. Ergò *Maria eſt à natura reverenter conſervata; à lege diligenter venerata; & à gratia clementer præelecta.* Eſt tertium Punctum.

XVI. Duplex eſt redimendi modus; primus, quo erigitur lapſus: ſecundus, quo præſervatur quis à lapſu; major eſt favor præſervationis, quàm liberationis: excellentiùs beneficium fit ei, qui ſervatur ne cadat, quàm ei, qui lapſus erigitur. Fuit Maria Chriſti Sanguine non ab actuali ſervitute diaboli redempta, ſed præſervata, *A gratia clementer præelecta.* Hinc meritò Maria dicitur: *Redemptionis Chriſti Primiceria*: à ſancto Bernardino Senenſ. Sermone de Aſſumptione beatæ Virginis Mariæ: *Primogenita redemptionis Filii ſui.* S. Bernardin. Senenſis. Et eodem Sermone iterùm: *Plùs pro Virgine redimenda venit, quàm pro omni alia creatura.* Ex quibus verbis patet, quòd plus pro Virgine redimenda venerit, quàm pro omni alia creatura; atqui illam redemptionis excellentiam maximè præſtat redemptio præſervativa, id eſt, non quia cecidit ſed ne caderet: ergò (ut alibi diximus) puriſſima Virgo Maria redempta fuit redemptione præſervativâ: non enim eſt negandum Reginæ, quod ſervis novimus conceſſum. Confirmat ipſa dictum meum per os Prophetæ Regli Pſalm. 138. juxta ſenſum S. Brunonis in dictum Pſ. *Tu confirmâſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.* Pſalm. 138. Quaſi diceret:

diceret: tantâ me, Deus meus, dignatus es gratiâ, & puritate, quâ major ſub te intelligi nequit: & ut me in illa conſervares, *Poſuiſti ſuper me manum tuam: ne aliquatenus à formoſitate deflectam*; ſignanter tibi cordi fuit, manu tuâ operire caput meum, ne diſcoopertum abſque propugnaculo eſſet ad ictus inimici animæ meæ: *Obumbrâſti ſuper caput meum in die belli.* Cur, quæſo, obumbrare, aut armare ſolummodò dicitur caput Virginis? Cur non dorſum, cùm diabolus Archiſtrategus proditorum ſoleat à tergo inſidias ſtruere? Cur non pedes ejus, cùm, ut mulier, timere debeat à mortali morſu ſerpentis calcaneo magìs, quàm alteri parti corporis inſidiantis? Dicat pro me Abulenſis in Matt. *Caput principium eſt vitæ: dies autem belli eſt inſtans illud conceptionis, quo dæmon, peccati originalis macula dominatur de anima. Principium autem vitæ B. Virginis obumbratum fuit ab inſtanti Conceptionis ex vi prævifionis meritorum Chriſti, & nullam contraxit maculam originalem; undè gratias agens Deo pro tanto beneficio, dixit: Obumbrâſti ſuper caput meum in die belli.* Tranſgrediatur ergò Adam mandatum, nihil ad B. Virginem. Amittat ille gratiam originalem pro ſe, ſuiſque omnibus, gratiam Mariæ, quæ numquam ejus ſubfuit voluntati, amittere non potuit. Peccato originali totum inficiat mundum, ipſa, in qualitate Dei Matris, in prima ſua perſeverat innocentia.

S. Bruno.

Abulenſis.

XVII. Supponitis vos Virginem deſcendentem ab Adamo? ego aſcendentem conſidero; dicitis mihi, ab antiquis eam progenitoribus originem ducere? at ego mihi perſuadeo progenitores ab illa (utpotè antiquiore) derivari. Novitas magna! at ſuſpendite tantiſper judicium: hæc magna novitas benè intellecta, lumen addet magnæ veritati ſublimiſſimis ingeniis authenticatæ. Certum eſt, Adamum productum ſexto die; Maria autem quando? *Ab initio, & ante ſecula.* Nata eſt Virgo ante naturam: antè lucem, in lucem venit: *Primogenita ante omnem creaturam.* Video, necdum capitis. Alia eſt temporis, alia ſeries decretorum Dei; quoad ſeriem temporis, Maria eſt deſcendens ab Adamo; quoad ſeriem decretorum, Adam eſt deſcendens à Maria; quoad executionem, Adam eſt primus; in intentione prima eſt Maria.; iſte primò creatus: hæc primò prædeſtinata; ille electus, tamquàm medium: hæc prælecta, tamquàm finis; ſed quis mihi dicet, quòd fracto inſtrumento totum depereatur opus? Quis, quòd fracto annulo ſpernendus ſit adamas? Audite Iſidorum Archiep. Theſſ. *Reductio creaturarum in meliorem ſtatum, procul dubio cauſam habuit ipſam Virginem: quæ, ſi futura non fuiſſet, non cogitâſſet Artifex Deus, de producendis planè creaturis. Itaque propter eam conditæ ſunt, erantque jam productæ, ad ſui productionem indigentes eâ, quæ producenda erat, & ſola mirum in modum ſuos antè protulit parentes.* Ita

Eccli. 24. 14.

Eccli. 24. 5.

ille.

ille. Prima electa , prima creata
Eccli.24.6. fuit Maria : *Primogenita ante omnem creaturam.* Si Maria antè Adamum, quomodò potuit ille hanc prolem contaminare ? Quomodò potuiſſet Lucifer tenebris ſuis hanc auroram obſcurare, adhuc in nocte ſui nihili dormiens ? Peccatum ſordida terra eſt, & lutoſa ; ſi Virgo producta , *Antequàm terra fieret* , luto ejus iniquinari non potuit. (Prov.8.23.) Mons ferreus & plumbeus, eſt gravitas culpæ ; quomodò Virgo fuiſſet ejus gravata pondere, à gratia præſervata , quando *Necdum montes gravi mole conſtiterant* ? Profunda miſeriarum abyſſus, eſt peccatum originis ; at inquit Virgo : (Verſ.24.) *Nondum erant abyſſi , & ego jam Concepta eram.* Fuit ergò Maria , *Antequàm quidquam faceret* : conſequenter *Mirum in modum ſuos ipſa peperit parentes.* Si ergò Virgo electa in Dei Matrem ante prævisionem peccati , quomodò peccavit in Adam ? *A gratia mirabiliter præelecta.* Redeamus ad domum, quam Sapientia ædificavit ſibi.

XVIII. Poſtquàm dixerat Sapiens, quòd Sapientia ædificâſſet domum, & ſibi ædificâſſet, ſubdit :
Prov.9.1. *Et excidit columnas ſeptem* : tum ad fulcimentum, tum ad ornatum. Septem columnæ, ſeptem virtutes ſunt, quæ ornârunt Virginis animam : *Per ſeptenarium numerum, univerſitas deſignatur* : ſignanter tamen ſeptem virtutes primariæ, à quibus procedunt cæteræ omnes : tres Theologicæ : *Fides* , *Spes* , *Charitas* : quæ dicuntur virtutes divinæ, eò quòd hominem elevent, & participem reddant naturæ Divinæ. Et quatuor Cardinales : *Prudentia*, *Juſtitia*, *Temperantia*, & *Fortitudo* : quæ dicuntur virtutes humanæ, vel Morales, quia magìs ſunt propriæ homini ſecundùm totum ſtatum ſuum naturalem, non elevatum. Omnes illæ non fuerunt in Maria, ſicut in nobis, utpotè vacillantes : ſed ſolidæ, & ſtabiles ; ideòque *Columnæ* intitulatæ : *Excidit columnas ſeptem* : numquam conquaſſatæ, ſed ſtabilitæ confirmatione in gratia perſeverantiæ, & cum excluſione fomitis : *Ego confirmavi columnas ejus.* Psalm.74.4. Columnas illas non *Feciſſe*, non *Erexiſſe*, non *Ornâſſe*, non *Expoliiſſe*, ſed *Exciſiſſe* dicitur : *Excidit columnas* : ut intelligatur, de qua vena illas exciderit ; de vena adeò pretioſa, adeò rara, ut ſolùm opus fuerit Sapientiæ increatæ, illas inveſtigare, & excidere ex profundiſſima aurifodina ſua. Hinc eſt, quòd illæ ipſæ virtutes, quæ aliis ſunt communes, fuerint in Virgine in gradu tam heroico, tam eminente, ut conſtituant ordinem ſuperiorem illo, in quo illas poſſident alii Juſti. Hoc poſito, quis dicet Virginem comprehenſam in communi pacto, à Deo cum Adamo inito (à cujus obedientia dependebat ſalus omnium poſterorum ejus) cùm ipſa poſſederit majorem Fidem, quàm Adam ; majorem Spem, quàm Adam ; majorem Charitatem, quàm Adam ; majorem Prudentiam, quàm Adam ; majorem Juſtitiam, quàm Adam ; majorem Temperantiam, quàm Adam ; majorem Fortitudinem, quàm Adam ; nec majorem tantùm in actu, ſed & majorem in habitu: ſic ut.

ſic ut ratione majoris perfectionis, quæ propria erat ſuis virtutibus, debuerit B. Virgo poſſe cum majori facilitate exactè adimplere legem divinam? Illud eſt argumentum magnæ veriſimilitudinis, ad demonſtrandum, quàm juſtè potuerit B. Virgo virtute gratiæ Chriſti, cujus debebat eſſe digna domus, excludi à ſorte communi, ſic ut non deberet illa dependere à conſtantia Adami: quæ ſors quidem ob multa capita aliis deſiderabilis eſt, ſed Deiparæ nec per unum. Si ex dignitate Maternitatis Dei tantæ ei prærogativæ, quidni & illa, quòd ſit concepta ſine peccato originis? alioqui, quale abſurdum fuiſſet, etiam in prioritate ſigni, ſecundo inſtanti vitæ ſuæ virtutes conferre adeò ſingulares, adeò ſublimes, & unà permittere, quòd in primo inſtanti eſſet filia Eccl. iræ? *Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas*: inquit Eccleſiaſticus: non ſuper luteas. Quæ à me hactenùs dicta ſunt, paucis omnia confirmat Sponſus cœleſtis Mariam alloquens.

Cant. 8. 5. XIX. Cant. 8. 5. *Sub arbore Malo ſuſcitavi te.* 70.[ta] legunt: *Excongregavi, diviſi, ſeparavi te* à cæteris creaturis. Ubi? *Sub arbore Malo.* 70. Interp. *Ubi corrupta eſt mater tua: ubi violata eſt genitrix tua.* Ubi mater tua Eva à ſerpente infernali ſe decipi, corrumpi, ſeduci permiſit, ſub illa arbore vitæ, de qua in ſua creatione ſub pœna mortis præceperat Deus ne comederent, *Ibi, ſub arbore Malo ſuſcitavi, excongregavi, diviſi, ſeparavi te. Ubi corrupta eſt mater tua: ubi violata eſt genitrix tua.* Jam peto: Numquid peccatum originale à pomo arboris vitæ originem duxit, quod contra Dei mandatum, ad ſuggeſtionem ſerpentis, & Evæ perſuaſionem, comedere auſus eſt Adam? Nunquid ſub dicta arbore incurrerunt fulminatam à Deo mortis ſententiam omnes poſteri Adami? Si tunc elongata, diviſa, ſeparata ab omnibus Adæ filiis, in ſinu Dei caſtiſſimis ac diviniſſimis amplexibus gaviſa ſit Maria, *Sub arbore Malo ſuſcitavi, excongregavi, diviſi, ſeparavi te*; quomodò per cœleſtem Patrem non foret exempta à peccato originali in gratiam Verbi æterni, unigeniti Filii ſui, cùm eam plenitudine gratiæ, & merito Redemptoris ſeparare, dividere, & excongregare dignatus ſit? Non eſt, quòd ego vos ultrà interrogem: dicta mea ſubſignat D. Anſelmus: *Sub arbore Malo ſuſcitavi te: id eſt, ſub* S. Anſelmus. *peccato facto per arborem, Malum, id eſt, in peccato primi parentis.* Concludo ergò cum Mellifluo Bernardo: *Maria* D. Bernard. *à natura eſt reverenter conſervata, à lege diligenter venerata, & à gratia clementer prælecta.* State NN. ſtate mente, non corpore: cum Apoſtolo vos alloquor.

XX. Epheſ. 2. *Eramus naturâ filii* Epheſ. 2. 3. *iræ, ſicut & cæteri; Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto.* Quotquot ſumus, confiteri nos oportet cum Davide: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, &* Pſalm. 50. 7. *in peccatis concepit me mater mea.* Sumus omnes ejuſdem maſſæ cum Adam: & de unoquoque noſtrûm dici poteſt: *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum meum*; ideòque venenoſos morſus ſerpentis infernalis,

præter concupiſcentiæ fomitem, utpotè peccati originalis ſtigmata inuſta nobis gerimus, ſolâ Mariâ exceptâ. Grandis honor Virginis, ſine originali peccato eſſe: grandis, in quantùm exempta eſt à lege rigoroſa, omnibus data, naſcendi in peccato; at multò major, & utilior; quia non contrahendo peccatum originale, non incidit in cætera actualia; non peccando in primo inſtanti, cauſa eſt, quòd nunquam peccaverit. Hæc eſt ſumma, hujus myſterii; hæc laus ſumma Virginis; hoc ſummè à nobis imitandum. Qui vult toto vitæ tempore peccata fugere, incipiat fugere tempeſtivè; qui incipit cum uno, facit centum; qui non incipit, fugit omnia.

XXI. 2. Reg. 13. Thamarem ſororem ſuam ita adamabat Ammon filius David, ut propter amorem ejus ægrotaret; in hoc collimabat, quò abſque abominabilis ſtupri, & execrabilis inceſtûs macula pervenire non poterat; ſperabat: at inquit: Difficile eſt; & quare? indicat ſacer Textus rationem: *Cùm eſſet virgo, difficile videbatur, quidpiam inhoneſtè agere cum ea.* 2. Reg. 13. 2. *Difficile*, quia Virgo. Non incepiſſe, magnum compeſcendi libidinem frænum eſt: qui non incipit in juventute, aut adoleſcentia, non facilè peccabit in ſenecta. Juventus! Quantum refert non incipere! Econtrà: caneſcat aliquis, refrigeſcat ſanguis, & ætas ſimilis adſit quantum poteſt, ſi ſemel inceperit, peccatum erit originale hoc ſenſu, quòd erit origo undè deriventur cætera. Quis non obſtupeſcat, videre in horto impudicos ſenes exardeſcere in concupiſcentiam pudiciſſimæ Suſannæ? Quomodò poſſibile congelatum ſanguinem bullire in tam audacem prætenſionem? Quid? inquit D. Cyprianus: neſcitis, quòd qui ſemel malè incipit, ſit ſemper talis? Sic inceperant juvenes, ſic pergunt cani: D. Cyprian. *Ita illos in tranſactæ juventutis incendia redivivæ libidinis flamma revocabat.* Juventus, juventus, quantum refert nunquam malè incepiſſe!

XXII. Lucæ 7. Reſuſcitaturus Chriſtus filium viduæ Naim defunctum, ait: *Adoleſcens, tibi dico: Surge*; Lucæ 7. non vocat eum ex nomine, ſed ætate: non dicit: Petre, Franciſce, ſed: Adoleſcens; *Adoleſcens, tibi dico: Surge.* Verba ſunt clara, ſed altum in illis latet myſterium. Pandit illud Purpuratus Ugo: Ugo Card. *Adoleſcentem dixit, ut innueret, quòd inveterati in peccatis vix reſurgunt.* Qui vivam vult ànimam à juventute ſibi proſpiciat, & caveat: *Adoleſcens, tibi dico: Surge*; tibi dicitur, Ætas florida, & juvenilis, ut non incipias: *Tibi dico: Surge*; hodie celebrantur gloriæ Mariæ, ob exemptionem à peccato originali: incipit hodie tua felicitas; qui dat Mariæ prærogativam, quòd fugerit originale peccatum, dat prærogativam, quòd fugerit primum peccatum. Qui non incipit peccare, Mariam imitatur.

FERIA V. DOMINICÆ II. ADVENTUS

De Irritatione, quarto Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Irritatio inter cætera peccata Aliena, non infimum locum tenet: utpotè per Antonomaſiam dictum *Peccatum diabolicum*; undè irritatores habentur præcipui ſatanæ miniſtri, propriè dicti: *Filii Belial*: id eſt, diaboli; utpotè qui alios irritando, cum magno ſatanæ quæſtu, ad peccandum impellunt: non minùs odibiles Deo, quàm ipſe diabolus; conſequenter ſicut irreparabilis eſt ejus ruina, ita quaſi irremiſſibilis redditur culpa irritantium.

I. Non minùs reus eſt mortis, qui peccato conſentit, quàm qui idipſum facit: conſequenter non minùs peccat auditor detractionum, quàm detrahens; ſi enim non eſſet auditor, non eſſet murmurator: undè plerùmque magìs peccat auditor, quàm detractor: omnium malorum, quæ ex cauſa ab eo data procedunt, coram Deo redditurus rationem. Hodie agendum de Irritatione, quarto peccato Alieno. De illo, ne Deum irritare videar, ne vel verbum dixero, niſi priùs ſalutatâ Virgine. *Ave Maria.*

II. Deus, qui variis modis olim populum ſuum irritavit, & tentavit ad bonum, ſuaviſſimè hoc præſtitit per Incarnationis myſterium: quando in plenitudine temporis *Miſit Filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege; ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* In lege veteri ſæpè irritavit hominem ad benefaciendum, hominis vilitatem, & ſuam Majeſtatem exponendo: ſed non convertebatur homo, ſicuti cum aliquis fortis & ſtrenuus provocat, & irritat aliquem ad pugnam, timidus quiſque non irritatur: ſed ſi ab æquali, aut minori ad pugnam vocatur, facilè irritatur, & ad pugnam procedit; ita olim Deus Majeſtatis, & Dominus exercituum irritans hominem, & provocans ad benefaciendum, non facilè poterat irritare, quia irritabatur ab inæquali; at verò, ubi Deus factus eſt homo, nobiſque æqualis, mirum ſanè eſt, quòd homo provocatus non irritetur ad bonum: quia à majori, jam ſibi æquali facto, provocatur; ſignum ſanè, quòd in eo non charitas, ſed obſtinatio dominetur, quæ ad bonum non irritatur. Irritat ergo Deus hominem, factus homo, tali, aut hujuſcemodi inſpiratione: Ecce, tunc velis eſſe humilis, manſuetus, ſobrius, &c. cùm ego, multò te major, humilis, manſuetus, ſobrius, &c. factus ſim? Et ſicuti ipſe per ſe irritat hominem, & provocat ad benefaciendum, ita & ſæpè

Gal. 4. 4.

ſæpè hæc facit per alios pios homines, qui nos verbis & exemplis irritant ad benefaciendum; ita D. Paulus Rom. 11. ℣. 13. 14. *Miniſterium meum honorificabo*; quare? *Si quomodò ad æmulandum provocem carnem meam.* 2. Cor. 11. ℣. 12. dicit ſe evangelizare, *Ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem: ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos.* Voluit autem Deus quoſdam ſic conſtituere, ut eos participes faceret aliorum bonorum operum. At contrà, diabolus irritat hominem, & provocat ad peccandum: ſæpè etiam excitat malos homines, tamquàm inſtitores ſuos, ad irritandum alios; undè meritò tales homines *Satanæ* vocantur, tamquàm præcipui ejus miniſtri. Æſtimant homines hoc peccatum nihili, aut parvi, cùm tamen in hoc ipſo facto, ad quod alios incitant, ſæpè graviùs ipſo auctore facti peccent, eò quòd talis hoc non perpetrâſſet, niſi ab alio irritatus; eſtque hoc peccatum unum ex illis, pro quibus orat David, obſecrans: *Ab Alienis parce ſervo tuo*: & meritò, quia inter novem peccata aliena non infimum locum habet *Irritatio.* Vos ipſos judices conſtituo: attendite ad rationes meas, ponderate, & judicate: ego Deo auſpice incipio.

Rom. 11. 13. 14. — 2. Cor. 11. 12.

III. Primus in terris irritator diabolus fuit, dum primos parentes noſtros tentavit, & irritavit, dicens: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi? Nequaquam moriemini: ſcit enim Deus, quòd, in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii.* Quod viſibiliter Evæ, hoc indies facit inviſibiliter, per internas ſuggeſtiones tentans hominem, & ad peccatum provocans, aliosque ad irritandum, tamquàm cooperatores & inſtitores ſuos fideliſſimos, aſſumens; irritatio enim, per excellentiam vocatur *Peccatum diabolicum.* Rogo Irritatores, ne mihi indignentur, quòd eos tali indigitem nomine: quia timerem eos offendere, ſi alio eos titulo inſignirem; tali illos honorat David.

Gen. 3. 1.

IV. 2. Reg. 16. Semei, magnus irritator, in publica platea David unctum in Regem aggreditur, dicens: *Egredere, Vir ſanguinum, & vir Belial!* mittebatque lapides, & ſpargebat terram contra David: ſed pius Rex non movebatur hâc irritatione, licèt ſervi ejus commoti eſſent ad vindictam. Ex hac irritatione, ſurrexit & alia: quam etiam Rex ſuperavit; Cap. enim 19. dum Semei veniam petenti ignoſceret, ait Abiſai Regi: *Numquid pro his verbis occidetur Semei, quia maledixit Chriſto Domini? Tunc David: Quid mihi, & vobis, Filii Sarviæ? Cur efficimini mihi hodie in ſatan? Et ait Rex Semei: Non morieris; juravitque ei.* Ex his verbis patet, quomodò ſervi & amici David irritabant eum, ut ſe ulciſceretur de illata ſibi ignominia. Deus bone! Quot hodie Abiſai in mundo? Si quem, injuriam paſſum, in manſuetudine Chriſtiana, juxta Dei præceptum, illam videant perferre, tamquàm inſtitores diaboli, irritant illum. Quid? Tune inultam relinques tantam tibi illatam injuriam? Niſi vindictam ſumas, erit familiæ tuæ macula perpetua: ſi illam mihi injuriam intuliſſet, aliter

2 Reg. 16. 7. — 2. Reg. 19. 21. 22.

aliter docerem illũ:non tam patienter ferrem: modò in manu tua eſt; ſicque irritatione ſuâ tam multum facit, ut læſus tantùm in temporalibus, jam lædatur inſuper in anima, & vindictam ſumens, occidat animam ſuam, & animam proximi, qui aliàs amore Dei ſuſtinuiſſet injuriam. Numquid ille irritatus cum Davide dicere poſſet ſuo irritatori: *Cur efficeris mihi hodie in ſatan?* Sunt alii irritatores, de quibus S. Cæſarius Arelat. Serm. 10. *Adjutores ſunt diaboli, qui ſtatim ubi viderint aliquos nimiâ iracundiâ commoveri, venenoſum conſilium, undè ampliùs iraſcantur conantur ingerere.* Quiſquis ille fuerit, ſive ſecularis ſit, ſive Eccleſiaſticus, iterùm dico, quòd non tantùm ſit de Synagoga ſatanæ, ſed inſignis inſtitor, & agens diaboli. Indignetur mihi irritator, ut voluerit, quòd ipſum de Synagoga ſatanæ eſſe dicam: cùm Chriſtus ipſe primum ſuum Apoſtolum ob unam irritationem ſatanam vocet, non debeo ego angi, quòd ipſum talem dicam. S. Cæſarius Arelat.

V. Matt. 16. Cùm dixiſſet Apoſtolis ſuis, ſe Gentibus tradendum, flagellandum, illudendum, & crucifigendum, Petrus, ut hæc audit, ait: *Abſit à te Domine: non erit tibi hoc.* Quaſi diceret: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, non decet Majeſtatem tuam talia à tam vilibus perſonis pati; honori tuo conſulas, & potiùs defendas te. Ad hæc Chriſtus: *Vade poſt me, ſatana: ſcandalum mihi es, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.* Ne miremini, quòd Petrum ſatanam vocet; S. Hilarius ſentit, hoc dictum eſſe à Petro, inſtinctu diaboli: *Diabolus Petrum incitavit ad hoc, ut diſſuaderet.* Sequebatur inſtigationem diaboli, irritabat Chriſtum. Quot hodie ſimilis farinæ? Quot videntur amici, & tamen coram Deo ſunt ſatanæ? conſulunt honori, ut videtur, & ſuâ irritatione occidunt animam proximi. Quot putant ſe immunes ab homicidio, vindicta, & talione injuriæ? ita ut egrè ferrent, ſi in Confeſſionali interrogarentur, an aliquem occiderint? & tamen irritatione ſuâ cauſa fuerunt, quòd alter alterum occiderit, aut injuriam retulerit. Quot ſunt, qui irritatione ſuâ proximum cum Petro ab incepto bono opere avocant, ad hoc à diabolo excitati? Cur illos nomine ſatanæ non appellem, cùm ſpiritu ejus ducantur, ejuſque fungantur officio? vel ſi placeat, ut honeſtiori eos titulo decorem, non aberravero, ſi eos *Serpentes* dixero. Dicite mihi, quodnam primum diaboli nomen fuit? Matt. 16. 22. Verſ. 23. S. Hilarius.

VI. Gen. 3. De diabolo Evam irritaturo, ait ſacer Textus: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus; qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus,* &c. Cur ſatan nomen & formam ſerpentis induit? An deerant formæ aliæ, multò nobiliores, quibus ſe veſtire potuiſſet? Oleaſter ad rem noſtram reſpondet acutè: *Admonet illos, non homines, ſed ſerpentes eſſe dicendos, qui arte, & aliis miris modis proximos ad peccata pertrahere conantur.* Numquid ſic eſt NN? Numquid irritator tali baptizandus nomine? Numquid in proverbium abiit: Habet linguam ſerpentinam? Eſt inſtar ſerpentis? Licèt forem Gen. 3. 1. Oleaſter.

P Ange-

Angelus, impoſſibile foret talia perferre? Vultis aliquam probam ex S. Scriptura? dabo in perſona, quam noviſtis ex nomine.

VII. 1. Reg. 1. Elcana duas habebat uxores, Annam, & Phenennam: erant Phenennæ filii, non erant Annæ: irritabat Annam Phenenna à manè ad veſperam: *Affligebat eam æmula ejus, & vehementer eam angebat*, in faciem exprobrans ſterilitatem; tacet Anna, totum committens Deo, qui providere poterat. Cur, quæſo, Phenenna adeò moleſta eſt Annæ? Pagninus & Vatablus ex Hebræo dant rationem: *Irritabat eam inimica ejus, ut fremere, ut tonare faceret eam*, ſicque tota turbaretur domus: quòd indubiè factum fuiſſet, niſi Dominus providiſſet. Quis non dixerit Phenennam duci ſpiritu verè diabolico? Sic eſt; ſed dolendum, quòd tam multi reperiantur hodie, qui eodem ſpiritu ita irritant proximum ad malum, ut quaſi impoſſibile ſit ſe continere. Ut ad oculum pateat, ſcitiſne, quid ſit propriè irritare aliquem? Dicitur quis aliquem irritare, quando eum contemptui & abjectioni habet, niſi tale vel tale quid fecerit. V. G. ſum iratus in aliquem, provoco ipſum ad pugnam: ipſe, me prudentior, dicit ſe nolle pugnare; quid facio? multa in ipſum ſcommata jaceo, derideo, & omnia, quæ poſſum, mala effingere, profero: quòd nimis ſit timidus, quòd non audeat hominem aſpicere, &c. donec tandem verbis meis laceſſitus, ad pugnam prodeat; ita ut ipſe iratus fateatur, & dicat: Nemo canem ita irritaret, prout ipſe me; ſicque irritatus procedat ad pugnam, & vindictam: & non ſolùm irritantis corpus, ſed propriam lædat, & occidat animam. O Alcimi redivivi!

1. Reg. 1. 2.

Pagninus. Vatablus.

VIII. 2. Machab. 14. Nicanor habitans Hieroſolymis, habebat Judam Machabæum ſibi ex animo charum: cùm viro totus eſſet inclinatus, rogabat eum, ut uxorem duceret, & filios procrearet; nuptias ergò fecit, quietè egit, comiterque vivebat. Alcimus, videns charitatem illorum ad invicem, & conventiones, venit ad Demetrium, dicens Nicanorem rebus alienis aſſentire, Judamque, regni inſidiatorem, ſucceſſorem ſibi deſtinâſſe; quibus auditis, *Rex exaſperatus, & peſſimis hujus criminationibus irritatus, ſcripſit Nicanori, dicens, graviter quidem ſe ferre de amicitia conventione: jubere tamen, Machabæum citiùs vinctum mittere Antiochiam.* Nicanor, Regi reſiſtere non valens, licèt nihil læſus à viro, opportunitatem obſervabat, quâ præceptum perficeret; undè tanta inter eos exorta eſt inimicitia, ut Judam, & univerſum populum perſequeretur ad internecionem. Capitis, quò vergam Alcimi hujus ſeculi? Numquid de numero illorum eſtis, de quibus Eccleſiaſticus Cap. 28. *Homo iracundus, homo irritator, accendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio habentium pacem immittit inimicitiam?* Scitis uxorem & maritum bene conſentientes, mutuos diſſimulantes defectus: excitatis maritum in uxorem, uxorem in maritum: irritatis maritos, ne talia aut talia patiantur ab uxoribus: ſimiliter, uxores à maritis: & irritatione veſtrâ ſuſcitatis ignem, qui totam adurat familiam, & tantam inter

2. Mach. 14. 27.

Eccli 28. 11.

eos

eos excitet inimicitiam, ut invicem deteſtentur, & execrentur, in æternam damnationem animarum à veſtra irritatione cauſatam. Numquid hoc diabolicum eſt? Scitis inter amicos bonam vigere correſpondendentiam: incenditis litem, turbatis amicos, &c. in medio pacem habentium immittitis inimicitias: quis non dixerit vos diaboli miniſtros, & coadjutores fideliſſimos? Sunt & alii irritatores, qui irritant proximum ad luxurioſè vivendum, dicentes: Tu hoc & hoc non audes facere? Ego facio talia quotidie. Sic incitati ſunt Noë & Loth ab impiis, qui de die in diem cruciabant animas juſtorum verbis ſuis, & factis. Alii irritantur ad tranſgredienda præcepta Domini, & ut cœpto itinere virtutum, ad Ægyptiacas tenebras, peccatorum
Pſal.105. 16. redeant. Ita filii Iſraël. *Irritaverunt Moyſen in caſtris, & Aaron Sanctum*
Verſ. 32. *Domini* Pſ. 105. *Et irritaverunt Moyſen ad aquas contradictionis: & vexatus eſt Moyſes propter eos, qui exacerbaverant ſpiritum ejus.* Alii irritant, & excitant alios ad perſequendum fideles, & Eccleſiam Dei: quorum typum geſſit Abimelech filius Gedeonis, qui Judicum 9. recepit inopes, & vagos ad malefaciendum paratos, quos verbo & exemplo irritavit, ferens priùs lignum in propriis humeris, dicenſque ſociis: *Quod me vi-*
Iudicum 9. 53. *diſtis facere, citò facite;* ſed miſer irritans alios, primus omnium turpè interiit, fragmine molæ illiſo capiti ejus. Irritatores ſunt lenones, ſcorta, & caupones, qui juvenes blandis ſermonibus & aliis modis ad mala provocant. Peſſimi autem irritatores ſunt, qui iratum fratrem irritatione ſuâ adeò in furiam agunt, ut in omnem blaſphemiã illum cogant erumpere. Non ſic tractaret Ezechias inimicos Dei, ſicut ſimiles irritatores tractant ſuos etiam propinquos.

IX. 4. Reg. 19. Sennacherib, captis civitatibus Judæ munitis, mittit Rabſacem ad obſidendam Jeruſalem; hic variis in Ezechiam jactatis convitiis, & in Deum blaſphemiis, Jeroſolymitas ad deditionem hortatur; at illi ſiluerunt, & non reſponderunt ei verbum: mandaverat enim Rex, dicens: Ne reſpondeatis ei; quod & ipſe fecit Ezechias, auditis blaſphemiis, & irritationibus nihil reſpondens, nec pro, nec contra, ſoli Deo commendans ſucceſſum. Quis ad tantas blaſphemias tam Ezechiæ, quàm populi, non miretur tantum ſilentium? Audiunt blaſphemari nomen Dei, & tacent? Ad hanc difficultatem variè reſpondent varii interpretes; ad propoſitum noſtrum ſolùm adduco Procopium, dicentem: *Nihil ad blaſphemias iſtas reſponderi paſſus eſt Rex* Procopius.
pius, ne ad majores provocaret. Illa eſt ratio, quòd pius Rex non reſponderit miſſis ad ſe litteris, quæ tantas contra Divinam Majeſtatem, & decorem perſonæ ſuæ Regiæ continebant infamias, ne blaſphemum illum ad majores irritaret, & provocaret blaſphemias. Non ſic hodie irritatores multi, etiam plebæi, qui ad minimam illatam injuriam proximum in choleram datum injuriis obruunt, exacerbatum magis irritantes, & ad majores injurias, imò & blaſphemias provocantes; qui, ſi cum Ezechia ſilerent, non minùs gratum Deo offerrent ſacrificium, quàm Rex David. 1. Reg. 24.

X. 1. Reg. 24. Saul, juratus Davidis hoſtis, intrat ſpeluncam, in qua latebat David: mox ſervi ejus, videntes tam commodam occaſionem interficiendi Saülem, irritaverunt eum dicentes: *Ecce dies,* [1 Reg. 24. 5.] *de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis*; at David ad irritatores illos: *Propitius ſit* [Verſ. 7.] *mihi Dominus, ne faciam rem hanc Domino meo christo Domini, ut mittam manum meam in eum: & confregit David viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, ut conſurgerent in Saul.* Cap. 26, ✠. 8. Dormiente Saule in tentorio, venit David cum Abiſai ad locum, in quo erat, dixitque Abi- [1. Reg. 26.] ſai irritans Davidem: *Concluſit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas: nunc ergò perfodiam eum lanceâ in terra ſemel, & ſecundò opus non erit*: Et dixit David ad Abiſai: *Ne interficias eum: Quis enim interficiet christum Domini, & innocens erit? Nunc igitur tolle haſtam, quæ eſt ad caput ejus, & ſcyphum aquæ: & abeamus.* Et abit David glorioſus, non tam de ſe, quàm de irritatoribus triumphans. Canant nunc mulieres Iſraël: *Per-* [1. Reg. 18. 7.] *cuſſit Saul mille, & David decem millia. Hæc eſt glorioſa victoria*, inquit Chryſoſtomus: *egreſſus eſt ex-* [S. Chryſoſt.] *ultans magis, quàm cum Goliath dejeciſſet: ſiquidem hæc illa magnificentior erat victoria.* Plus dicit Euſebius [Euſeb. Emiſſ.] Emiſſenus: *Egreſſus eſt David de ſpelunca cum tanta gloria, cum quanta tres pueri egreſſi ſunt de camino ardenti.*

XI. Sed inter quos hodie maximè viget illa diabolica irritatio? Vultis dicam? Inter eos, quorum deberet eſſe cor unum, & anima una; inter conjuges, parentes & proles. Quot hodie uxores, illius farinæ, cujus erat uxor Job, irritans maritum ſanctum, etiam ad ipſam Dei maledictionem? *Benedic Deo,* [Job 2. 9.] *& morere.* Quot uxores irritant maritos, ita ut non ſint ferendo: improperantes, & ultimum verbum tenentes, ut jurare eos cogant, & blaſphemias evomere, ad quas exhorreſcit animus; quarum omnium ipſæ reæ ſunt? Ne uxorem Job, toti orbi notam excerpere videar, aliam do, etiam ſanctitate illuſtrem.

XII. Tobiæ 2. Tobias, videns ſe ad extremam paupertatem redactum coactus eſt operâ manuum ſuarum lucrari victum. Anna uxor ejus ibat etiam ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum, victum, quem conſequi poterat, ei deferebat; cùm autem hœdum caprarum, quem acceperat, detuliſſet domum, & vocem balantis audiviſſet vir ejus, timens Tobias, ne fortè furtivus eſſet, juſſit illum reſtitui Dominis ſuis: *Ad hæc uxor* [Tobiæ 2. 22.] *ejus irata, reſpondit: Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt.* Quid faciet bonus ſenex, ita ab uxore irritatus? *Tunc* [Tob. 3. 1.] *Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis.* Mirantur Interpretes virilem Tobiæ conſtantiam ita concuti, ut ob illatam ab uxore injuriam in lacrymas prorumpat. At illum defendit Sanctius, antiquiſſimus Interpres; dicens lacrymas & gemitus ejus non duxiſſe originem ab animo dejecto, aut ſenſu illati opprobrii, ſed ex zelo potiùs, quo in uxoris ſalutem ferebatur: *Tunc Tobias inge-* [Gaſpar Sanctius ibi.] *muit, ut eluat atque diſſolvat uxoris illud*

execra-

execrabile convitium, quo dixerat vanam eſſe ſpem, collocatam in Deo: ſentiebat enim ſe ab uxore irritari, ob collocatam in Deo ſpem. Quis hoc umquam expectâſſet à viri. ſancti uxore ſancta? Si irritatrices ſint inter ſanctas, quot ergò hodie inter mulieres noſtri ſeculi, quæ nullam olent ſanctitatem? Sed ne in mulieres tantùm habere videar, ſunt & mariti irritantes uxores: irritant quòque parentes filios, & filii parentes: quos arguit Apoſtolus ad Epheſios 6. 4. *Vos Patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina.* Item Coloſſ. 3. 8. *Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut puſillo animo fiant;* ne alioquin vobis imputentur peccata eorum, nimiùm illos irritando. Et vos, Filii, qui à parentibus moniti, illis obloquimini, in faciem reſiſtitis, verbo dictum: ita irritatis, ut in choleram dati ſæpè periculum ſubeant apoplexiæ; eſtote certi, quòd Deus à vobis exiget rationem omnium malorum, ex irritatione veſtra exortorum. Si ſapitis, attendite vobis, & seriò perpendite, quàm ſeverè animadvertat Deus in irritatores.

Epheſ.6. 4

Coloſſ.3. 8.

Exod.14.

XIII. Exodi 14. Perſequente Pharaone cum exercitu ſuo filios Iſraël ad mare rubrum, Moyſes elevans manum, virgâ mare percutit, dividit, & vertit in ſiccum; ingreſſis filiis Iſraël per medium ſicci maris, erat aqua quaſi murus à dextra eorum, & læva; & ſicco pede pertranſiit populus: ſic ut altum mare non valuerit reſiſtere Moyſi, aut populo proficiſcenti in terram promiſſionis. Num. 20. 7. Venerant filii Iſraël in deſertum Sin: cùmque aquâ indigeret populus, miſericordiâ motus Pater miſericordiarum, ut in tanta ſiccitate ſuccurrat ſitienti populo, mandat Moyſi: *Tolle virgam, & congrega populum, tu, & Aaron frater tuus: & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Num. 20. 7. *Cùmque elevâſſet Moyſes manum, percuſſit virgâ bis ſilicem: & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Verſ. 11. Et ecce, audit Moyſes ex ore Dei ſeveram ſententiam: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Verſ. 12. Res magna, & mira! Exiguus aquarum rivulus Moyſen ab ingreſſu terræ promiſſionis impedit, quod non potuit mare integrum. Quid hìc, quæſo, latet? Scio præter expreſſam in ſacro Textu, varias à variis adferri rationes: ſed Theodoretus, Lyranus, & Abulenſis attribuunt paucis verbis, quibus irritabat Moyſes populum, jamjam de petra eliciturus aquam: *Audite, inquit, rebelles & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Verſ. 10. quâ irritatione offenſus Deus, fulminavit in eos ſententiam. Appoſitè ad rem noſtram faciunt verba S. Ephrem Serm. de Malo Linguæ, ubi ſic: *Plurimis licèt ſignis claruiſſet, Moyſes, ubi modicè linguâ lapſus eſt, è terra promiſſionis excidit; magnum & horrendum mare ei viam præcludere non potuit, ſed verbum unicum, ab eo iniquè prolatum, velut murus aliquis obſtitit ei, ne ulteriùs progredi poſſet.* S. Ephrem. Quis non tremat ad hoc Moyſis exemplum? Electus, & dilectus amicus Dei, poſt triginta-

octo annis in deſerto perpeſſos labores, ob exiguam irritationem in re publica, & vera, populo factam, adeò ſeverè punitur, ut ei interdicatur ingreſſus terræ tam deſideratæ; & dabitur irritatoribus, qui irritationibus ſuis tot animas perdunt, liber ingreſſus in terram ſanctam æternæ beatitudinis? Credant, qui voluerint: non ego facilè; veniamus ad probam.

XIV. In memoriam, quæſo, reducite Chriſti Diſcipulum, ſed veriſſimum traditorem Judam, qui ſub larva veri amici abſcondens rabiem capitaliſſimi inimici, non erubuit viliſſimo pretio vendere vitam Domini ſui: & examinemus casûs ſui originem, & rationem proximam, ob quam derelictus, odio habitus, & à Deo reprobatus eſt. Quandonam cecidit ille ab altitudine Apoſtolatûs? Quandonam à gratia & amicitia Dei præcipitatus eſt? quandonam paſſus finalem animæ ſuæ ruinam? D. Matthæus tempus, circumſtantiam, & horam deſcribit: *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum.* Quid, obſecro, innuit ly *Tunc*, aut ad quid refertur? Dicunt aliqui, referri ad tempus cœnæ factæ in Bethania, ubi & ipſe erat Judas: quòd illâ finitâ, à dæmone inſtigatus, ſurrexerit de menſa, & abierit ad Principes Sacerdotum, ut proderet eum illis. Volunt alii, referri ad tempus, quo Principes Sacerdotum erant congregati, ut eum dolo tenerent, & occiderent. Ita D. Anſelmus: *Cùm congregati eſſent Principes Sacerdotum, & conſilium facerent, tunc abiit Judas.* Nihilominùs opinatur Chryſoſtomus, referri ad tempus, quo Judas murmurans contra Magdalenam, illam irritabat: *Tunc*, inquit Hom. 81. *abiit, quando iſta locutus eſt: Ut quid perditio hæc? potuit enim unguentum iſtud venumdari multò.* Quando irritabat ob pium & ſanctum opus Magdalenam, *Tunc* deteſtatur eum: *Tunc* permittit, ut præcipitet ſe in peccatum tam execrabile, quale erat proditio unius Dei: & *Tunc* dereliquit penitùs Judam: *Tunc, quando iſta locutus eſt.* Faxit Deus, ne idem contingat vobis, Irritatores; unde ſi adhuc vobis animi ſenſus eſt, ſapite exemplo hujus Apoſtatæ: & attendite, ne, dum proximum irritando, partem agitis diaboli: Deus non minùs vos odio habeat, quàm diabolum.

Matth. 26. 14.

S. Anſelmus.

S. Chryſoſtomus.

Verſ. 10.

XV. 1. Reg. 10. 27. Saul à Samuele ungitur in Regem: datis ac ſuccedentibus ſignis prophetat inter Prophetas: acclamantibus omnibus: Vivat Rex, *Filii Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera; ille verò diſſimulabat ſe audire.* Loco *Filii Belial*, legit Chaldæus: *Filii improbitatis*; Septuaginta *Filii peſtilentes*; Lyranus: *Filii ſine profectu*; tituli convenientes, & proportionati irritatoribus; *Filii improbitatis* ſunt, quia ſemper ſunt iniqua irritantium opera; *Filii peſtilentes*, quia linguâ ſuâ inficiunt irritatos; *Filii ſine profectu*, quia nullam dant ſpem emendationis; in ſumma, *Filii Belial*, filii ſatanæ, quia cooperatores

1. Reg. 10. 27.

Chaldæus.

Septuaginta.

Lyranus.

res ſunt diaboli, & diabolica eſt eorum profeſſio: quia artem irritandi ab alio non didicerunt, quàm à ſatana, primo irritatore, quem mundus vidit; & ideò, inquit Lyranus, *Dicuntur filii Belial: id eſt, filii diaboli.* Proindè ergò, Irritatores, non minùs deteſtatur vos Deus, quàm diabolum: & ſicut irreparabilis eſt illius ruina, ita quaſi irremiſſibilis redditur culpa irritantium, ob multitudinem animarum, quas damnant. Videat ergò unuſquiſque, num reus ſit hujus quarti peccati Alieni, ſcilicet irritationis: & dicat cum Davide: *Ab Alienis parce ſervo tuo.* Videat quòque unuſquiſque, ne provocanti & irritanti conſentiat; quod fiet, ſi in ipſo ſit charitas: quia *Charitas non irritatur*; undè rectè D. Chryſoſtomus Hom. 88. in Matth. poſt medium: *Sed, inquies, valde me irritavit: quid eſt hoc? Tunc enim maximè oportet philoſophari: nam, quando non irritantur, feras manſuetas eſſe videmus: non enim ſemper furore eas ferri cernimus, ſed quando concitantur.* Quare ſi tunc tantùm quieſcimus, quando nemo irritat, in quo belluis præſtabimus? Sit ergò in nobis charitas, quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, omnia obtinet. Amen, amen. 1. Cor. 13.

FERIA VI. DOMINICÆ II. ADVENTUS

De Irritatione, quarto Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Si irritatores hominum odibiles ſint, magis execrabiles ſunt irritatores Dei. Hi ſunt, qui Deum in domo ſua irritant; quæ irritatio, eſt omnium peſſima. Irritant autem, quando committunt grande ſcelus, & Deum non timent, ſed, quaſi punire non valentem, contemnunt. Oſtenditur, quomodò hodie à Chriſtianis irritetur Deus in templo ſancto ſuo. An impunè? non ſic impii, non ſic.

I. IRritatores, iterùm dico vobis, & audacter dico: Vos de Synagoga ſatanæ eſtis, inſtitores, & coadjutores ejus fideliſſimi; tali vos titulo herì dignatus eſt David, dum irritantibus Principibus ſuis dicebat: *Cur efficimini mihi hodie in ſatan?* Indignemini mihi, ut vultis, quòd tam crudè loquar: ſi Salvator noſter Apoſtolorum Principem ſatanam vocet ob unam irritationem (ſi tamen irritationem) quidni ego vos de Synagoga ſatanæ dicam, ſignanter cùm irritatio per excellentiam dicatur *Peccatum diabolicum*? Niſi fortè malletis ob ſerpentinam veſtram malitiam, cum primo irritatore, quem mundus vidit, ſerpentes dici: de quo Gen. 3. *Sed & ſerpens erat callidior.* Gen. 3.

Quid.

Quidquid ſit, ſive vos de Synago-
ga ſatanæ dixero, ſive inſtitores &
coadjutores ejus, ſive filios Belial,
ſive filios peſtilentes, hoc tamquàm
certum dico, quòd non minùs vos,
quàm diabolum deteſtetur Deus.
NN. ſi tam odibiles Deo irritatores
hominum, quàm odibiles & exe-
crabiles ſunt, irritatores Dei? Ca-
vebo mihi de ſimilibus loqui, niſi
factâ prius Dei Matri ſolitâ ſaluta-
tione. *Ave Maria.*

II. Si diabolicum eſt, hominem
ad malum irritare, diaboliciſſimum
eſt, Deum irritare. Primus Dei
irritator diabolus fuit, dum in do-
mo ejus, in cœlo ſcilicet, auſus eſt
Iſaiæ 14. 13. dicere in corde ſuo: *In cœlum con-
ſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo
ſolium meum, &c. ſimilis ero Al-
tiſſimo*; ſicque irritatione ſuâ traxit
tertiam partem ſtellarum. In terris
inſtitores ſuos habet diabolus, qui
Deum in domo ſua irritant; illa ir-
ritatio eſt omnium peſſima. Scitis,
quid ſit irritare Deum? Deum ir-
ritare, eſt, quando quis commit-
tit grande ſcelus, & Deum non
timet, ſed, quaſi punire non va-
lentem, contemnit, & omnia ad
eum irritandum facit. Quomodò
ab hominibus non irritatur indies,
Deus in templo ſancto ſuo? Uti-
nam omnes irritatores ejus hîc præ-
ſentes forent, & intelligerent,
quid ſit, Deum in domo ſua irri-
tare. Vos NN. attendite: referre
poteritis ea, quæ de illis irritatori-
bus dicturus ſum. Incipio.

III. Pſalm. 105. 6. Deſcribens
David, quomodò filii Iſraël irrita-
verint Deum in deſerto, eum al-
Pſalm. 105. 6. loquitur: *Peccavimus cum Patri-
bus noſtris, injuſtè egimus, iniqui-
tatem fecimus.* Dic, obſecro Da-
vid, quid fecerunt Patres veſtri?
Effare, non erit detractio: *Patres* Verſ. 7.
*noſtri in Ægypto non intellexerunt
mirabilia tua: non fuerunt memo-
res multitudinis miſericordiæ tuæ.
Et irritaverunt aſcendentes in mare,* Verſ. 8.
mare rubrum. Concupierunt concu- Verſ. 14.
*piſcentiam in deſerto, & tentave-
runt Deum in inaquoſo. Irritaverunt* Verſ. 29.
*eum in adinventionibus ſuis, &
multiplicata eſt in eis ruina. Irrita-* Verſ. 32.
verunt eum ad aquas contradictionis.
Et quod maximum eſt, eò pervenit
irritatio eorum, ut in Oreb fecerint
vitulum aureum, & illum tamquàm
Deum adoraverint: *Fecerunt vi-
tulum in Oreb, & adoraverunt* Verſ. 19.
ſculptile. Ne fruſtra quis putet no-
men loci hîc eſſe additum, audien-
dus Agellius: *Cum Emphaſi addi-
tum eſt loci nomen, ut indicet, eo* Agellius.
*ipſo loco idolum fabricatos ubi nuper
audierant nomen Domini, & ubi
legem acceperant, in cujus initio in-
terdictum fuerat, ne ſimilitudinem
illam ſibi adorandam facerent.* Ubi
adorant vitulum? *In Oreb.* In O-
reb? In loco tam ſancto? In loco,
in quo Deus eis ſe tam munificum
præbuit? Verè hoc eſt Deum irritare.
Si alibi adoraſſent, ſenſibile qui-
dem: ſed in Oreb, intolerabile.
NN. ubi modò maximè offenditur
Deus? *In Oreb*: in templo, ubi
per Baptiſmum Deo & gloriæ re-
nati ſumus: in templo, ubi prædi-
catur nobis lex divina, Ibi, ibi
tranſgredimur ipſam legem: in
templo, in quo cibamur Mannâ
cœleſti, Pane Angelorum, Carne
& Sanguine Filii Dei, ibi inhia-
mus

mus carnibus humanis: in templo, in quo effundit ſe Deus, & innumeris nos cumulat beneficiis, ibi multis eum afficimus injuriis. O irritationem!

IV. Dicite, quæſo: Cur Ezechielis 2. filii Iſraël vocentur *Domus exaſperans*, irritans? Mandat Deus Prophetæ, ut intrepidè arguat re-
Ezech.2. 3. belles filios Iſraël: *Fili hominis, mitto ego te ad filios Iſraël, ad Gen-*
Verſ.4. 5. *tes apoſtatrices. Filii durâ facie, & indomabili corde ſunt, ad quos ego mitto te, &c. quoniam domus ex-*
Verſ.6. *aſperans eſt. Tu ergò, Fili hominis, ne timeas eos, quia domus exaſpe-*
Verſ.7. *rans eſt: loquèris ergò verba mea ad eos, ſi fortè audiant, & quieſcant: quoniam irritatores ſunt.* Dicat hîc aliquis, in quo illa exaſperatio, & irritatio conſiſtat? Non eſt, quòd ſe homo immiſceat, ubi Deum habemus loquentem Cap.8. Spiritu rapto in Jeruſalem, oſtendit Deus Prophetæ idololatrias, quæ fiebant
Ezech.8.9. in templo: *Vide*, inquit, *abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hîc.* Nota *Hîc*: circumſtantia eſt aggravans: parùm antè dixerat:
Verſ.6. *Fili hominis, putaſne vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſraël facit* Hîc, *ut procul recedam à ſanctuario meo?* Si videres abominationes, quæ fiunt *Hîc*, in templo hoc, expalleſceres: non enim alium ob finem hæc faciunt, niſi ut expellant me de domo mea: *Ut procul recedam à ſanctuario meo.* Domine, inquit Propheta, quid faciunt ergò? Tolle ligonem, & fode parietem, *Et videbis abominationes peſſimas, quas iſti faciunt.* Fodit Propheta, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium, abominatio, & univerſa idola domûs Iſraël depicta erant in pariete, in circuitu per totum: & ſeptuaginta viri de ſenioribus domûs Iſraël, habentes thuribulum, incenſantes animalia iſta immunda; undè ait: *Certè vides*, Verſ.12.
Fili hominis, quid ſeniores domûs Iſraël faciunt in tenebris: quia ſub pallio tenebrarum, & prætextu quòd non videantur, adorant, immunda animalia ſenſualium appetituum, incenſum dant ſerpentibus laſciviæ, & committunt *Hîc* illas infamias, & abominationes, quas de die puderet committere in plateis. Itane, Domine? Talia in domo tua? Necdum finis Ezechiel: Fode, fode parietem, & intra profundiùs: videbis abominationes majores. Introductus ſum per oſtium portæ domûs Domini, ibi *Mulieres ſedebant, plangentes Adonidem.* Et dixit ad me: *Adhuc converſus videbis abominationes majores his*; & vidi, & erant, *Quaſi viginti quinque viri habentes* Verſ.16.
dorſa contra templum Domini. Quid videtur tibi, Propheta, de hoc populo? *Numquid leve eſt, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hîc? Replentes terram iniqui-*
tate, converſi ſunt ad irritandum Verſ.17.
me. Sic eſt NN. & vos ipſi judicate, an poſſit dari irritatio major. Quod hi ſenes, habentes barbam canam, conſcientiam nigram, dignitate conſpicui, ſenſualium appetituum moribus infames, in cubiculis & domibus ſuis immunda animalia adorent, abominabile nimis eſt: ſed quòd *Hic* in domo ſua offendatur,

datur, & contemnatur Deus, irritatio eſt intolerabilis. Quòd mulieres non plangant Adonades mortuos, ſed ſuſpirent, gemant, quærantque vivos, in conviviis, tripudiis, jocis, malum eſt: quòd alliciant in locis publicis, in plateis, quòdque ibi nugentur, jocentur, quòd obtutibus, nutibus, ludatur, ſalutationes fiant, aliæque committantur illecebræ, malum eſt, & occaſio multorum malorum; ſed quòd Chriſtiani *Hîc*, in Eccleſia, pejora faciant, quàm in domibus, imò de domo miſericordiæ faciant domum iniquitatis, ſi hoc non ſit irritare Deum, non capio. Peto, cur Deus voluerit ſibi ædificari templa?

V. Exod. 25. Mandat Deus Moyſi: *Facies propitiatorium ex auro puriſſimo.* Propitiatorium tabernaculum fuit, de quo Deus Sacerdotibus ac populo miſericorditer reſponſa dabat; & hinc propitiatorium, hoc eſt, locum propitiationis, & gratiarum illud voluit nuncupari. Oleaſter audet Deum deſuper interrogare: Domine, inquit, propitiatorium erigi voluiſti, in quo habitans, peccatoribus miſericordiam præſtares: cur non etiam domum, in qua juſtitiam adminiſtrares, conſtrui præcepiſti? Parcere debes, & punire: ſit propitiatorium, ſit locus veniæ: ſed conſtituatur etiam locus punitionis: ille, locus miſericordiæ, hic, juſtitiæ appelletur. Domum juſtitiæ extrui nolo, inquit Deus: ſed domum propriam Deo, domum clementiæ, veniæ, & pietatis. Hoc acutiſſimè obſervavit Oleaſter in hunc locum: *Nuſquam legimus Deum in hoc mundo inſtituiſſe domum juſtitiæ, quâ peccatores puniret: ſed cùm ſit clemens, quâ peccatis noſtris propitiaretur, domum propitiatorii inſtituit: ſed non unicam, ſed penè infinitas; quot enim ſunt Eccleſiæ, tot ſunt propitiatoria.* In lege veteri domum clementiæ & pietatis extrui juſſit Dominus, ſed unicam tantùm: modò quaſi infinitas. NN. dum videtis Deum tot conſtruere propitiatoria, quot ſunt Eccleſiæ, nullum autem locum juſtitiæ, numquid miramini videre malitiam hominum ita Deum irritantium, ut de propitiatorio, de domo miſericordiæ, domum faciant juſtitiæ? De domo Dei, domum iniquitatis? Non eſt ab herì, aut nudius-tertiùs, quòd homines ſic tractent, & irritent Deum.

Exodi 25. 17.

Oleaſter.

VI. Gen. 28. 19. Tendens Jacob in Meſopotamiam, venit ad quemdam locum: cùmque in eo vellet quieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo dormivit in eodem loco: viditque in ſomnis ſcalam, & Dominum innixum ſcalæ illi loquentem. Cùm evigilâſſet Jacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto; ſurgenſque manè, tulit lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper: *Appellavitque nomen urbis, Bethel, quæ priùs Luſa vocabatur.* Septuaginta legunt: *Et vocavit nomen loci illius domus Dei*; & benè: quia talis eſt locus orationis: ſi tamen quis volvat & revolvat ſacra volumina, reperiet locum illum poſteà *Bethaven* dictum; ita

Gen. 28. 19.

Septuaginta

Oſeæ 4. 15. ita Oſeæ 4. 15. *Nolite ingredi in Galgala; ne aſcenderitis in Bethaven.* Cap. 5. 8. *Ululate in Bethaven.* Cap. 10. 5. *Vaccas Bethaven*: pro *Bethel.* Docet D. Hieronymus in Caput 4. Oſeæ, *Bethaven* interpretari *Domum vanitatis* : *Domum iniquitatis*. Quomodò *Bethel de domo Dei* mutata eſt *in domum iniquitatis*? In Bethel erexit Jeroboam vitulum, quem ibi adorabat populus 3. Reg. 12. & ideò, inquit Hieronymus: *Bethel, quæ prius, vocabatur domus Dei, poſtquàm in ea vituli poſiti ſunt, Bethaven dicta eſt.* Dum creaturam in templo magìs quàm Deum honoratis, dum corporis genu Deo, cordis autem diabolo flectitis, de *Bethel Bethaven* facitis: de domo Dei, domum iniquitatis. Si hoc non ſit irritare Deum, doceat me aliquis, quid ſit illum irritare.

Cap. 5. 8. Cap. 10. 5. S. Hieronymus. 3. Reg. 12. S. Hieronymus.

VII. Noluit Deus primariò Eccleſias erigi ad gloriam ſuam, ſed ad utilitatem noſtram: nihil enim accreſcit ei per columnas marmoroas, luminaria argentea, altaria pretioſa: & non minùs foret nunc beatus ſine templis & altaribus, quàm erat ab æterno ſine mundo & adoratoribus: *Deus, qui fecit omnia, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo.* Præcipuum quod intendit, eſt, ut habeat in terra locum, in quo effundat in nos, clementiæ ſuæ theſauros, noſque benignè aſpiciat; ut Salomoni proteſtatus eſt 2. Paral. 7. 15. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erecta ad orationem ejus, qui in iſto loco oraverit; & propitius ero peccatis eorum.* Si nos de loco benedictionis faciamus locum maledictionis, ubi Divinam clementiam ſperare, quærere, & invenire poterimus? Si Deum in Eccleſia irritemus, & provocemus ad iracundiam, *Super quo propitius tibi eſſe potero?* petit Deus ipſe Jeremiæ 5. 7. Jerem. 5. 7.

Act. 17. 24. 2. Paral. 7. 15.

VIII. Reviviſcunt hodie tempora Salomonis; collocaverat ille ad inſtantiam ſuarum uxorum idola in monte Oliveti 3. Reg. 11. 7. undè mons ille, qui antè dicebatur *Mons unctionis*, dictus eſt 3. Reg. 11. 7. poſteà *Mons offenſionis*, mons 4. Reg. 23. 13. ſcandali. Utinam Eccleſiæ Dei, quæ primis temporibus fuerunt ditiſſimæ officinæ pretioſorum unguentorum noſtrarum ſpiritualium plagarum, non eſſent modò amplius non *Montes unctionis*, ſed *Offenſionis*, undè illi irritatores Dei, malitiâ ſuâ plus ſumunt toxici, quàm ſalutis! Cogor cum Salviano ab illis petere: *Quid prodeſt* Salvianus Lib. *antidotum, cui ſuperreffunditur ve-* 5. de Provid. *nenum?* Quid vobis ſerviunt preces, & ſacrificia, ſi contaminetis ea actionibus profanis? Quid prodeſſe poſſunt Caro & Sanguis Chriſti, ſi in domo ejus non ſerviatis niſi carni & ſanguini? Quàm pauci hodie templo egredientes, dicere poſſunt cum Davide: *Suſcepimus,* Pſalm 47. 10. *Deus miſericordiam tuam in medio templi tui!* Undè meritò ingemiſcens, ait Chryſoſtomus, hinc ſubverſa eſſe omnia: *Hinc perierunt omnia, quoniam ex templo, quo maximè Deus erat placandus, eo magìs irritato diſcedimus.* Eſtne poſſibile? Ex omnibus locis unicum

 cum

cum ſibi reſervat Deus, in quo honoretur ab homine: & ibi ab illo irritatur, & inhonoratur.

IX. Scimus Doctorem Gentium dilecto ſuo Timotheo Epiſtolam dediſſe, quâ ſcribit, omnem locum eſſe commodum, ad dandum Deo debitum devotionis tributum: *Volo viros orare in omni loco.* 1. Timot. 2. 8. ideòque Paulum, ut rectè Chryſo. Hom. 3. in Gen. oráſſe in carcere: Ezechiam in lecto: Latronem in cruce: Jeremiam in ciſterna ſeu lacu lutoſo: Danielem in lacu leonum: Jonam in ventre Piſcis: Moyſem in littore. Deum novimus ubique præſentem, in plateis, domibus, campis, & quocumque alio in loco ſive ſacro, ſive prophano, nobili, & quantumcumque vili: attamen noluit Deus nos obligare, ad recognoſcendum hanc ſuam præſentiam cultu æquali, & obſequio pari: quia foret illa obligatio, attentis multiplicibus negotiis, occupationibus, diſtractionibus, quibus ſubjicitur vita humana, ſi non inobſervabilis, ſaltem gravis; ſuffecit illi, ut omni loco abſtineremus ab ejus offenſa; quod tamen Deus non præcipit in omni loco, præcipit ſaltem in uno, ſcilicet templo, quod ſemper ſibi elegit in domum: *Elegi locum iſtum mihi in domum:* undè *Propitiatorium* dici voluit; & etiam lege humanâ cautum eſt, ut homines in templo gauderent ſpecialibus privilegiis, exemptionibus, ſecuritate eſſetque in locum refugii: ut rectè D. Thomas 2. 2. Q. 81. Art. 7. & Q. 84. Art. 3. Hoc poſito modò argumentemur: Si Deus ex omnibus locis, quæ ſuâ immenſitate implet, ſolùm templum in ſui cultum elegerit, cæteris omnibus noſtro ſervitio relictis; numquid infamia, & dedecus eſt, quòd ne illo quidem in loco dignemur eum honore debito? Concedit loca omnia, mundum totum, ad negotiandum, nugandum, ludendum, oblectandum ad placitum noſtrum: cur ſaltem non parcimus Eccleſiis? Hinc Apoſtolus invehebatur in Corinthios: *Numquid domos non habetis? Aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Quaſi diceret & nobis: Si converſari, garrire, &c. cupitis, *Numquid domos non habetis?* Si velitis diſcurrere de novis, de gazulis, relationibus, numquid plateas non habetis? Si de negotiis agere cupitis, numquid officinas non habetis? Si libidini indulgere cupitis, numquid lupanaria vobis non ſunt? *Numquid domos non habetis? Aut Eccleſiam Dei contemnitis? Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto!* In omni natione jure Gentium domus ſua unicuique tutiſſimum refugium, ac receptaculum eſt; templum omni malefactori, latroni, adultero in locum refugii eſt, & immunitatis: & Deo non eſt? Etiam Deum perſequitur homo uſque in domum ſuam? Ad ipſum uſque altare, ſcamnum Communionis, uſque ad thronum Majeſtatis, & gloriæ ejus? Non erit ergò Deo parvus angulus, in quo ſecurus ab hominum perſecutione? Celebris ille Prodigus contaminabat quidem famam ſuam vivendo luxurioſè, tamen patri ſuo tantùm detulit, ut

2. Paral 7. 12.

D. Thomas.

1. Cor. 11. 22.

Pſalm. 73. 3.

L. Pleriq. ff. de In jus vocando.

tam.

tam infames exceſſus in domo paterna committere auſus non ſit, ſed *Profectus eſt in regionem longinquam;* & diſſolutos juvenes ſeculi noſtri non pudet, committere nefanda in ipſis oculis Dei, nec ſibi porcile quærere diſtans à domo Dei, ſed ipſam domum ejus mutant in porcile.

Lucæ 15. 13.

X. Scimus perfidum Abſalonem eò perfidiæ deveniſſe, ut patri ſuo bellum indicere, eumque regno privare non ſit reveritus: ſic ut David, & univerſa domus ejus fugæ ſe dederint, curâ domûs Regiæ relictâ decem mulieribus concubinis: *Egreſſus eſt ergò & univerſa domus ejus pedibus ſuis: & reliquit Rex decem mulieres concubinas ad cuſtodiendam domum.* Sed quid hæ imbelles contra Abſalonem, quem toto corde ſequitur univerſus Iſraël? Indubiè invadet aulam Regiam, & Regis ſolium occupabit. Ad hoc reſpondeat D. Joannes Chryſoſt. Hom. in Pſal. 5. *Regiam tenendam dedit rebelli filio, ut cùm videret domum, in qua creatus, & educatus fuerat, & patris ſigna, ad pœnitentiam veniret.* Subjungit rationem: *Si enim non fuiſſet immanis beſtia, vel cor habuiſſet lapideū, omnia illa ſufficiebant ad illum reducendum: menſa, cujus cum patre erat particeps: domus, ſedilia, ubi eum verbo reconciliavit, cùm fratris cædem feciſſet.* Dic mihi, Chriſtiane: Quanta, & qualia beneficia recepiſti in domo Dei? Numquid in illa regeneratus es aquâ Baptiſmatis? Nunquid ſacro unctus Criſmate, & contra furias infernales armatus? Nunquid ibidem centies cœleſti Mannâ paſtus, & ibi millies dimiſſa ſunt tibi peccata tua? Ibi percepiſti rudimenta fidei, ſine qua ſalvus eſſe non poteras; ibi audiſti verbum Dei; ibi manifeſtata tibi ſunt alta myſteria, & profundiſſima Sacramenta; ibi pro te toties oblata Agni immaculati Hoſtia; & tu audes in aula Dei, ſummo illi Monarchæ non ſolùm inferre injuriam, ſed perfido Abſalone perfidior factus, irritare eum, ea exercendo, quæ vix auderes in foro publico? Si non eſſes vel immanis beſtia, vel cor haberes lapideum, hæc omnia ſufficiebant ad te reducendum. Audi, quid Eccleſiæ Doctor Ambroſius dicat: & dum audis, erubeſce.

2.Reg.15. 16.

S. Chryſoſt. Hom. in Pſ. 5.

XI. Erant fideles in ſummo ſilentio & devotione in Eccleſia orantes; in vicina autem palude coaxantes ranæ, non parùm interturbabant orantium preces; quidam Dei famulus zelo plenus, in nomine Domini mandat ranis, ut ſubticerent: & ecce, tacebant illicò. Do verba Ambroſii Lib. 3. Virg. *Cùm plurima ranarum murmura religioſa auribus plebis obſtrepant, contigit, Sacerdotem Dei præcepiſſe, ut conticerent, ac reverentiam ſacræ deferrent orationi; tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieviſſe.* Jam te D. Ambroſius alloquitur Irritator Dei: *Silent paludes, homines non tacebunt? Animal per reverentiam recognoſcit, quòd per naturam ignorat.* Expectatis à me, ut in medium producam D. Franciſci animal, quod ante SS. Sacramentum genua flexit? Aut cervum, cujus meminit Sophronius, ad Domini altare inclinantem ſe; ſic Creatorem ſuum quaſi adorantem? O Deus! Animalia ex natura garrula ad vocem ſervi Dei obmuteſcunt, *Et per reverentiam recognoſcunt, quod per naturam ignorant.* Silent paludes,

D. Ambroſius.

ludes, & homines non ſilebunt? Bruta Deum reverentur, & Chriſtiani Deo in domo ejus injuriam inferunt, eumque irritant? O irritatores quomodò benignus Pater deplorans deplorat irritationem veſtram!

Ieremiæ 11. 15. XII. Jeremiæ 11. *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Quaſi diceret: Quòd Gentiles, & Turcæ templa mea contaminent, quòd Eccleſias meas Hæretici violent, doleo quidem graviter: ſed alleviatur aliquatenùs dolor, quòd inimici mei ſint; ſed quòd *Dilectus meus*, dilectus populus Chriſtianus, meo emptus Sanguine, *in domo mea*, in mea Eccleſia, quam ego ipſe ſpecialiter præſentiâ Sacramentali inhabito, eò deveniat, ut me ibidem irritet, committendo in illa *ſcelera multa*, hoc transfigit cor meum. Sed quænam obſecro, illa *Scelera multa*? Dicit ipſe Salvator

Matt. 21. 13. in Evangelio: *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Scelera illa, latrocinia ſunt, rapinæ ſunt, quæ à populo meo committuntur in domo mea. Mundum ſpeluncam eſſe latronum, mare terramque latrociniis abundare, ſcio: in viis & compitis, in officinis & nundinis, in diverſoriis, furta committi, non ignoro: ſed fures & latrones in templis Dei, reperiri quis credet? Et tamen ſic eſt. Ibi nugamenta, furantur à labiis orationes: riſus, ab oculis lacrymas: dorſa, ab altaribus facies: ornata capita avertunt aſpectum à Chriſti ſpinato capite: devotio abigitur ab immodeſtia, omniſque pietas tollitur per diſſolutiones, quæ reddunt

1. Reg. 2. 18. Eccleſias *Speluncas latronum.* Fures ſunt, qui cum filiis Heli (quorum erat peccatum grande nimis coram Domino) retrahunt homines à ſacrificio Domini, garrulitatibus ſuis impedientes orantium preces; latrones ſunt qui inter templum & altare occidunt Zachariam, qui *Memoria Domini* interpretatur, in Eccleſiâ Dei, domeſtica negotia, ſi non pejora, meditantes, dum ſoli Deo vacare oporteret; illi, illi, fures, & latrones ſunt animarum. Similes fures & latrones faciunt de domo Dei *Speluncam latronum.* Sed ne ab illis latronibus diſcedamus, obſervanda eſt illa ſpeluncæ Metaphora: *Speluncam latronum.* Qualis Analogia, qualis ſimilitudo inter Eccleſiam Chriſtianorum, & ſpeluncam latronum? Notate. Latrones ſuis egreſſi ſpecubus, viatores aggreſſi, ut commodiùs eos ſpolient, & abſque timore deprædentur, in ſuas illos trahunt ſpeluncas: ergò in ſpeluncis committunt latrocinia, quæ timent committere in viis publicis. O impii profanatores! ô Dei irritatores! In domo Dei audetis, quæ puderet exercere in plateis? Sic inhonoratis Deum, ut etiam domui ejus non parcatis? Imò ut non ſolùm ipſi peccetis, ſed & alios ad inhonorandum Deum provocetis? Ut non ſolùm irritetis Deum, ſed ſcandalis veſtris etiam alios Dei irritatores faciatis? Oſtenditis vos eſſe de numero illorum, de quibus loquitur Deus

XIII. Jeremiæ 7. *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua invocatum eſt nomen meum, ut polluerent eam.* Ieremiæ 7. 3 Ponunt offendicula in domo Dei, qui expandunt retia ad capiendas animas. O ſancta Caſtitas! Si ne quidem

dem in domo Dei poſſes eſſe ſecura, ubi eris? Fugis feneſtras, ne patiaris ruinam ab impuris tranſeuntium oculis: fugis plateas, ne offendas ad lapidem pedem tuum: fugis comœdias, ne patiaris periculum ab aſpectu repræſentationum impudicarum: fugis conſortia, ne pereas in illis: & interim impingis in ſcopulos in domo Dei: ſubmergeris in portu. Irritatores Dei, ponentes offendicula in domo ejus aucupes animarum, ſi non inſurdeſcatis in aure cordis, audite vobis minitantem Deum.

XIV. Oſeæ 5. *Attendite domus*
Oſeæ 5. 1. *Iſraël, & domus Regis auſcultate: quia vobis judicium eſt.* Audite omnes, ſignanter Nobiles, qui in hoc maximè delinquitis: *Vobis judicium eſt*; ex nunc condemnavit vos Deus, ut tradamini in manus inimicorum veſtrorum. Cur, Domine, ita illis iraſceris? *Quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor.* Textus Hebraicus loco *Speculationi*, ponit, *Maſphat*: undè legit major pars hebraizantium: *Quoniam laqueus facti eſtis in Maſphat, & rete expanſum ſuper Thabor.* Erant Maſphat, & Thabor, duo montes ſancti, & Deo conſecrati; Maſphat enim erat vicinus Silo, ubi longo tempore ſtetit tabernaculum, & Arca Dei; ibi habitaverat multis annis Propheta Samuel; in Maſphat convenerunt filii Iſraël, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini dicentes: Peccavimus Domino, reconciliati ſunt Deo offenſo propter idololatriam; ibi implorârunt Dei opem Machabæi, perſequente
1. Mach 3 46. eos Antiocho: *Quia locus orationis erat in Maſphat, ante in Iſraël.* Similiter mons Thabor, habitus ſemper eſt ſanctus; ibi Regius Sacerdos Melchiſedech obviàm habuit Abraham, ex bello reducem, devictis quatuor Regibus; ibi obtulit celeberrimum ſacrificium panis & vini, figurativum ſacrificii Euchariſtici. Huic monti videtur Deus tribuiſſe primatum præ aliis montibus, teſtante Jeremiâ: *Sicut Thabor in montibus*: Ieremiæ 46.
& ideò fortè electus à Chriſto pro 18.
myſterio Transfigurationis, *Dum* Matth. 17. 2.
reſplenduit facies ejus ſicut ſol. Minatur ergò Deus populo ſuo ruinam, & judicium: *Judicium vobis eſt*; quaſi diceret: Vos temerarii, tenditis laqueos veſtros in Maſphat, & expanditis retia veſtra in Thabor? Non ſufficiunt vobis tot montes, tot prata, ubi tendatis retia veſtra & laqueos, ubi erigatis idola veſtra, ubi ſacrificetis, ſaltetis, & inebrietis vos, ut etiam laqueos & retia veſtra tendatis in montibus ſanctis, ibique irritetis me? *Judicium, Judicium vobis eſt.* Quòd impudicus laqueos tendat in domibus, quòd fraudulentus expandat retia malitiæ ſuæ, ut decipiat pauperem, in foro, aut officinis, malum eſt ſatis grave: digeri tamen utcumque poteſt; ſed in montibus meis, in locis ſanctis meis, in Eccleſia mea retia expandere? In templis meis laqueos tendere, *Ut* S. Greg. Naz.
animas venentur, ut inquit S. Greg. Naz. Orat. 1. vel ut Spiritus ſanctus:
Ad capiendas animas: hoc intolerabile Ezech. 13. 18.
eſt; hoc adeò Deum irritare eſt, ut ipſe diabolus id facere non ſit auſus;
Tentans enim Chriſtum Matt. 4. non Matt. 4. 6.
in templo, ſed ſupra pinnaculum templi poſuit eum, non audens adeò irritare Deum, ut pollueret domum ejus;

ejus; quod tamen audet homo. Hoc patietur Deus in domo ſua? Hoc ſuſtinebit in præſentia ſua? Non ſic, Irritatores Dei: non ſic, Iniqui: non ſic, Sacrilegi: non ſic, non ſic: ex nunc judicati eſtis: *Vobis, Vobis judicium eſt*; ſed quale judicium? Præleget illud vobis

XV. Iſaias Propheta, ex parte Dei, Cap. 26. 10. *In terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam meam.* (Iſaiæ 26. 10.) Doctor Mellifluus Melleus eſſe deſineret ad hæc verba, adeò ictus hoc fulmine, ut exclamet: *Comminatio valde terribilis!* (D. Bernardus.) Qui audet peccare in domo Dei, non videbit gloriam Dei. Viderit homo omnes Provincias, omnia regna, omnes comœdias, mundum univerſum, & quidquid in eo delectabile: quid ei hæc omnia proderunt, ſi tandem non videat gloriam Dei? Quidquid Creator creavit, & operatus eſt, totum ordinavit in hunc finem, nempè in æternam noſtram ſalutem; propter illam creavit hominem de nihilo: propter illam dedit illi Angelum in cuſtodem: propter illam deſcendit Filius Dei de cœlo, noſtram aſſumpſit naturam, ac natus eſt in ſtabulo: propter illam ſubjecit ſe opprobriis, & atrociſſimis tormentis: propter illam portas cœli aperuit: propter illam tot externa, & interna auxilia largitus eſt: & hæc omnia abibunt in ventum? Rependet homo beneficia tam immenſa, ingratitudine tam intolerabili? Serviet ergò Eccleſia, erecta ad honorandum Deum, ad irritandum eum? Eccleſia, à Deo ordinata ad plangenda peccata, & veniam impetrandam: Eccleſia, quæ eſt thronus Dei, in qua diſpenſantur gratiæ divinæ: Quæ eſt domus Dei, & porta cœli, malitiâ humanâ mutabitur in locum garrulitatis, & diſſolutionis? In domum laſciviæ, in tribunal caſtigationis, in portam inferni? Quiſquis hoc fecerit, *Non videbit gloriam Dei.* Sed hæc, æterna cùm ſint, fortè N. non multùm apprehendes; dico ergò ex parte Dei, quòd nec temporaneè abibis impunè.

XVI. Lucæ 19. Ingreſſurus Chriſtus Jeruſalem, *Videns civitatem, flevit ſuper illam dicens: Si cognoviſſes & tu, &c. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & in terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* (Lucæ 19. 41.) Enunciatâ hac civitatis hujus totali ruinâ, ingreſſus templum, *Ejecit omnes vendentes, & ementes*; ſic oſtendens, teſte D. Gregorio Hom. 39. in Evang. hæc omnia mala originem ducere ex irreverentia illata domui Dei. Do verba ejus: *Everſionem quippe deſcribens; ſed vendentes & ementes in templo, feriens, in ipſo effectu ſui operis oſtendit, undè radix prodiit perditionis.* Hinc bis tantùm legitur Agnus ille manſuetus in choleram datus: hîc, & Joannis 2. Qui etiam pro Crucifixoribus ſuis Patrem oravit, his irritatoribus non pepercit. Scatebat tunc Jeruſalem vitiis, palatia injuſtitiis, fraudibus officinæ, odiis & detractionibus domus: ſed in hos, aut ſimiles transgreſſores non ſumit Chriſtus flagellum; his autem irritatoribus non parcit, ſed de templo illos expellit; & meritò: quia non ſolùm de templo,

templo,ſed de Eccleſia Dei merentur expelli, imò vitâ privari, & regno. Vultis Regem privatum regno, derelictum à ſuis, à ſervis occiſum, Regiâ ſepulturâ indignum judicatum? 2. Paral. 24. 25. 26. talem habetis Joam, idque ob violatum templum Domini. Vultis à vermibus,de corpore impii ſcaturientibus, exeſum, ita ut ejus fœtore totus exercitus gravaretur? habetis Antiochum, profanatorem templi Jeroſolymitani. Habetis Nicanoris amputatum caput, & manum abſciſſam, quam extenderat ad domum ſanctam Omnipotentis Dei: manum, inquam,contra templum ſuſpenſam, linguam impii præciſam, particulatim avibus datam. Habetis Heliodorum, à Rege miſſum ad rapiendos theſauros templi, cui equus, terribilem habens ſeſſorem, cum impetu priores calces eliſit, à duobus juvenibus (qui Angeli putantur) flagellatum ad mortem: pro quo niſi oráſſet Onias Sacerdos, miſerè obijſſet. Habetis ſacrilegum Baltazarem, in quem divinæ iræ fulmina evibrata ſunt: ſed quando? An dum ſe vino inebriavit? An quando cum concubinis voluptabatur? Non: ſed quando auſu ſacrilego vaſa ſacra profanavit. Dan. 5. Quando *Biberunt in eis Rex, & Optimates ejus,in eadem nocte interfectus eſt Rex Baltazar.* Habetis ſexcentos alios, Dei vindictam expertos; ſed ne miremini, quia, teſtante Prophetâ Jeremiâ Cap. 21. 11. *Ultio Domini, ultio templi ſui.* Videtis protracta tot annis bella? *Ultio Domini, ultio templi ſui.* Videtis graſſari morbos funeſtos? *Ultio Domini, ultio templi ſui.* Videtis depauperari Patriam? *Ultio Domini, ultio templi ſui.* Non inquiratis aliam rationem præſentium calamitatum: iterùm dico cum D.Chryſoſt. *Hinc ſubverſa ſunt omnia: hinc perierunt omnia, quoniam ex templo, quo maximè Deus erat placandus, eò magis irritato, diſcedimus.* Auſim dicere: Niſi Chriſtus in incruento ſacrificio pro ſuis irritatoribus apud Patrem exorator exiſteret, plura adhuc nobis eventura forent mala,non minùs quàm dum cruentum obtulit ſacrificium.

2. Paral. 24. — 1.Mach.7.47. — 2.Mach 3.27. — 4 — Dan. 5. 30. — Jerem. 21.11 — D. Chryſoſt.

XVII. Lucæ 23. 34. Jeſus, in Cruce moriens, orat Patrem: *Pater, dimitte eis, non enim ſciunt, quid faciunt:* niſi oráſſet Filius, Pater tantas injurias in cruento illo ſacrificio perferre non potuiſſet. Ita ſimiliter indies in incruento: niſi Filius, qui principalis offerens, oraret pro irritatoribus iſtis, non diſſimularet Pater. Loquatur pro me D.Paſchaſius: *Chriſto totum debemus adſcribere, qui ſuas etiam injurias libenter remittit, & pro delinquentibus in ſe orat, ſicut priùs in Cruce fecerat: & ſe Patri offerendo idoneus exorator intervenit.* Undè nemo ſe decipiat; ſed ſi adhuc aures audiendi habeat, audiat Gentium Doctorem 1. Cor. 3. 17. *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.*

Lucæ 23. 34. — S. Paſchaſius. — 1 Cor. 3 17.

XVIII. Ergò Irritatores Dei, antequàm concludam, iterùm audite me: audite me, terga vertentes Deo: meliùs iterùm dixero: Audite Deum,qui parùm antè Ezechielis 8. locutus eſt vobis in illis 25. viris,qui dorſa vertebant altari: *Converſi ſunt ad irritandum me; ergò & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miſerebor: & cùm clamaverint ad me*

Ezech. 8. 17.

voce magnâ, non exaudiam eos. Quaſi dicere vellet: Propter peccata, quæ in contemptum templi mei committunt, ſum inexorabilis. S. Anaſtaſius, commiſeratione ductus, omnes irritatores illos alloquitur: Quid agis, homo irritator Dei? Sacerdos pro te offert ſacrificium incruentum, & tu ſpernis? Sacerdos tuâ causâ laborat, & altari adſtans deprecatur, ut Spiritûs ſancti gratiam ad ſe cœlitùs eliciat: & tu ſalutem non curas tuam? Aſſumit verba, quæ reſpondiſti Sacerdoti, dicenti tibi: *Surſum corda.* Nimirùm: *Habemus ad Dominum.* Et tunc proſequitur: *Quid verò adhuc reſpondemus: Habemus ad Dominum? Quid ais? Quid agis? Cujus mens corruptibilia, temporaliaque errans cogitat. De pecunia augenda, de voluptatibus, de perſequendis litibus ſollicitus es, & audes dicere: Habemus ad Dominũ? Vide, quæſo nunc, an animum ſurſum ad Deum habeas, an ad diabolum potiùs.* S. Anaſtaſius. Adhuc verbum addat D. Chryſoſt. S. Chryſoſt. *Neſcis, quòd cum Angelis ſtas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis: & ſtas ridens? Etenim non eſſet mirum, ſi fulmen dimitteretur; digna fulmine ſunt hæc.* Si hæc non te terreant, non habeo ultrà, quod dicam.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

De Adulatione ſeu laudatione, quinto Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Quintum Peccatum Alienum, quòd eſt *Adulatio*, ſeu *Laudatio*, contrahitur, ab eo, qui laudando vel adulando cauſa eſt, quòd quis vel in malo perſeveret, vel in bono extollatur, iſtius peccati commiſſi; vel extollentiæ in bono coram Deo reus. Unà oſtenditur, hos perniti oſos laudatores, tanquam diaboli cooperatores potentiſſimos, eſſe fugiendos.

I. Isaiæ 49. Oſtenſurus Deus amorem, quo in hominem ferebatur, Prophetam ſuum interrogat: Iſaiæ 49. 15. *Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui?* Poſſetne hoc mater facere? Non poſſet: *Etſi illa oblita fuerit, ego numquam obliviſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te;* & ut amori ejus fiderent magis, Cap. 66. Iſaiæ 66. 12. ſubdit: *Ad ubera mea portabimini: quomodò ſi cui mater blandiatur, & aduletur; ita & ego conſolabor vos.* Si umquam Deus ſe ut matrem præbuerit, præbuit per myſterium Incarnationis: quia in manibus nos deſcriptos habet per vulnera ſua, & ubera jam habet, quibus nos paſcat pretioſo Corpore & Sanguine ſuo in Euchariſtia. Meritò ergò per hoc ſacratiſſimum myſterium matri comparatur, ſicut enim mater, ut filium ab initio rectè inſtituat, ſæpiùs blanditur, adulatur, & laudat,

V. G.

V. G. Quàm bonus eſt iſte filius? Quàm pulcher eſt? Bene hoc feciſti, Fili mi, &c. & hoc ideò, ut prolem ad majora provocet facienda; ita Chriſtus Dominus blanditur Chriſtianis, eorumque benefacta laudat atque extollit, ut ad majora excitet:
Matt. 10. 42. V. G. pro calice aquæ frigidæ promittens regnum cœlorum. Item
Lucæ 22. 28. Lucæ 22. *Vos permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Non ſolùm ipſe, ſed & alios pios homines in Eccleſia conſtituit, qui hoc adulandi genere utantur in bono; quales ſunt Apoſtoli, qui ſuis concionibus & litteris, fideles adhortantur ad bonum, laudando ipſorum conſtantiam, ſinceri-
Gal. 4. 19. tatem, & modeſtiam. Ita Gal. 4. *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Sic eleëmoſynam ſibi miſſam, vocat ſacri-
Hebr. 13. 16. ficium Deo acceptum; ſic omnibus
1. Cor. 9. 22. omnia factus, Judæis & Gentibus, tamquàm pia mater, blanditus eſt, ut illos lucrifaciens, particeps eſſet bonorum aliorum. At contrà: diabolus, ut homines ad mala pertrahat, laudat peccatores, adulatur, & blanditur illis: neque ipſe ſolùm ſic abblanditur, verùm etiam alios excitat, qui tam in benefactis quàm malefactis omnia eorum geſta approbent atque ita in cauſa ſint, ut vel in malo ſuo glorientur & perſeverent, vel in bono ſuo extollantur, & ſic per ſuperbiam amittant, quod per bonum opus lucrati ſunt; & hoc facit diabolus, tum ut hominum ſalutem impediat, tum etiam ut alios hujus peccati reos faciat; undè quiſcumque laudando vel adulando cauſa eſt, quòd quis vel in malo perſeveret, vel in bono extollatur, reus eſt iſtius peccati commiſſi, vel extollentiæ in bono. De iſto pernicioſo laudatore, contrahente quintum peccatum Alienum, erit hodiernus Sermo: date mihi pro ſolita veſtra humanitate ſolitam audientiam: non blandiar. Incipio.

II. *Duo ſunt genera perſecutorum*, inquit M. P. Auguſtinus ſuper Pſal. 69. *Vituperantium, & adulantium.* S. Auguſtinus.
Vultis ſcire, à quibus maximè cavendum? DD. Ambroſius & Auguſtinus hoc meliùs me dixerint: *Plus perſequitur*, inquit Ambr. *Plus* S. Ambroſius.
nocet, inquit Auguſtinus, *lingua adulantium, quàm manus perſequentis.* Qui illos Laudatores novit, ut animæ peſtem perſequitur. Do unum, quem nôſtis ex nomine Pſ. 69. Rex David adeò eos abominatur, ut exclamet: *Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui di-* Pſal. 69. 4.
cunt mihi: Euge, Euge. Licèt David taceret, habemus Deum exhortantem nos Iſaiæ 3. *Popule meus, qui te* Iſaiæ 3. 12.
beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Sic eſt, inquit Auguſtinus: *Adulatores blandâ facie decipiunt animas audien-* Aug. tom. 4. de Salut. Documen. Cap. 6.
tium ſe, & perpetuæ mortis laqueis interimunt. Item Tom. 3. de Sententiis, Sent. 137. *Adulantium linguæ alligant* S. Auguſtinus.
homines in peccatis; delectat enim ea facere, in quibus non ſolùm metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur. Hinc D. Hieronymus Eccleſiæ Doctor Epiſt. 14. ad Celantiam, hortatur omnes, ut ſibi conſulant: *Adu-* S. Hieron.
latorum aſſentationes, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quaſdam animæ peſtes fuge. Nihil eſt enim, inquit, *quod tam facilè corrumpat mentes hominum: nihil, quod tam dulci & molli vulnere animam feriat.* Triſtem & infelicem Siſaræ mortem ſcitis.

 Judi-

III. Judicum 5. Siſara à Baruc in fugam datus, venit ad Jaël, & petit hauſtum aquæ: at illa: *Aquam petenti, lac dedit*, & mortem dedit. Video, necdum capitis, quò vergam: meliùs me dixerit Sapiens Prov. 1. *Fili mi, ſi te lactaverint, ne acquieſcas eis. Lactant autem peccatores*, inquit D. Gregorius, *cùm, vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata, favoribus extollunt*. Addit ſanctiſſimus Pontifex: *Unde fit, ut inceſſanter creſcat culpa, favoribus nutrita: vel delinquentes à miſero ſuo ſtatu non reſurgant*; & concludit: *Valde difficile eſt, ut is, quem poſt uſum mala conſuetudinis, etiam ad ultimum adulantium lingua excipiunt, à mentis ſuæ morte revocetur*. An putatis diabolum validiora arma habere, quibus animas impetat? Cavete vobis à lactantibus vos: dum lac dant, mortem dant: decipiunt vos, animam perdere volentes: utpotè inſtitores diaboli, non infimæ claſſis:

Judic 5. 15.

Prov. 1. 10.

S. Gregorius.

IV. Lucæ 4. Narrat ſacer Chroniſta, quomodò Jeſus, à Spiritu ductus in deſertum, quadrageſimali jejunio finito, tentatus fuerit à diabolo; concluditque narrationem his verbis: *Et conſummatâ omni tentatione, diabolus receſſit ab eo, uſque ad tempus*. Si quis ſcire deſideret, quale illud tempus, quo diabolus certamen reſumpſerit, & cum Chriſto *Aperto marte* in arenam deſcenderit, reſpondet D. Ambroſius in hæc verba: *Receſſit ab eo uſque ad tempus: quia poſteà non tentaturus, ſed apertè pugnaturus acceſſit*. Et D. Petrus Chryſol. Serm. 17. dicit hoc intelligendum de tempore, quo venit in regionem Geraſenorum, dum obviàm habuit legionem dæmoniorum, quæ cucurrit, & adoravit eum, & clamans voce magnâ, dixit: *Quid mihi, & tibi, Jeſu Fili Dei altiſſimi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas*. Miratur hic S. Pater hunc diaboli loquendi modum; undè enim interrogat: *Quid eſt, diabole, quòd eum, quem trinâ tentatione provocabas ad lapſum, & quem promiſſione regni, ut te adoraret, ambiebas, nunc contremiſcens prolaberis, & adoras?* Sibi reſpondet Chryſologus: *Ut adulator illum adorat: credit enim infelix, quòd eum, quem tentatione vincere, & muneribus nequivit inflectere, poſſit ſaltem adulatione pulſare*. Hâc aggreſſione voluit aſtutiſſimus dæmon oſtendere, ſe hoc belligerandi modo, adulando ſcilicet, reſarcire velle damna, quæ in deſerto, in monte, & pinnaculo à Chriſto paſſus fuerit: ut vel indè cognoſcatis, adulatores non ſolùm diaboli fideliſſimos, ſed & cooperatores eſſe potentiſſimos, in quorum lingua & corde, velut in centro, ſingulariſſimè ſibi complacet; aut ut vult D. Petrus Damianus Lib. 7. ad Secul. Princ. linguam adulatricem eſſe haud ſecùs ac aviculam quamdam, quæ viridantibus arborum ramis inſidens, dulciter canit: *Malignus ſpiritus velut avis in ramo arboris, ſic in lingua exponitur adulatoris*. Aut ut volunt alii: ſicut canoræ hirundines, quæ ad feneſtras nidificant, excluſis pullis, hieme appropinquante in exteras avolant regiones, domo ex ſtercore conſpurcatâ relictâ, ita laudatores illi, in quorum ore reſidet diabolus, *Per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium*; ficto ſuo amore, & ſimulato affectu con-

Lucæ 4. 13.

S. Amb. Lib 4. in Cap. 4. Lucæ.

Marc. 5. 7.

S. Chryſol. Serm. 17.

S. Dam. Opuſc. 50. Cap.

Rom 16. 18.

conſpurcant proximi conſcientiam, avellunt illum ab opere bono, removent à piis propoſitis, elongant à ſanctis conſortiis, alienant à devotione, retrahunt ab oratione: nauſeare faciunt Sacramenta, ſpernere verbum Dei, profanare loca ſacra: ſuadent bonos ducere dies, exhortantur ad delitias, invitant ad recreationes, ſtimulant ad voluptates, alliciunt ad impudicitias, excitant ad vindictam, & tandem ita fratrem ſuum conſpurcatum relinquunt, ut ſæpè oleat Marchiavelliſmum: auſim dicere Atheiſmum. Ne fugere videar ex pollice meo, quæ dico, habetis pro me loquentem Pſaltem Regium.

Pſalm. 10. 3. V. Pſalm. 10. 3. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, exacerbavit Dominum peccator.* Notate Ly *Quoniam.* Nec mirum, inquit
V. Beda in Lucam. Beda: *Quia ipſa peccati nutrix, adulatio; ſicut oleum flammis, ſic in culpa ardentibus ſolita eſt adminiſtrare fomentum*; & ideò *Exacerbavit Dominum peccator*: ſcilicet,
S. Bernardinus Senenſis. *Propter adulationem audaciùs peccando*: ut benè D. Bernardinus Senenſis. Quia dum homo in confectationem inordinatorum appetituum ſuorum, interiùs à ſenſualitate movetur, atque ab innato fomite ſtimulatur, incitaturque à dæmone, inſuper advenit, quod peccatum ipſius non tantùm toleretur, & excuſetur, verùm etiam deprædicetur, magìs, magìſque peccandi auſus augetur, ipſaque voluntas magìs pervertitur, omniſque evaneſcit conſcientiæ remorſus; ita ut exacerbet tandem Dominum peccato. NN. mei, quòd multi radicatum in corde odium, foveant ad annos multos, vindictam ſpirent, famam proximi dilacerent, impudicitiis & adulteriis inſordeſcant, unde hæc omnia, niſi ab illo diaboli laudatore? *Bene dixiſti: inſigniter egiſti partes tuas: oſtendis te virum eſſe*, &c. & neſcis, Adulator & laudator peſſime, hæc omnia ad computum tuum notari? Audi M. P. Auguſtinum ad verba Pſalmiſtæ Pſalm. 39. "*Si videbas furem,* S. Auguſtinus.
„*concurrebas ei; & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ne fortè diceres: Non feci furtum; Non feci adulterium; quid ſi placuit tibi, qui fecit? Nonne ipſo placito concurriſti? Nonne portionem tuam cum illo, qui fecit, laudando poſuiſti? Hoc eſt enim, Fratres, concurrere cum fure, & ponere cum adultero portionem tuam, quia etſi non facis, & laudas quod fit, aſtipulator es facti: quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicetur. Non facis mala, laudas mala facientes: hoc enim parvum malum eſt? Cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua amplexa eſt doloſitatem, malevolentiam: & doloſitatem, Fratres, quorumdam hominum dicit: qui per adulationem quamvis ſciant mala eſſe, quæ audiunt, ne offendant eos, à quibus audiunt, non ſolùm, non reprehendendo, ſed tacendo conſentiunt; parum eſt, quia non dicunt: Malè feciſti: ſed dicunt: Et benè feci-

„ſti: & nôrunt malum eſſe; ſed „abundat os eorum malitiâ, & „lingua eorum amplexatur doloſi„tatem. Doloſitas, eſt fraus quæ„dam in verbis, aliud promendi, „aliud ſentiendi. Non ait: Lingua „tua admiſit doloſitatem: aut: „Perpetravit doloſitatem: ſed, ut „oſtenderet tibi quandam delecta„tionem in ipſo malo facto, Am„plexa eſt, dixit. Parùm eſt, quia „facis, & delectaris: laudas in „promptu, irrides apud te. Præ„cipitas hominem incautè vitia ſua „proferentem, & an ſint vitia „neſcientem? tu, qui ſcis vitium „eſſe, non dicis corruiſſe illum. „Si illum videres ambulare incau„tum in tenebris, ubi tu puteum „eſſe ſcires, & taceres, qualis „eſſes? Nonne inimicus reputare„ris animæ ejus? Et tamen ſi in „puteum caderet, non animâ, ſed „corpore moreretur. Præcipitat ſe „in vitia ſua, prædicat apud te „mala facta ſua: tu nôſti mala „eſſe, & laudas, & irrides apud „te. O ſi convertatur aliquando ad „Deum ille, quem irrides, & quem „corrigere noluiſti, & dicat: Con„fundantur, qui dicunt mihi: Eu„ge, euge." Ita hactenùs Auguſtinus. Sed, proh dolor! Quoniam
S. Auguſtinus. laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, exacerbavit Dominũ peccator. Hinc fortè adulator, ſicut & magiſter ejus, cujus vices gerit, dicitur Antonomaſticè *Peccator*.

VI. Nôſtis, quis ille, de quo David Pſalm. 108. 2. dum dixit:
Pſalm. 108. 2. *Os peccatoris ſuper me apertum eſt?* Ipſe eſt Doëg armiger Saulis, adulator ſummus. 1. Reg. 21. & 22. 6. profugus David in Nobe, à facie Saulis, fame compulſus, panes ſanctificatos obtinet ab Abimelech, qui noverat Davidis innocentiam, & virum eum eſſe, ſecundùm cor Dei. Doëg adulator, ut placeret Regi, enarrat illi caſum, quomodò non ſolùm benignè, & affectu ſummo Abimelech excepiſſet Davidem, ſed cibos ei & arma ſubminiſtrâſſet, & conſuluiſſet oraculum contra Majeſtatem ſuam Regiam; indè exacerbatus Saul, juſſit trucidari Abimelech, & 84. Sacerdotes, & Nobe civitatem Sacerdotum percuti in ore gladii, viros & mulieres, parvulos & lactentes, bovemque & aſinum, & ovem in ore gladii; quò malitiæ numquam deveniſſet Saul, niſi hic adulator Saulem in deſideriis animæ ſuæ laudâſſet; undè etiam exacerbavit Dominum Saul. Et hinc vocatur Antonomaſticè Doëg *Peccator*, tamquàm omnium peccatorum eorum author. Quis improbabit, ſi hunc adulatorem, & ipſi ſimiles, etiam canibus comparem, qui dominis ſuis, à quibus alimenta percipiunt, caudâ ſuâ abblandiuntur, ſuoque, quo poſſunt modo, applaudunt? Video vos necdum *ſcire*, quò vergam.

1. Reg. 21. & 22. 6. — 1. Reg. 22. 9. — Verſ. 18. 19.

VII. Lucæ 16. 21. Erat quidam mendicus ulceribus plenus ad januam divitis, nomine Lazarus: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* D. Gregorius Hom. 40. Evang. per hæc ulcera, animæ noſtræ vulnera intelligit: *Adulatoribus vulnera noſtra lingere eſt, quod plerumque ſolent, etiam ipſa* Lucæ 16. 21. S. Gregorius.

ipſa mala, quæ nos in nobis reprehendimus, improbo favore laudare. Canes Lazari ulcera lingentes, Lazaro vitam dabant: adulatores autem lingentes animæ ulcera, mortem cauſant: lingit vulnera, qui laudat: lingit vulnera, qui benedicit aliquem in peccato; undè Bernardus de Interiori Domo Cap. 5. *Lingua dicitur, quia lingit:* lingit adulando, lingit laudando, ſed lingendo cruciat. Sed quid hos diabolicos laudatores canibus comparo? Meliùs eos ſcorpiones dixero, qui ore blandiuntur, ſed caudâ pungunt. Tali eos titulo inſignit D. Gregorius Lib. 1. in Ezech. Cap. 9. *Adulator ſcorpio eſt, qui palpando incendit, ſed caudâ ferit.* Undè Salvianus Serm. 3. *Non te moveant blandimenta eorum, venena tibi ſunt: non attendas adulationes, gladii ſunt.* *Cruciatus eorum*, ut Joannes teſtatur Apoc. 9. 5. *ut cruciatus ſcorpii, qui percutit hominem.* Undè N. tibi à Deo dictum puta, quod Ezechieli dixit Cap. 2. 6. *Subverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Ne fidas iniquis aſſentatoribus iſtis: ne credas blanditiis, illecebris, reverentiis, inclinationibus, fraudulentis laudibus eorum, quia, inquit D. Gregorius, *In facie blandiuntur, ut ſcorpiones: poſt dorſum portant, undè venenum fundant.* Idipſum à te rogat Eccleſiæ Doctor D. Hieronymus ad Ruſtic. *Ne credas laudatoribus tuis, imò & irriſoribus aurem ne libenter accomodes, qui, cùm te adulationibus foverint, & cùm te impotentem mentis effecerint, ſi ſubitò reſpexeris, deprehendes poſt te colla incurvari, aut manu auriculas agitari aſini, aut æſtuantis canis protendi linguam.* Quàm vivis coloribus hos adulatores depingit Propheta Regius

S. Bernardus. Salvianus. S. Gregorius. Apoc. 9. 5. Ezechiel. S. Gregorius. S. Hieronymus.

VIII. Pſalm. 54. 22. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jaculi.* Oleo acuuntur novaculæ, & jaculorum cuſpides, ut acutiores ſint, & penetrabiliores. Dum vos aliquis clam aggreditur manifeſto cum vituperio, ſentitur magìs ictus, ſed non eſt nocivus adeò: doloris plus affert, quàm damni. Contrà fit illis in armis, quæ ad cotem ſimulationis attrita ſunt, cum affectatæ laudis oleo. Ridendo, ac decipiendo, ferrum ad uſque oſſa penetrat, antequàm percipiat. Experiemini inviti, laceratas vobis carnes, antequàm ferè ictum ſentietitis: ſentietis paulò pòſt convulſiones, licèt initio nihil ſenſeritis doloris. Hinc D. Anſelmus: *Semper inſidioſa, callida, & blanda eſt adulatio. Pulchrè apud Philoſophos definitur: Blandus inimicus.* Ita ad propoſitum noſtrum D. Hieronymus Lib. 1. adverſus Pelagium Cap. 9. *Inimicus eò capitalior, quò blandior. Blandus inimicus*, non arripit ſcutum, non vibrat ſagittas, non ſtrictum gerit gladium: ubique obſequitur, ſincerâ obridet facie, extollit vos in altum: ſed ne permittatis vos decipi: attendite vobis, homicidarum arcus, labia ejus ſunt, cor pharetra, jacula venenata laudes, quibus vos lactant: certè ſecuriùs in vos rueret prædonum turba, quia vobis cavere poſſetis, & veſtræ ſtare defenſioni: *Molliti ſunt ſermones*

Pſalm 54 22. S. Anſelmus. S. Hieronymus.

ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula. Omnes illæ blanditiæ, adulationes, & laudes, *Sunt jacula.* Jacula ſunt, quæ inſenſibiliter transfigunt cor: & quantò chariùs ſuſcipiuntur, eò profundiùs vulnus infligunt. Noverat illos Rex David, & ideò cavebat ſibi ab eis. Pſal. 140. 5. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Noviſtis

Pſalm. 140. 5. Oleum peccatoris, quærit Caſſiodorus in hunc locum? *Eſt dilectio ſimulata verborum, quæ adulationibus & blandimentis, mentes velut olei pinguedo libenter ingrediens, rigorem veritatis emollit.* NN. mei, qui vos oleo perfundunt, ipſi vos perdunt. Si non mihi, ſaltem D. Bernardo credite, feriò vos monenti Serm. 2. de S. Andrea:

S. Bernardus. *Si quis te adulatur, venenum propinat, Judas eſt, oſculo te prodit.* Judas, inquies, & proditor? Sic eſt: adulator & proditor, convertuntur. Teſtimonium hujus veritatis perhibet ipſe Salvator.

IX. Matth. 26. Cœnans Salvator noſter cum Diſcipulis ſuis, volens indicare ſe probè ſcire, quisnam eſſet ille, qui ordiebatur proditionem ejus, ait illis: *Amen dico vobis:*

Matth. 26. 21. *Unus veſtrûm me traditurus eſt.* Apoſtoli, ad hæc verba quaſi icti fulmine (ſolo Judâ excepto) petebant: *Numquid ego ſum, Domine?*

Verſ. 22. Egone futurus proditor ille? *Numquid ego ſum, Domine?* Videns Judas, quòd omnes interrogâſſent, & ipſe interrogat: *Numquid ego*

Verſ. 25. *ſum, Rabbi?* Num ego infidus ille, Magiſter ſapientiſſime? *Numquid ego ſum, Rabbi?* Quid eſt, quòd omnes, Judâ excepto, dicant: *Numquid ego ſum, Domine?* Judas autem dicat: *Numquid ego ſum, Rabbi?* Cur non dicit Judas, ut cæteri: *Numquid ego ſum, Domine?* vel cur non Apoſtoli: *Numquid ego ſum, Rabbi,* ſicut Judas? Verum eſt, dixerat Chriſtus eadem verba omnibus, diverſimodè tamen reſpondent, quia *Rabbi* interpretatur *Magiſter*, *Doctor*: *Domine* verò, ſimpliciter *Dominum* ſignificat. Erat Judas proditor, & quia traditor & adulator convertuntur, ideò voluit verbis adulatoriis pandere ſecreta cordis, & latitantem proditionem manifeſtare. Audite non me, ſed Eccleſiæ Doctorem D. Hieronymum hîc: *Dixit proditor: Numquid ego ſum, Rabbi?* S. Hieronymus.

quia blandiens erat, & innuit ſuæ nequitiæ ſignum: cæteri verò, qui illum tradituri non erant, dixerunt: Numquid ego ſum, Domine? Iterùm ergò dico vobis: *Si quis te* S. Bernard. Serm. 2. de

adulatur, venenum propinat, Judas eſt, & oſculo te prodit. Undè S. Andrea.

ſi vobis animi ſenſus eſt, verbis utor D. Gregorii Lib. 4. Regiſt. Jud. Cap. 82. *Tantò majores hoſtes credendi ſunt, quantò magis laudibus adulantur.* Licèt hi Patres tacerent, habetis Deum præmonentem vos, ut ab his proditoribus vobis caveatis: Iſaiæ 3. 12. *Popule meus,* Iſaiæ 3. 12.

qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Iſaiæ Cap. 9. 16. *Beatificant populum* Iſaiæ 9. 16.

iſtum ſeducentes. Coronarent vos, ut videtur: ſed ut poſteà vos crucifigant.

X. Matth. 27. 29. Laſſati ex cruenta Chriſti flagellatione Judæi, inter ſe conveniunt, deliberantes de ridiculo aliquo honore ei exhibendo;

bendo; tandem, quia dixerat ſe Regem eſſe, concludunt Regiis ipſum induere ornamentis: undè
Matth.27.29. *Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus*; ſicque per inſultum deriſorium *Genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.* Poſtquàm autem coronaverant, & adoraverant,
Verſ.31. *Duxerunt eum, ut crucifigerent.* Hæc omnia expendens Theophilactus, ad rem
Theophilactus. noſtram ait: *Genuflexiones, quibus* (adulatores & laudatores) *te honorant, & acclamationes, exiſtima pleraſque fictitias, ut ab illis, qui caput tuum non modò libenter verberarent, ſed & amputarent.* NN. Quàm vobis complacetis in illis, qui vos in malefactis laudant, doloſitates veſtras extollunt, quas deberent reprehendere! Quàm vos ipſos titillatis, dum titulis honoramini, qui etiam vobis non competunt: dum *Dominus*, *Domina*, *Nobilis* nuncupamini! Laudatores illi, & adulatores, ſtant coram vobis capite detecto, inclinant, incurvant ſe, genuculantur vobis, vos, veſtros, & familiam extollunt; ſi poſſent, capitibus veſtris coronam imponerent: ſed, Amici mei, non videtis ſpinarum aculeos, & puncturas, quas cauſabit vobis illa corona? Quàm profundè corpungent, penetrabunt, & perforabunt? Necdum deprehenditis, quòd illi laudatores, qui vos ita coronant, adhuc vos crucifigent? Ipſis cæcis eſtis cæciores, ſi hoc non videritis: fortè movebit vos magìs Doctor Gentium: Audi-
Rom.16.18. te loquentem. Roman.16.18. *Rogo vos, Fratres, ut obſervetis eos, qui per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium.* Nolite ſeduci, benedictiones videntur, ſed maledictiones ſunt. Ne vobis paradoxum videatur quod dico

XI. Lucæ 6. 26. Dicebat ſuis Salvator: *Væ, cùm benedixerint vobis homines. Cùm benedixerint?* Lucæ 6 26
Quid hoc eſt? Paradoxus ſanè loquendi modus. Num hominum benedictiones nocumentum aliquod conciliare poſſunt? Numquid omnes benedictiones appetunt? Numquid deplorabilem miſeriam noſtram eſſe cenſemus, dum imprecationes, & maledictiones audire cogimur? Sic eſt. Quomodò ergò *Væ, cùm benedixerint nobis homines?* Benedictiones hominum, adulationes ſunt: meliùs dixero, maledictiones ſunt; ita teſtatur Pſalmiſta Pſalm.61. 5. *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.* Pſalm.61. 5.
Clariùs D. Baſilius hic: *Tales quidem ore benedicunt, & corde ſuo maledicunt: in verborum namque benedictione omnem execrationem vitæ ſuæ inducunt, ac reos æternæ damnationis, ob ea quæ approbant, ſeſe conſtituunt*; & ſic ſeſe, & illos quos laudant, damnant: majorem ſæpè damnationem incurrentes, quàm ipſi delinquentes. Audiatur S. Baſilius.
D. Chryſoſtomus Hom.2. de Davide & Saule: *In pravitate viventes laudare, ſupplicium haud mediocre nobis conciliat: & ſi fas eſt quoddam novùm dicere, gravius ſupplicium manet illos ipſos, quàm qui malè vivunt. Nam collaudare delinquentes, quod ad ſupplicii pertinet æſtimationem, longè plùs eſt, quàm* S. Chryſoſtomus.

 delin-

delinquere: idque jure optimo, proptereà quod hoc ſuffragium proficiſcatur ab animo planè corrupto, & inſanabili morbo laborante: ſiquidem is, qui dum peccat, condemnat interim peccatum ſuum, poterit aliquando temporis progreſſu ad ſe redire; cæterùm qui laudat malitiam, is ſemetipſum privavit curatione, quam adfert pœnitentia. Auſim ergò dicere, pejorem eſſe adulatorem ipſo delinquente. Habeo id aſſerentem D. Chryſoſt. Hom. 2. de Davide & Saule: *Collaudare*
S. Chryſoſtomus. *delinquentes, longè plus eſt, quàm delinquere.*

Iſaias 5. XII. Iſaiæ 5. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Aquila vertit: *Væ, qui dicunt malo: Bonus es: & bono: Malus es.* Et tamen eò malitia peccatorum devenit, ut dicant malum eſſe bonum: idque didicerunt à patre ſuo diabolo, de quo S. Gregorius Hom. 8. ſuper
Gregorius. illud Pſalm. 101. *In matutino interficiebam peccatores terræ. Hoſtis,* ait, *noſter tantâ ſe arte palliat, ut culpas noſtras virtutes fingat, ut inde quiſque quaſi expectet præmia, undè dignus eſt etiam ſubire tormenta; plerumque enim in ulciſcendis vitiis crudelitas agitur, & juſtitia putatur, atque immoderatâ inſtigari irâ, meritum creditur; ſimiliter effuſio, miſericordia: tenacitas, parcitas: pertinacia, conſtantia reputatur. Tales ſunt,* ait B. Maximus Serm. de
B. Maximus. Ma. *adulatores, qui ſcurram vocant gratioſum: obſcœna loquentem, civilem: iracundum, ſtrenuum: parcum, providum: prodigum, liberalem. Tales laudatores illis quidem ore benè precantur, ſed corde execrantur; nam hâc laude omnem execrationem in illorum vitam inducunt: imò eos æternæ damnationi obnoxios faciunt, ipſa vitia approbantes.* Ac proindè verbum *Væ* non ſine myſterio præmittit Iſaias, cùm tales mendaces, & adulatores, alienæ damnationis ſint inſtrumentum; iſti enim ſunt cervicalia ponentes ſub capite, ut molliùs quieſcant: quibus ſimiliter dicitur *Væ* Ezech. 13. 18. *Væ, qui conſuunt pulvillos* Ezech. 13. 18.
ſub omni cubitu manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas; & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et poſteà ſubjungit: *Ut interficerent animas,* Verſ. 19.
quæ non moriuntur, mentientes populo meo credenti mendaciis. Si me aliquis interrogaret, in quo conſiſtat malitia ex illa ſuppoſitione cervicalium, & pulvillorum ſub capite, paratum pro me haberet reſponſum D. Gregorius Lib. 18. Moral. Cap. 3. *Ad hoc pulvillus ponitur, ut molliùs quieſcamus. Quiſquis,* S. Gregorius.
inquit Lib. 18. Mor. Cap. 4. *malè agentibus adulatur, pulvillum ſub capite, vel cubitu jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus, molliter quieſcat.* Ideò addit Propheta: *Ad capiendas animas.* Diſcite NN. ex hoc Prophetæ ænigmatico loquendi modo, quo pernitioſam profeſſionem iſtorum adulatorum reprehendit, omnes illas laudes, & benedictiones ſolummodò tendere, *Ad capiendas animas.* Et pulvillos, quos adulatores ſub capite, aut cubitu ponunt, ut quieſcant molliùs, ſervire tantùm, ut dormiant

dormiant æternæ mortis ſomnium. Dalilam nôſtis adulatricem infernalem.

XIII. Judicum 16. 17. Tentaverat illa blanditiis, ut diſceret ex Sampſone, in quo conſiſteret fortitudo ejus; at illuſa tertiò, dixit ad
Judic. 16. 15. eum: *Quomodò dicis, quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum?* Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua. Cùmque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret, tunc aperuit ei veritatem rei, dixitque: *Si raſum*
Verſ. 17. *fuerit caput meum, recedet, à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut cæteri homines.* Quid tunc illa? *Dormire eum fecit ſuper genua ſua,* utque quieſceret molliùs, ſinum aperit, & in ſinu ſuo fecit reclinare caput: & raſis capillis ejus, convocatiſque Philiſthiim, *Cæpit abi-*
Verſ. 19. *gere eum, & à ſe repellere: quem cùm apprehenderunt Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Quid videtur NN? expectâſſetis umquam talem exitum omnium adulationum, & illecebrarum talem finem? Sic ſolent adulatores tractare ſuos: laudant, extollunt, animant in malo, ſicque pulvillos ſupponunt: imò ſinum præbent, ut molliùs dormiant, perſeverent in malo, donec abradant crines Philiſthiim infernales; id eſt, auferant cogitationes bonas, propoſita bona, & deſideria cœleſtia; eruunt oculos internos, & molere faciunt: hoc eſt, inquit D. Paulinus Epiſt.
S. Paulinus. 4. ad Severum: *Qui peccatum operatur, in mola vitæ ſuæ hoſtile triticum molit, ut zabulon, id eſt, diabolum paſcat; cui panis ſit anima, quæ ſibi fames eſt.* Sed *Væ* illis, RR. Confeſſarii, S. Ambroſius, dignus ille Confeſſarius, & Paſtor animarum, verbum habet ad vos in primam
ad Cor. *Sint Concionatores ſine adu-* S. Ambroſius.
latione Chriſtum prædicantes, & geſta pravæ vitæ arguentes: Confeſſarii, ne ſitis de numero illorum, de quibus Ezech. 13. 10. *Decepe-* Ezech. 13. 10.
runt populum meum, dicentes: Pax, pax: & non eſt pax. Eſto ſecurus, non eſt difficultas, homines ſumus, tantùm eſt fragilitas. Videte, videte Adulatores, quàm gratum obſequium præſtetis diabolo, dum adulatione & laude veſtrâ efficitis, ut delinquentes in malo glorientur, & perſeverent; ſed ſcitote, non minores vos pœnas manere, quàm illos. Illuſtre habetis exemplum.

XIV. 2. Paralip. 24. 17. Rex Joas, vivente Joiadâ, qui rectè eum inſtruebat, bonus erat & pius, nam ab Athalia & filiis ejus deſtructam domum Dei non ſolùm inſtauravit, aut ſuſcitavit in ſtatum priſtrinum, & firmiter eam ſtare fecit, ſed vaſis aureis & argenteis ditavit: ita ut in ea cunctis diebus Joiadæ offerrentur holocauſta. Ubi autem mortuus eſt Joiadas, venerunt adulatores, Principes ſcilicet, ad Regem, & ita adulando honoraverunt eum, ut dicat ſacer Textus: *Ingreſſi ſunt Principes Juda,*
& adoraverunt Regem: qui, delinitus obſequiis eorum, acquievit eis, 2. Paral. 24. 18
& dereliquerunt templum Domini, ſervieruntque lucis, & ſculptilibus,

Zachariam Prophetam Joiadæ filium occiderunt, ſed non impunè: in Regem enim exercuerunt ignominioſa judicia; inſurrexerunt contra eum ſervi ſui, & occiderunt eum in lectulo ſuo, & mortuus eſt, ſepultus quidem, ſed non in ſepulchris Regiis: & ita punitus eſt Joas, ut etiam Principes iſti adulatores experti ſint vindicem Dei manum, ut ibidem teſtantur SS. Paginæ.

Pſalm. 10. 3. XV. Hactenùs de adulatione, & laude, quâ *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*. Reſtat nunc videre, quàm etiam malum ſit hominem laudare ob benefacta; non quòd omnis laus boni hominis mala ſit, aut culpabilis, ſæpè enim jubemur laudare viros probos, ut Eccli. 44. 1.

Eccli 44. 1. *Laudemus viros glorioſos.* Prov. 27.

Prov. 27. 2. 2. *Laudet te alienus, & non os tuum*: ſed ne ita laudemus, ut ex noſtra laudatione ipſi adulemur, & in peccatum elationis trahamus. Quàm familiare eſt hodie alios in benefactis ita extollere, ut ſæpè hæc laus ſit cauſa ruinæ ipſorum! Audite, quæſo, quàm eximiè ſimiles laudatores D. Gregorius comparet locuſtis Ægypti, à quibus devorata eſt herba terræ in cuncta Ægypto: Lib. 56. Moralium more ſuo ſic ad mores loquitur: *Quid autem*

S. Gregorius. *per ſignificationem locuſtæ protendunt, quæ plus quàm cætera minima quæque animantia humanis frugibus nocent, niſi linguas adulantium, quæ terrenorum hominum mentes, ſi quando boni aliquid proferre conſpiciunt, hoc immoderatis laudibus corrumpunt*, ita tantùm, ut nihil omninò virens relinquatur in anima. O ſtragem grandem!

XVI. Rem magnam ob oculos ponit Jeremias Propheta Cap. 11. 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam: vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta ejus.* Per hanc olivam pulchram & fructiferam, juſtum intelligi, Patrum communis eſt ſenſus, ob varias quidem rationes, inquit Cornelius: ſcilicet ob ſtabilitatem virtutis: undè apud veteres æternitatis erat ſymbolum. Hinc SS. P. N. Elias & Enoch, utpotè æternitatis candidati, vocantur olivæ Apoc. 11. 4. *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes.* Secundò ob fertilitatem: eſt enim oliva fœcundiſſima: undè Pſalm. 51. 10. dicitur; *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei.* Tertiò, ob pinguedinem gratiæ, & devotionis, & charitatis Sanctorum: quæ dat pinguedinem, id eſt valorem, bonis operibus. Quartò, ob pacem cum Deo: pacis enim ſymbolum eſt oliva. Quintò, propter miſericordiam, erga pauperes: hanc enim ſignificat oliva, nam Sanctorum propria virtus, eſt miſericordia. Fierine poſſet, ut in oliva adeò pulchra, fructifera, ſpecioſa, ad vocem loquelæ tam grandis exardeſcat ignis, ut comburantur omnia fruteta ejus? Ut homo in ſtatu perfectionis adeò ſublimi poſitus, tot virtutibus & bonis operibus ornatus, ita comburatur, deſtruatur, & deſoletur, ut omnibus meritis privetur coram Deo? Quis dubitat?

Jerem. 11. 16.

Apoc. 11. 4.

Pſalm. 51. 10.

Si

Si non caveat ſibi ab igne linguæ grandis, & potentis. Et quis ignis ille adeò perniciosus? Dicat pro me Magnus Eccleſiæ Doctor Gregorius Hom. 21. in Ezech. *Ad vocem lo-* S. Gregorius. *quelæ grandis exarſit ignis in ea, quia in magnitudine favoris flamma in corde accenditur de amore laudis; & ſic omnia fruteta comburuntur; quia ante Dei oculos, vel quæ bene geſta, vel quæ ſcienter ſunt dicta, depereunt, cùm jam non amore Domini, ſed intentione tranſitoria laudis fiunt.* Majoris claritatis ergò.

XVII. Memini me legiſſe, & ita ſe res habet, dari in quibuſdam Regionibus animal, non diſſimile lacertæ, tergum habens lucentibus quibuſdam guttis depictum, ad modum ſtellarum, quod & *Tarantula* dicitur. Hæc morſum quaſi inſenſibilem alicui infigens, ſpargit certam qualitatem veneni, ita in viſceribus latentis, ut ipſe læſus ſæpè infectum ſe neſciat, niſi ſono quodam muſico, aut certo quodam colore venenum excitetur: quibus poſitis ita movetur interiùs, ut illicò, ſtulti inſtar, tanto ardore & vehementiâ ſaltare, & tripudiare incipiat, ut præ fatigatione ſæpè velut mortuus in terram cadat. Quis noſtrûm neſcit, ſerpentem Tarantulam infernalem, morſu mortali Proto-parentes noſtros momordiſſe, dum Evæ dixit: *Eritis ſicut dii?* ex quo morſu non ſolùm illi, ſed & omnes filii eorum intoxicati ſunt per peccatum originale, innato omnibus ambitionis veneno infecti, in multis per Dei gratiam & exercitas virtutes quaſi ſopito, ita ut vix cognoſcant ſe læſos. At diabolus avidiſſimus, ut venenum ejus in lucem prodeat, ſubornat citharœdos, & fidicines ſuos diabolicos, qui in ſono citharæ, aut ſimili inſtrumento muſico, quibuſdam etiam coloribus, toxico ſuo congruis, illos inſanire facit & mundo apparere ridiculos ſaltatores, qui antea graves, prudentes, omni virtutum genere elucentes habebantur. Et quinam illi citharœdi, aut fidicines, quibus utitur diabolus, qui excitent venenum ambitionis, niſi adulatores? Quanta, proh dolor! in Eccleſia mala ab his peſtiferis, & diabolicis adulatoribus! Eſt vir quidam pius, timens Deum, ſuâ ſorte contentus, caſu incidit in manus citharœdi infernalis: hic in ſono citharæ ſuæ incipit adulari, eumque extollere à nobilitate, prudentia, zelo, experientiâ, cæteriſque talentis, adeòque ei tanquàm ad altiora nato, ob oculos ponit colorem purpureũ, cuſſinum rubrum, præ cæteris ad primas cathedras promoveri digniſſimo. Quid ſequitur ad ſonum hujus fiſtulæ? Saltus, commotio animi, revolutio cogitationum, excitatio innati ambitionis veneni; ita ut pauper patiens ſaltare incipiat; non manducat, non bibit, non dormit, ſemper cogitat, ſemper ſomniat, ſemper ædificat caſtra in aëre, ſemper reſonat in aure ejus ſonus citharæ, aut fiſtulæ, falſi ſui adulatoris: donec tandem ex toxico diabolico cadat in ruinam. Caſum hunc vivis coloribus deſcribit Eccleſiæ Doctor D. Gregorius Lib. 32. Mor. Cap. 9. D. Gregor. ubi exponens verba Job 40 Cap. *Oſſa* Iob 40. *ejus velut fiſtulæ æris*: dicit, Prophetam ibi de diabolo loqui ſub figura Behemoth: *Quem enim*, inquit, *ſub Behe-*

moth nomine; *niſi antiquum hoſtem inſinuavit?* cujus oſſa fiſtulas, ſeu tibias vocat: *Oſſa ejus velut fiſtulæ æris.* Et quia hic eſt ſenſus myſticus: diabolus enim utpotè ſpiritus, *Carnē & oſſa non habet*, vocat S. Doctor prava adulatorum conſilia, oſſa, in quibus conſiſtit maxima vis diaboli: *Nam ſicut in oſſibus corporis robur ſubſiſtit, ita in fraudulentis conſiliis tota diaboli malitia erigitur.* Undè adulatores, fiſtulas æris dicit, quia diabolus in ſono fiſtulæ eorum, magìs movet animos audientium, quàm Orphæus lyrâ ſuâ: *Æris quippe fiſtulæ, ſonoris cantibus accomodari ſolent, quæ admotæ auribus, dum ſuave carmen ſubtiliter concinunt, interiora mentis ad exteriora delectationis inclinant, quæ dum dulcia reſonant, ad noxia trahunt.* Quid pejus dici poteſt, ad declarandam proprietatem harum fiſtularum, quàm, quòd ſint oſſa diaboli, quæ *Dum dulcia reſonant, ad noxia trahunt?* Quid pejus dici poteſt, quàm, quòd ſonus adulatorum excitet toxicum Tarantulæ infernalis, dementans homines? Ego hos aſſentatores, & diabolicos citharœdos non ſolùm dementatores, ſed fures potiùs, & latrones dixero: & quidem non abſimiles illis, de quibus

XVIII. Lucæ 10. Quidam deſcendens de Jeruſalem in Jericho,
Lucæ 10. 30. *Incidit in latrones; qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemivivo relicto*: Quid intendit Chriſtus per iſtam Parabolam? Jeruſalem, ſymbolum cœleſtis Paradiſi eſt: *Illa autem, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem.* Gal. 4. Jericho, utpotè maledicta à Deo, ſignificat infelicem ſtatum terreni & mundani hominis:
Gal. 4. 26.

qui, licèt faciat opera aliqua bona, non fiunt tamen oculo intento in Deum, nec ad acquiſitionem regni cœleſtis, ſed *Ut videatur ab hominibus*: ſed quid contigit illi infelici? *Incidit in latrones. Et qui ſunt iſti latrones?* Petit Salinas: *Non alii, quàm laudatores, & adulatores; fur enim eſt, & latro, qui laudat proximum.* In Cap. 2. Ionæ 1. 37. Tales latrones tantum damnum inferunt iis, quos laudant, ut privent omnibus bonis operibus, & inſuper tot vulneribus, & plagis implent vitiorum, & imperfectionum, ut relinquant ſemivivos, ſi nòn mortuos. Sicut hedera, quæ dum amplectitur murum, oſtendit quidem abblandiri, ipſo facto tamen paulatim deſtruit.

XIX. Ab hac adulatione cuſtodivit ſe Apoſtolus 1. Theſſal. 2. cùm ait: *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.* 1. Theſſ. 2. 4. Hæc eſt præcipua fornax, de qua Prov. 27. *Quomodò probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis.* Prov. 27. 21. Hæc eſt illa fornax à qua Auguſtinus jam converſus timebat ſibi, dum ab omnibus ob ſcientiam & ſanctitatem laudabatur, dicens: *Fornax mea quotidiana eſt lingua humana*; & S. Auguſt. meritò, quia tales adulatores & laudatores, magìs quàm contumeliantes, odiſſe oportet: major enim ex adulatione oriri ſolet peſtis; ut faciliùs ſit hanc, quàm illam paſſionem ſuperaſe. Hinc S. Hieronymus Epiſt. 14. ad Celantiam: *Adulatorum aſſentationes, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quaſdam peſtes animæ fuge*; nihil eſt enim, quod tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil, S. Hieron.

quod

quod tam dulci ac molli vulnere animum feriat. Utinam ergò omnibus familiaris foret Epiſtola 42. Melliflui Bernardi, in qua ſolidè oſtendit, quomodò, qui laudatur, ſe gerere debeat; ſignanter circa medium Epiſtolæ, ubi ait: "Qui humanas laudes conſuevit perfectè „contemnere, cùm ſe laudari percipit, de eo, quod in ſe novit non „eſſe, nullatenùs acquieſcens, illud „ſibi commemorat Pſalmi 61. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant de vanitate in idipſum.* Proindè „ſollicitè ſtudet imitari Apoſtolum, „ita de ſe loquentem 2. Cor 12. *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Cùm verò laudari ſe comperit „de bono quod fortè in ſe comperit, „nihilominùs, quantum in ſe eſt, „ſcuto veritatis curat à ſe jaculum „favoris repellere, dans gloriam Deo, „& dicens: *Gratiâ Dei ſum id, quod ſum.* Et propulſans à ſe omnem „ſuſpicionem, ait Domino. Pſal. „113. 1. *Non nobis, Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.* Me„tuit enim, ſi aliter egerit, ne fortè „audiat ab ipſo: *Recepiſti mercedem tuam.* Et iterùm: *Gloriam ab invicem quæritis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non vultis.* Joan. 5. Refugias „ergò & de hoc ad conſilium Apo„ſtoli Galat. 6. *Probet ipſe opus ſuum, ut ſic habeat in ſemetipſo gloriam, & non in altero.* Fidelis cuſtos, qui ſibi „oleum favoris ſine fraude reſervat; „ne in adventu Sponſi lampas con„ſcientiæ vacua extinguatur, &c." Caveat ergò unuſquiſque, ne ſuâ adulatione alteri ſit occaſio ruinæ. Caveat etiam quilibet, ne humanas laudes appetat, ut veram laudem à Domino conſequatur. Amen.

S. Bernardus. Pſal. 61. 10. 2. Cor. 12. 6. 1. Cor. 15. 10 Pſal. 113. 1. Joan. 5. 44. Gal. 6.

FERIA II. DOMINICÆ III. ADVENTUS

De Subticentia culpæ alienæ, ſexto Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Diabolus, qui venit, ut furetur & mactet docet homines peccare, & peccata *Reticere*: ne, videntes turpitudinem peccatorum, ab eis recedant; neque hoc per ſe ſolum, ſed & per ſuos coadjutores facit, qui, cùm poſſunt, & debent malum impedire, id non impediunt, ſed tacent. Taciturnitas illa, ſeu *Subticentia*, eſt ſextum Peccatum Alienum: quod contrahunt Prælati, Superiores, Parentes, Patres-familias: imò omnes particulares, dum malum poſſunt, & debent impedire: Deo rationem reddituri pro malis illis, quæ ex *Subticentia* eorum patrata fuerint.

I. Qui ſapit, fugiet pernitioſos adulatores, tanquàm diaboli cooperatores fideliſſimos, qui blandâ facie decipiunt animas audien-

dicentium ſe, & perpetuæ mortis laqueis illas interimunt. Non habet diabolus validiora arma, quibus animas impetat, quàm linguam, & cor ſimilium: in quibus, velut in centro, ſibi ſingulariſſimè complacet; etenim per dulces ſermones eorum ita ſeducit corda innocentium, ut tandem, audaciùs peccando, Dominum exacerbent; undè meritò adulator dicitur Antonomaſticè *Peccator.* Molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, ſed ipſi ſunt jacula: jacula, quæ inſenſibiliter cor transfigunt, & eò profundiùs vulnus infligunt, quò chariùs ſuſcipiuntur. In ore amici ſunt, in corde verò proditores; coronant vos, ut poſteà crucifigant: vos benedicere videntur, ſed maledicunt; verba Dei ſunt Lucæ 6. *Væ, cùm benedixerint vobis homines*: ore ſuo benedicunt, & corde ſuo maledicunt. Aſſentatores diabolici, audite iterùm Deum loquentem vobis: *Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manûs, ad capiendas animas*; ſed mementote, *Væ* æternam damnationem ſonare. Deſcendo ad ſextum peccatum Alienum: imploratâ tamen priùs Spiritûs ſancti gratiâ, per eam, quam Angelus ſalutavit: *Ave gratiâ plena.*

Lucæ 6.

Ezech. 13 18.

II. Graviſſima pœna, quâ Deus olìm homines afflixit, fuit, quòd unumquemque reliquerit abire in viam ſuam, non mittens Prophetas, aut Doctores, qui eos à via interitûs ad ſanam mentem reducerent: & quia ſolùm notus in Judæa, ideò ſolùm prædicabatur in Judæa: reliquos tradens in reprobum ſenſum, ut facerent ea ſcelera, quæ Paulus enumerat ad Rom. 1. ſubtrahens eis Doctores, & Prædicatores, vel Paſtores; & hoc quidem per exactam ſuam juſtitiam, quæ, ubi verſa eſt in miſericordiam per Incarnationem Filii ſui, cœpit Filius Incarnatus non ampliùs *Reticere* peccata, ſed palam proclamare ad ſalutem noſtram, juxta commiſſionem ſibi à Patre datam: *Clama, ne ceſſes: annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Quaſi tuba, exalta vocem tuam.* Undè in terris converſatus, non ſolùm Judæis, ſed & Gentibus peccata exprobravit ad correptionem, non autem ad deſperationem. Scribis & Phariſæis dicit. Matt. 23. 13. *Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi, quos alii beatos dicebant*, Joan. 4. arguit Samaritanam adulterii, *Quinque viros habuiſti, & quem habes non eſt tuus vir.* Matt. 15. Chananæam increpans, illam *Canem* appellat ob caninam, quam duxerat, vitam. Joannis 4. audit Regulus: *Niſi ſigna & prodigia videritis.* Non ſolùm ipſe non ſubticuit peccata noſtra, ſed *Quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas: alios vero Evangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, in conſummationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia*; ut ſcilicet populo annuntiarent ſcelera eorum, & non ampliùs illa reticerent. Miſit Apoſtolos, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: quod diligentiſſimè perfecerunt, nemini parcentes, ſed omnes liberè, tempore, & modo, increpantes: illudque ut facerent, ſucceſſoribus mandantes ut Paulus Timotheo: *Prædica verbum: inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Item Tito: *Increpa*

Iſaiæ 58 1.

Matt 23. 13.

Ioann. 4. 18.

Matt. 15. 27.

Joan. 4. 48.

Epheſ. 4. 11.

Rom. 10. 18.

2. Timot. 4 2.

Tit. 1. 13. Verſ. 11. *Increpa eos durè.* Item: *Quos oportet redargui.* Quod, ut omnibus cordi ſit monet illos alioquin rationem Heb. 13. 17. reddituros: *Quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et tales non tacentes, ſed liberè increpantes, & arguentes, adhuc hodie (Laus Deo) in Eccleſia Dei reperiuntur, eruntque ſemper. Econtrà, diabolus, auctor omnis peccati, qui venit *Ut fu-* Ioan. 10. 10. *retur, & mactet*, docuit homines peccare, & contra peccata non clamare, ſed ea *Reticere*, ne homines, turpitudinem peccatorum videntes, ab eis recederent, Hoc non ſolùm per ſe, ſed etiam per ſuos coadjutores conatur efficere: excitans aliquos, qui, cùm poſſunt, & debent malum impedire, non impediunt, ſed tacent; quæ taciturnitas, ſeu *Subticentia*, eſt ſextum peccatum Alienum. Hoc peccatum præcipuè contrahunt Prælati, Superiores, Magiſtratus, tam civilis, quàm Eccleſiaſticus, Patentes, imò omnes in particulari, dum malum poſſunt, & debent impedire per increpationes, monitiones &c. imò per caſtigationes, & tamen non impediunt: imò quaſi ſua nihili referret, diſſimulant. Hi omnium peccatorum rei ſunt, Deo rationem reddituri pro animabus, quæ *Reticentiâ* illorum peribunt. Contra tales agam hodie & duobus ſubſequentibus diebus. Attendite, & favete incipio Deo auſpice.

III. D. Thomas 2. 2. Q. 33. D. Thomas. A. 2. quærit: *Utrùm correctio fraterna ſit ſub præcepto?* Ampliſſimâ affirmativâ reſpondet: *Correctio fraterna eſt in præcepto.* In confirmationem ſui aſſerti, adducit auctoritatem M. P. Auguſtini dicentis: *Si neglexeris corrigere, pejor eo factus es, qui peccavit.* S. Auguſtinus Serm. 16 de verbis Dom. Super hoc principio fundat Angelicus Doctor hoc argumentum: *Sed hoc non eſſet, niſi per hujuſmodi negligentiam aliquis præceptum omitteret; ergò correctio fraterna eſt in præcepto.* Si non eſſet in præcepto, quomodò Regius Propheta tam anxiè oràſſet juſtum judicem: *Ab Alienis parce ſervo tuo?* Ita, ita NN. eſt præcepti, & rigoroſi præcepti, naturalis, poſitivi, & Divini. Audite Eccleſiaſticum Cap. 17. *Mandavit* Deus *unicuiq; de proximo ſuo.* Eccli. 17. Mandavit Deus, ut Auctor naturæ: quia correctio fraterna, eſt dictamen naturæ, directum à ratione; undè præceptum Chriſti Matt. 18. *Si peccaverit in te* Matt. 18. 15. *frater tuus, vade, corripe eum:* non tam debet dici præceptum novum, quàm elucidatio antiqui: non tantùm præceptum poſitivum, & Divinum, quàm declaratio obligationis naturalis; ſi enim natura dictet, ut alteri facias, quod tibi factum velles; quis eſt, qui expoſitus manifeſto periculo damnationis, non optaret ab illo liberari? Ergò tenetur ille alterum juvare eidem periculo expoſitum. Intelligant hanc doctrinam omnes illi, qui opinantur, hoc præcepto ſolùm conſtringi Prælatos & Superiores: non autem omnes univerſaliter; error eſt manifeſtus, doctrina falſa, temeraria, & in materia Fidei periculoſa, quia *Mandavit* Deus *unicuique de proximo ſuo. Unicuique.* Auditis? Prælatis, & ſubditis: magnis, & parvis: ſenibus, & juvenibus: Dominis, & ſervis: parentibus, & filiis: *Unicuique*, & ideò dicit Chriſtus: *Si peccaverit in te frater tuus:* non dicit: *Filius tuus: Subditus tuus:*

ſervus tuus: ſed: *Frater tuus*: *vade, corripe eum.* Peccat ergò quilibet, qui videt fratrem peccantem, & tacet, nec eum corrigit, arguit, obſecrat, increpat, ut peccatum iſtud impediat, ſed tacet, & diſſimulat, dicens: mea, quod nihil refert, percunctari deſino; Ego non ſum cuſtos ejus; Non eſt meum, arguere; viderint ipſi, quibus commiſſus eſt; Sufficit mihi, quòd meipſum cuſtodiam. Quid mihi eſt, curare aliena peccata? Sufficit mihi ſi animam meam integram ſervem Deo. Quàm excandeſceret D. Chryſoſtomus (ſi viveret) in ſimiles? Sic enim invehitur Hom. 33. in Gen. in quoſdam ſimilis farinæ: *Nolo mihi dicas frivola illa verba*: *Nihil mihi cura eſt*; S.Chryſoſt. *Nihil mihi ea de re conſtat*; *Alius fecit*; *Non fui particeps injuſtitiæ*; *prætexta illa ſunt*, *& inane comentum*; *ſi vis declarare*, *quòd non communicaveris injuſtitia, emenda factum. Qui emendare poteſt, & negligit, participem ſe procul dubio delicti conſtituit*: inquit Greg. Lib. 9. in Regiſtro Indict. 4. Cap. 64. S. Auguſtinus Serm. 16. de Verb. Dom. Plus dicit M. Auguſt: *Vulnus fratris contemnis*; *Tu eum vides perire*, *& negligis*? *Pejor es tu tacendo*, *quàm ille conviciando.* Et ego addo, te de genere Cain eſſe.

IV. Gen. 4. Occiderat ille fratrem; Gen. 4. 9. Deo interroganti: *Ubi eſt Abel frater tuus?* audet reſpondere: *Neſcio*: *numquid cuſtos fratris mei ſum ego*? S. Chryſ. Hom. 44. in Epiſt. 1.^am^ ad Cor. impatiens moræ, hunc fratricidam S. Chryſoſt. alloquitur: *Non eſt tibi cura? Cui erit cura*? *An diabolo, qui impellit & ſupplantat*? Non ſufficit mentitum te eſſe Deo, fingendo te innocentem delicti, à te perpetrati, ut audeas poſt dorſum mittere leges fraternitatis, cùm ipſe ſanguis ejus te damnet, qui clamat ad Deum de terra? Non miremini NN. quòd ſic loquatur: inquit D. Baſilius: *Cain fuit* S. Baſilius. *primus diaboli diſcipulus*, in ſchola diabolica edoctus ut Deo interroganti de ſtatu fratris, reſponderet: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Ejuſdem ſcholæ & doctrinæ erant Scribæ & Phariſæi, qui cognito Judæ peccato, & confitenti errorem ſuum: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*; Matt. 27. 4. reſpondebant: *Quid ad nos? Tu videris.* Quid nos curamus, an peccaveris, & te in damnationem conjeceris, &c? undè benè de illis dictum eſt Joan. 8. Joannis 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis*; *ille homicida fuit ab initio.* Tales illos dicit Euſebius Cæſarienſis: Euſebius Cæſar. Epiſt. ad Dam. Pap. de Morte S. Hier. *Qui viderit fratrem ſuum errantem*, *& mortalibus oppreſſum criminibus*, *& non miniſtraverit ei verbum doctrinæ*, *homicida eſt.* Quot hodie Chriſtiani, quot Religioſi, quot viri Eccleſiaſtici proferunt blaſphema illa verba primogeniti reproborum: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Sufficit mihi anima mea, illa mihi cordi eſt; Viderint alii ſibi, aut illi, qui in tribunali conſcientię abſolvere debent; Non ſum ego cuſtos fratris mei. Itane? *Non eſt tibi cura?* S. Chryſoſt. *Cui ergò erit cura?* Infideline, qui ejus malis lætatur? *An diabolo*, *qui impellit*, *& ſupplantat*? Attendite, quicumque eſtis, ne, omittentes lucrari animam fratris delinquentis, damnetis & propriam: quia peccare, & non cohibere peccantes, pari in gradu punitur: & quiſquis patitur peccantem, is vires ſubminiſtrat audaciæ. Eſtne poſſibile, inquit Auguſtinus:

S. Auguſt. in Pſal. 132. guſtinus: *Quando fortè pes ſpinam calcaverit, totum corpus contrahitur, & curvatur ſpina dorſi, ut queratur ſpina, quæ haſit in planta: omnia membra, quidquid poſſunt, faciunt, ut de infirmo exiguo loco, ſpina, quæ inhæſerat, educatur.* Adeò ſollicita eſt natura, ut ex digito aut pede educat ſpinam: & non erit vobis curæ, ut de anima fratris veſtri educatis habitum vitioſum, qui illi alioquin mors eſt? Ut curetis vulnus infimi, & viliſſimi membri corporis ejus, operam veſtram impenditis: & ut vulnus animæ ejus curetis, audetis cum Cain dicere: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Non timetis, ne vobis dicat Deus: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me?* Proh dolor! Adeò modò prædominatur diabolus per *Subticentiam* culpæ alienæ, ut veriſſimè dici poſſit, quod olim:

V. Michæas Cap. 7. 2. *Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Alii legunt: *Et non eſt, qui corrigat.* Exclamet hîc S. Chryſoſt. Hom. 1. ad Populum: *O tempora! O mores! Si quem videmus veſte breviori, vel alioquin indecenter veſtitum, admonemus, & emendamus: verùm videntes vitam ejus diſſolutam, nec verbum quidem proferimus: videntes mores ejus nefarios, præterimus: tametſi ridicula ſint, quæ ad veſtes pertinent, & damnoſa, quæ ad animam. Sed dic, obſecro, quam habiturus es apud Deum veniam, vel quam defenſionem?* Qualis pudor! Si quis inverſam habet chlamidem, monetur ſtatim: ſi quis de equo cadat, & læſerit ſe, ſubitò providetur de remedio, ſuccurritur ei, elevatur de terra: ſi quis infirmetur corporaliter, & decumbat lecto, omnes amici cū viſitant, omnes condolent, dant conſilia, dant remedia, ut ſanitatem recipiat: ſi conflagret domus, quiſque accurrit cum aqua, ut ignis extinguatur, quiſque clamat: Incendium: quod plus eſt: ſi accipiter rapiat pullum, clamatur altâ voce. *Obſtupeſcite Cæli ſuper hoc!* Ieremiæ 2. 12 Si frater ſit conſpurcatus multis vitiis, & peccatis oppreſſus: ſi lapſus de ſtatu gratiæ: ſi ad mortem infirmetur anima, ut ſit in evidenti periculo æternæ damnationis, & continuò exuratur concupiſcentiâ infernali, *Periit Sanctus de terra, & non eſt, qui corrigat:* non invenitur zelans aliquis honorem Dei, & ſalutem animarum: non invenitur, qui correctione charitativâ eum juvet, ut, emendatus à ſuis peccatis, liberetur à tam præſenti damnationis periculo.

Michææ 7.

S. Chryſoſt.

VI. Deut. 22. Mandabat Deus populo ſuo: *Non videbis bovem fratris tui errantem, & præteribis, ſed reduces eum: ſi videris aſinum fratris tui cecidiſſe in viam, non deſpicies, ſed ſublevabis cum eo.* Plus dico: Exod. 23. mandabat Deus Judæis: *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* NN. ſtate, & ponite aſinum cum anima, & quidem aſinum inimici veſtri: ponite bovem cum fratre veſtro. Errantem inimici bovem tenebantur reducere, & jacentem ſub onere aſinum ſublevare; & vos non reducetis ad Deum errantem fratrem? Non ſublevabitis ſub onere peccatorum jacentem? Non impendetis tantum hominibus, quantum illi jumentis? Non habe-

Deut. 22. 1.

Exod. 23. 4.

bitis tantum pro anima tam chara Deo, tam pretioſo empta Sanguine, quantum Judæi pro beſtia? Quam excuſationem daturi eſtis Deo? Aperiat iterùm os ſuum aureũ D. Chryſ. Hom. 1. ad Pop. *Quomodò non erit ſumma inhumanitas, & ferina crudelitas, nos non tantum curæ impendere animabus, quantũ alii jumentis? Hoc eſt, quod vitã noſtram confundit; hoc eſt, quod omnem ordinem ſubvertit.* David, ut ex ore leonis aut urſi beſtiam eripiat, vitam periculo exponit; & non loquentur homines verbum, ut animam eripiant ex ungue diaboli? Qualis pudor!

S.Chryſoſt.

VII. 1. Reg. 17. Præliaturus David contra Philiſthæum, Sauli timenti inſufficientiam ejus, ait: Non concidat cor cujuſquam; ego ſervus tuus vadam, & pugnabo adversùs Philiſthæum; pergitque narrare Regi: *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam.* D. Chryſoſt. ſuper iſta actione in ſtuporem datus, Hom. 48. in Gen. illos taciturnos, & ſubticentes culpam fratris alloquitur: Sub faucibus leonis infernalis eſt anima fratris veſtri, qui ſe illi in prædam dedit; vitæ periculo ſe exponit David, ut arietem eruat de periculo mortis temporalis: & vos moniti, non ut ſuffocetis, non ut ſtranguletis diabolum, non ut pugnetis cum eo, ſed ut fraternâ correctione eripiatis eum, hoc facere recuſatis? *Tu autem, fratrem tuum ſuper barathrum peccati videns, non admonitionem tuam adhibes, non alios ad auxilium vocas, ut à fauce beſtiæ membrum tuum eruere valeas?* Iterùm peto cum Chryſoſtomo: *Quam habiturus es apud Deum veniam vel quam defenſionem?* Ubique dominantur enormes uſuræ, concubinatus publici, turpitudines nefandæ, laſciviæ effrenatæ, injuſtitiæ manifeſtæ, malitiæ inveteratæ, ſimoniæ palliatæ, odia inteſtina, Sacramenta redduntur quaſi venalia, prophanantur res ſacræ, ubique dantur ſcandala publica à viris, mulieribus, ſenibus, juvenibus, divitibus, pauperibus, & ab omni ſtatu perſonarum. Hic dente maledico dilacerat famam proximi, ille manu violentâ rapit aliena, hic immerſus vivit odiis abſque ſpe emendationis, & non eſt, qui corrigat, qui reprehendat, qui loquatur verbum: ita ut meritò exclamet Greg. *Relinquunt Deum hi, qui nobis commiſſi ſunt, & tacemus: in pravis actibus jacent, & correptionis manum non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus.* Parentes vident filios ſuos diſcolos, filias laſcivas, famulos blaſphemos, ancillas impudicas, vicinos ſcandaloſos, ſubditos nequam, & per annos inconfeſſos: crucifigitur Chriſtus in plateis, in officinis, in domibus, in palatiis, in templis, & non eſt, qui cum Petro eximat gladium correctionis; *Videte quid facitis,* inquit Purpuratus Ugo: *Chriſtus in oculis veſtris crucifigitur, & vos adhuc gladium in vagina habetis.* Iterùm dico cum Auguſtino Sermone 16. de Verbis Domini: *Si neglexeris corrigere, pejor factus es eo; qui peccavit*; ratio eſt, quia ille ſæpè cecidit ex fragilitate, tu ſubtices

1. Reg. 17. 34

S. Chryſoſt.

S.Chryſoſt.

S.Gregorius.

Matt. 26. 51.

Ugo Card.

S. Auguſtin.

ex

ex malitia, & defectu charitatis: idcòque peccatum tuum majus; ut probat Auguſtinus Lib. 1. de Civit. Dei Cap. 9. argumento deſumpto ex Ambr. Ep. 48. quòd ſi quis videret proximum in evidenti periculo ſubmergendi, & potens juvare & ſuccurrere, non juvet, & non ſuccurrat, ipſe eſt; qui ipſum ſubmergit; ſimiliter: qui videt aliquem fame perire, ſi poſſit cibare, & non cibet, ipſe eſt, qui occidit: *Si non paviſti, occidiſti*: inquit Ambroſius. Similiter: qui videt aliquem labi in peccatum cum periculo æternæ damnationis, ſi mediante correctione non quærat eum liberare de periculo, tanti ſe mali reum reddit. Ita S. Gregorius Lib. 1. Paſ. Cap. 1. *Si indigentibus proximis abſcondimus pecunias, eorum mortem optamus; ita ſi peccantibus fratribus ſubtrahimus correctionem.* Deus ipſe eſt, qui declarat Levitic. 19. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* NN. non palpitat cor veſtrum? Non tremitis? non veremini, ne vos Deus damnet peccati alieni, & ſtrictam rationem exigat à vobis damnationis fratris veſtri, ſecundùm illud Ezechielis 3. 18. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem, ſanguinem ejus de manu tua requiram?* Audite hæc, Patres, & Matres-familias, qui ſervos veſtros & ancillas indies malefacere tacentes videtis: ſcitis, & auditis, illos numquàm de Deo loqui, niſi blaſphemantes S. nomen ejus: numquàm de proximo, niſi detrahentes, aut deridentes: modò non furentur, parùm ad vos: an lupanaria paſſim, raró Eccleſias frequentent, an concionibus interſint, an confiteantur ſubindè, & Communicent, an in timore Dei educati, an non ignorent ea, quæ etiam ſcitu ſunt neceſſaria neceſſitate medii, parùm curatis; è contrà, peſſimum eorum vivendi modum probè noſtis, lubrica eorum converſatio non vos latet, & tam enormia, Strutionis inſtar, digeritis, & patienter ſuffertis: ſed eâ patientiâ, de qua S. Leo Papa Epiſt. 16. *Peſtifera planè patientia, quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.* Ne quis veſtrûm mihi idipſum dicat, quod quidam D. Chryſoſtomo Hom. 21. ad Epheſ. Famuli mihi neceſſarii ſunt, non Monachi; admitto: ſed dico cum Chryſoſtomo: *Non eſt neceſſe, ut fiant Monachi: facias Chriſtianos.* Scitote vos Deo pro eis rationem reddituros: quia Patris-familias eſt, omnibus invigilare, quæ in familia peraguntur: qui ideò *Lucerna domûs* à Sapientibus dictus eſt, eò quòd non ſufficere ei debeat, ſicut ſol, aulas publicas, & cubicula feneſtrata perluſtrare, ſed, tamquàm lucerna, etiam loca ſubterranea, caveas, & latebras omnes. Caveant ergò omnes Patres-familias, qui domeſticos ſuos indies Deum offendere tacentes vident, ne tandem in Dei ſententiam comminatoriam incidant: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem, ſanguinem ejus de manu tua requiram.* Audiant etiam hæc omnes, qui ex officio, duplici tenentur titulo lucrari fratrem, ne

S. Ambroſius. S. Gregorius. Levit. 19. 17. Ezech. 3. 18. S. Leo. S. Chryſoſtomus.

ſubticentiâ culpæ alienæ tot damnent, quot in damnationem tacentes ire vident: & ſciant non mea hæc, ſed D. Gregorii Eccleſiæ Doctoris verba eſſe Lib. 1. in Ezech. Hom. 11. ponderans verba Apo-
S. Gregorius. ſtolica: *Mundus ego ſum à ſanguine omnium*, ait: *In qua voce nos conſtringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui ſuper ea mala, quæ propria habemus, etiam alienas mortes adjungimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidiè tepidi ac tacentes videmus*. Quid audiri poſſet terribilius? Et interim

VIII. Abundant in Chriſtianiſmo, cum ſumma injuria Altiſſimi,
Num. 25. 8. concubinarii publici, & non videtur alter Phinees, qui pugione linguæ eos perfodiat. Innumeri uſu-
Exodi 32. 27. rarii cum Iſraëlitis adorant vitulum aureum, & non invenitur alter Moyſes, qui gladio increpationis
1. Reg. 13. 13 occidat irrefrenatam eorum cupidinem. Reſurgunt indies Saules, divinis rebelles mandatis, & nullus reſurgit Samuel, qui exprobret ipſis malitiam. Accreſcit numerus
Exod. 7. 19. Pharaonum in malitia obduratorum, & ne unus quidem invenitur Aaron, qui in faciem illis elevet virgam flagelli cœleſtis. Non deſunt in Chriſtianiſmo Davides, alienas tollentes uxores, ſed ubi comparet
2. Reg. 12. 7. Nathan, qui corripiat? Non deſunt
3. Reg. 21. 19. Achabi rapientes bona aliena, ſed ubi modò Elias, qui ad increpandum ſe præſentet? Non deſunt inceſtuoſi Herodes, non deſunt adulteri, etiam publici, ſed ubi alter Joannes Baptiſta, qui dicat:
Marci 6, 18. *Non licet tibi?* Ubi alter Chryſoſtomus contra tot ſuperbas Eudoxias? Abundant ubique crudeles Theodoſii, ſed ut quæratur, & inveniatur alter Ambroſius, lucerna Diogenis foret neceſſaria. Si novus in Catholiciſmo exurgeret Henricus (utinam non eſſent) qui impeteret Religionem, oppugnaret fidem, conculcaret Sanctos, vilipenderet Sacramenta, profanaret Eccleſias, Chriſti ſperneret Vicarium, ubi daretur alter Thomas Morus, qui morte ſuâ zelaret honorem Dei, & ſalutem proximi? Loquatur modò D. Cyprianus, & dicat ea, quæ ſuo dixit tempore: *Rarus hodie Phinees, qui* D. Cypr. de
perfodiat impudicos; rarus Moyſes, Jejunio &
qui occidat ſacrilegos; rarus Aaron, Tentat. Chriſti in Cap. 13.
qui coram Pharaone divinas commi- Joannis.
nationes edicat; rarus Noë, qui his, quibus ſubmerſio imminet, arcam bitumine linitam provideat. Rarus hodie, qui fratrem lucratur; econtrà, multi ſpeculatores cæci, multi
Canes muti, non valentes latrare, Iſaiæ 46. 10.
videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia: quos tamen poſuit Deus Præpoſitos Eccleſiæ, tamquàm canes, qui latrando fures & lupos arcerent; quibus dormientibus, & non latrantibus, veniunt univerſæ beſtiæ agri ad devorandum gregem. Teſtis ſit nobis Jeruſalem, urbs perfecti decoris, ad extrema redacta: quod ſuo tempore plorans plorabat Jeremias

IX. Threnorum 2. 13. Poſtquàm in captivitatem redactus eſſet Iſraël, & Jeruſalem deſerta, ſedebat ille flens in Jeruſalem, & amaro animo
ſuſpirans, & ejulans, dixit: *Cui* Thren. 2.
comparabo te, vel cui aſſimulabo te, Filia Jeruſalem? Cui exæquabo te, & conſolabor te, Filia Sion? Magna

na eſt velut mare contritio tua. Quis medebitur tui? Dat rationem ge-
Verſ. 14. mituum ſuorum: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta; nec aperiebant iniquitatem tuam, ut ad pœnitentiam te provocarent; viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones.* Mellifluus Bernardus, de noſtris quaſi temporibus loquens,
S. Bernardus. ait: *Peccat frater, in aliquod delictum cecidit, & non eſt, qui ſe præparet ad abluendum, ſed potiùs ad repellendum.* Peccat ſubditus, & non corripit eum Prælatus. Peccat Secularis, & monere eum negligit Regularis. Delinquit Regularis, & non compatitur ei Secularis, ſed obmurmurat, & inſanat. Prædo-
Thren. 2. 14. minatur iniquitas, *Nec aperiebant iniquitatem tuam, ut ad pœnitentiam te provocarent.* Ingemiſcens ingemiſcit Propheta, qui in peccatis alienis partem non habuit: & vos, qui ſubticentiâ veſtrâ ad peccandum fratrem veſtrum roboratis, hæc non apprehenditis? Auditis? Vos, qui ad peccandum roboratis? Sic aſſerit D. Ambroſius:
S. Ambroſius. *Quiſquis fratrem non arguit peccantem, quodammodò hortatur, ut peccet.* Audite Apoſtolum

X. Act. 20. Convocans majores natu Eccleſiæ, oſtendenſque immunem ſe eſſe ab hoc peccato, eos alloquitur: "Vos ſcitis, à prima die, quâ ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Judæorum: quomodò nihil ſubtraxerim vobis utilium, quò minùs annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, teſtificans Judæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Unde, ne quis putaret ſe ex vana gloria locutum, ſed ſecundùm exigentiam Apoſtolici muneris, ſtatim ſubdit:" *Conteſtor vos hodiernâ die, quia mundus ſum à ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quò minùs annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Ideòque ut omnes excitet, ne in diſtricti judicii die rei inveniantur peccati alieni, majores natu Eccleſiæ alloquitur: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* "Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri, loquentes perverſa, ut abducant Diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoriâ retinentes, quoniam per triennium non ceſſavi nocte & die, cum lacrymis monens unumquemque veſtrùm. Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus." Et paulò pòſt: *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* Ex quibus verbis patet, quomodò omni Superiori incumbat, non ſolùm ſibi, ſed & univerſo gregi ſibi commiſſo attendere, ne ſubticentiâ culpæ alienæ & ipſe pereat. Utinam omnes dicere poſſent cum Paulo: *Mundus* Act. 20.

ſum

ſum à ſanguine omnium, non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem vobis! Epiſcopis, Paſtoribus, Prædicatoribus Eccleſiæ Catholicæ ex parte Dei mandatur, ut attendant ſibi, & univerſo gregi ſibi commiſſo, nec parcant laboribus, neque taceant, dum loquendum eſt: ſed quaſi tubæ exaltent voces ſuas, & annuntient populo Dei ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Magiſtratui civili mandatum eſt, ut attendant ſibi, & univerſo gregi ſibi commiſſo, ut non taceant, ſed utiles Reipublicæ leges ferant, quibus boni defendantur, & mali vel arceantur, vel ad bonum convertantur. Patribus-familias, & cuique Superiorum incumbit, ut attendant ſibi, & univerſo gregi ſibi commiſſo, nocte & die admonentes, & exhortantes ſubditos. Unicuique in particulari mandavit Deus, ut attendat ſibi, & proximo ſuo. Et niſi id fecerint, væ eis, qui ſubticentiâ ſuâ ſinunt concreditas ſibi oves perire, non aperientes iniquitatem, nec ad pœnitentiam provocantes: quia ſanguinem pereuntium requiret Deus de manibus eorum. Non miremini NN. quòd Væ illis dicam; habetis unum de ſe loquentem, Iſaiam, virum alioquin ſanctum: *Væ mihi, quia tacui.* Iſaiæ 6. 5. Viderat ille, ſecundùm Hieronymum, Oſiam in templum irruentem, & non correxerat; viderat idolis ſacrificia offerrentem, & tacuerat; hinc meritò timore perculſus dicebat: *Væ mihi*: videns ob non factam correctionem ſe reum conſtitui omnium illorum peccatorum.

XI. Habemus Davidem; Paſtorem à Deo electum, virum ſecundùm cor ejus ob aliena ſummè anxium, & ad Deum clamantem: *Ab occultis meis munda me! Ab Alienis parce ſervo tuo.* Pſalm. 18. Duo à te peto, Domine, & non ceſſabo, dum vixero, ſupplicare te, ut ab occultis meis mundes me, & ab Alienis parcas ſervo tuo. Interroget eum aliquis: Rex ſancte, quid petis? Non ergò ſufficit omnium peccatorum à te commiſſorum veniam poſtulare, ut ſalveris? Cur tibi Aliena peccata ſupplicas remitti? Sciebat ſe Regem eſſe, & pro ſubditis aliquando à ſe reddendam rationem: ideò timor & tremor comprehenderunt eum. Non eſt ipſe ſolus; ſanctiſſimi quòque (facilè enim Rex, & quilibet Superior hac in parte delinquit, & fit particeps peccati Alieni) tremunt, & contremiſcunt, ne peccata Aliena ſibi imputentur ob ſubticentiam culpæ alienæ. Paulum nôſtis; licèt non noviſſetis, qualis fuerit, teſtantur vigiliæ, ſudores, itinera, catenæ, flagella, labores omnes perpeſſi in lucrum animarum; legite tamen quid ſcribat

XII. 1. Cor. 2. 3. *Ego in tremore ac timore multo fui apud vos.* 1. Cor. 2. 3. Fratres mei, vivo ego inter vos in timore continuo: nec timore tantùm, ſed & tremore, qui continuò affligit animum. Doctor Gentium, Vas electionis, cur tu times, pro Eccleſia Dei tanta perpeſſus? Timet ob rationem Deo reddendam pro animabus curæ ſuæ commiſſis. Quid? Timet ille Paulus, qui non ſolùm ſemper locutus eſt, & ſubditis

ditis ſuis, quos ad fidem perduxerat, & in quos habebat juriſdictionem, divinam prædixit ultionem, ſed & corripuit, & admonuit ſibi æqualem, imò ſuperiorem Petrum

Galat. 2. 14. co-Apoſtolum? *Videns*, inquit, *quòd non rectè ambularet ad veritatem, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus ſis, Gentiliter vivas, & non Judaicè, quomodò Gentes cogis Judaizare?* Et tamen iſte Paulus, Corinthiis ſcribens, ait: *Ego in timore & tremore multo fui apud vos.* Hîc in pedes ſe erigit D. Chryſoſtomus, Eccleſiæ Prælatos, Paſtores omnes, etiam Su-

S. Chryſoſt. Lib. 3. de Sacerdot. periores alloquens: *Si Paulus, Dei mandata ſic obſervans, ut majora etiam, quàm ipſi à Deo injuncta fuiſſent, præſtaret, numquam ſuo ipſius, ſed ſubditorum tantùm commodo ſtudens, ſic ubique formidavit, magiſtratûs ſui molem expendens, quid faciemus ipſi, qui multi ubique ſumus in quærendis, quæ noſtra ſunt,* & non ſubditorum, permittentes eos taciturnitate noſtrâ æternùm perire? Si Paulus non formidet Eccleſiæ Caput monere, in re tamen licita, ob ſolum apparens ſcandalum, quomodò reſpondebimus nos Deo, tam aperta ſcandala diſſimulantes, quæ in tot animarum jacturam indies fieri tacentes videmus, obliti temporis, quo Chriſtus Dominus fraternæ correctionis rigoroſo præcepto nos obſtrinxit.

XIII. Matth. 18. 6. Interrogantibus Diſcipulis Magiſtrum cœleſtem, quis major eſſet in regno cœlorum, ſtatuit parvulum in medio eorum: & habitâ Concione de ſcandalo, & in ſcandaloſos enuntiatâ ſententiâ, aiebat: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur molâ aſinariâ in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. 6.

Et tandem concludens, ait: *Væ mundo à ſcandalis. Non enim eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.* Nullâ interpoſitâ morâ dat ſuis, & omnibus nobis formale præceptum faciendæ correctionis: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum;* ut ſciant omnes Prælati, Judices, Paſtores, & animarum curam habentes inter omnia peccata tollenda eſſe ſcandala, quæ ſunt lapides offenſionis, peſtes ſpirituales, & occaſio ruinæ animarum: adeòque ponentes petram ſcandali, non tantùm monendos, corripiendos, ſed tamquàm peſtiferos de civitatibus eliminandos, alioqui Deo reddituri rationem pro animabus, quæ ex ſubticentia illorum peribunt. Si omnes hæc perpenderent, indubiè cum Paulo viverent *In timore multo, ac tremore*, & ſibi, ſuiſque, magis conſulerent. Verſ. 7.

XIV. Non eſt, qui neſciat, Chriſtum bonum fuiſſe Paſtorem: fatetur ipſe Joannis 10. 11. *Ego ſum Paſtor bonus*: non tantùm bonus, ſed verus, qui etiam Carne & Sanguine paſcit oves: & tamen ſimili timore percutitur. Habebat unum inter duodecim ſcandaloſum, Judam Iſcariotem, qui fur erat, & latro: & in Mariæ unctione ſcandalizaverat ſuos, dicens: *Ut quid perditio hæc?* Matth. 26. 8. cœ- Joan. 10. 11. Matth. 26. 8.

nans cum Diſcipulis ſuis Salvator, videbat aſſidere menſæ proditorem, qui, ſecundùm D. Ambroſium, cum Agno Paſchali unà maſticabat S. Ambroſius. proditionem Agni Divini: *Proditionem Sanguinis Dominici inter ſacrificia poſitus cogitabat.* Aſpiciebat eum oculis, & deflebat corde, ac omni modo poſſibili, & miris adinventionibus conabatur reducere ad pœnitentiam: proſternebat ſe ad pedes ejus, ut emolliret cor ejus lapideum: ſordidos lavabat pedes, ex ipſa traditione conſpurcatos: dabat ei Corpus ſuum in cibum, & Sanguinem in potum: tandem cùm nulla prodeſſent charitatis inſignia, prorumpebat in hæc minatoria ver- Matth. 26. 22. ba: *Unus veſtrûm me traditurus eſt; verumtamen Væ homini illi, per quem tradetur.* Vix ore protulerat illud horribile *Væ*, illicò contur- Joan. 13. 21. batus eſt: *Hæc cùm dixiſſet, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt.* Super hac Chriſti conturbatione in ſtuporem datus S. noſter Cyrillus Alexandrinus, Salvatorem alloquitur: Cur turbatur Chriſtifera Caro? Cur tremis? Cur paves, innocentiſſime Jeſu? Habemus reſponſum ex Salvatoris ore benedicto: videbat unum è Diſcipulis curæ ſuæ commiſſùm, & à Patre commendatum, irremediabiliter perire, & quaſi apprehendens reddendam ei rationem, anticipativè Joan. 17. 12. proteſtabatur, dicens: *Pater, quos dediſti mihi, cuſtodivi: non periit ex eis quiſquam, niſi hic filius perditionis.* Novi, Pater, ſtrictum & tremendum judicium tuum: ſcio, quàm exactam rationem exacturus ſis à Paſtoribus de ovibus ipſis commiſſis: duodecim tradidiſti mihi, & omnes fideliter cuſtodivi: periit unus non meâ, ſed culpâ ſuâ, & ideò illi ipſi, non mihi imputanda ejus perditio eſt: undè *Væ homini illi*; hoc ſolo cogitatu *Turbatus eſt.* Dicat modò, quòd ſentit candidus Cyrillus noſter. *Veriſimiliter mihi* S. Cyrillus in *videtur, Carnem Chriſti ferre non* Joannis 13 *poſſe metum, ita ut aliquantùm non præmonſtret ſe contremiſcere ad actum illum judicii, quando dixit: Væ homini, per quem tradar ego.* NN. mei, ſi Chriſtus Salvator noſter, Innocentia, Sanctitas, Impeccabilitas ipſa per eſſentiam, Judex vivorum & mortuorum, timeat, & contremiſcat ob rationem reddendam Patri unica pro ove ſua perdita, abſque ſui tamen culpa, quid fiet Prælatis, Paſtoribus, & quibuſcumque Superioribus, quorum incuriâ, & in peccatis ſubticentiâ, ab ovili Chriſti tot deviant, æternùm damnantur, & pereunt? Dicant, dicant cum Mellifluo Bernardo: *Quid ego infelix? Quò me* S. Bernardus *vertam, ſi tantum depoſitum conti-* de Tripl. Adv. *gerit negligentiùs cuſtodire?* Credo ego, quòd ſi hæc perpenderent, ad lacrymas moverentur, & timore & tremore corriperentur. Sed ne in ſolos Prælatos, Superiores, & Rectores animarum habere videar, ut ſciant omnes, cujuſcumque conditionis ſint, ſe hoc præcepto aliquando conſtringi, & ſubticentes alienas culpas, diſſimulantes, aut non corripientes, reos ſe conſtitui alieni peccati, ob oculos pono Jonatham Saulis filium.

XV. 1. Reg. 31. 3. Pugnabant Philiſthiim adverſus Iſraël: qui ir- 1. Reg. 31. 3.

ruentes in Saul & filios ejus, percuſſerunt Jonatham, nec non in montibus Gelboë deſideratus eſt Saul. Quòd occidatur, & miſerè moriatur Saul, benè: quia condignâ plectitur morte ob inobedientiam commiſſam Deo, miſſus ad delendum funditùs Amalec; ſed quòd occidatur Jonathas, amicus Davidis, fidelis Dei famulus, pius, miſericors, juſtus & innocens, non capio. Dicat ergò pro me D. Iſidorus Peluſiota quid de hoc ſentiat: Peccaverat Jonathas peccato ſubticentiæ culpæ alienæ: viderat enim Patrem, Deo relicto, Phytoniſſam conſulere, & tacuerat, nec corripuerat eum: ideò morte punitur, & delinquens pater, & diſſimulans filius: *Angorem mihi ac ſollicitudinem affert Jonathæ pœna, quia patrem Phytoniſſam quærentem minimè prohibuerat: ob idque ante eum, qui ſcelus admiſerat, is, qui prohibere poterat, in bello interiit.* Priùs punitur ob omiſſionem filius, quàm ob commiſſionem pater. NN. ſi ſic puniatur filius, quem reverentia & timor filialis videtur eximere ab obligatione paternæ correctionis, quid de parentibus fiet, qui filios in animæ damnationem ruere, tacentes vident? Dicat hoc pro me Origenes Lib. 1. in Job: *Omnia, quæ deliquerint filii, de parentibus exquiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint.* Quid de Superioribus, animarum curam habentibus, qui in ſubditis tranſgreſſiones vident graviſſimas, & diſſimulant? Attendant, ſi ſapiant, alioquin temporali & æternâ morte puniendi pro peccatis Alienis. Diſcant, quid Propheta velit.

Verſ. 4.

S. Iſidor. Peluſiota Lib. 1. Epiſt. 137.

XVI. Jeremiæ 17. 18. *Duplici contritione conteres eos.* Si & vos NN. ſcire cupitis, de qua duplici contritione loquatur, S. Laurentius Juſtinianus Lib. de Inſtitut. & Regimine Prælatorum Cap. 5. libenter circa hoc ſui pandet animi ſenſum: *Duplici contritione atteritur Paſtor, duplicisque judicii efficitur reus, ſui videlicet, & ovium: præſertim earum, quæ ex ipſius convincuntur periiſſe incuria.* In hanc quoque ſententiam abit Propheta Ezechiel, Cap. 7. de mutis Paſtoribus loquens: *Conturbatio ſuper conturbationem veniet.* Aut ut legit D. Hieronymus: *Væ ſuper væ erit.* Afflictio ſuper afflictionem, pœna ſuper pœnam, Væ ſuper væ; Væ temporale, & Væ æternum. Ne, quæſo, putet aliquis me exaggerativè loqui: ſi quis fortè foret, audiat loquentem

Jerem. 17. 18.

S. Laurentius Juſt.

Ezech. 7. 26.

S. Hieronymus.

XVII. Jeremiam 48. 11. *Maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Deus bone! Quales minæ, quales maledictiones ſunt iſtæ, quas fulminat Propheta? Deus amator pacis, unionis, & charitatis fraternæ, maledicit non ferientem, non percutientem, non immergentem gladium in ſanguine fratris ſui? Ita, inquit D. Petrus Damianus: ille maledictus erit, & æternùm maledictus à Deo, qui gladio linguæ ſuæ non transfodit cor fratris ſui delinquentis, & ſanguinem ejus non fundit in rubore vultûs ſui; ſic ſcribit Damianus Epiſt. 6. ad Nicolaum Pontificem: *Maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine; à ſanguine enim*

Jerem. 48. 11.

S. Damianus

gladium prohibet, qui ſe ab inferenda reprobis digna ſententiæ animadverſione compeſcit: qui videt peccare fratrem, & non corripit. Illa eſt maledictio, quam imprecata eſt Debora tribui Ruben, Judicum 5. 23. *Maledicite terræ Meroz, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini.* Non creditis illos à Deo reprobari, & ſummo rigore puniri? Audite de illis Apoſtolum

Judic 5. 23.

XVIII. Rom. 1. 18. *Revelatur ira Dei ſuper omnem impietatem hominum illorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Horribilia ſanè verba! Sed quinam illi impii, & infelices, de quibus verificantur hæc Apoſtolica verba? Do verba Euthimii: *Illi ſunt, qui veritatis Dei notitiam habent, tamen intra ſe detinent, ne aliis ſplendeat, permittentes illos manere in errore, cùm illos poſſent illuſtrare.* Illi ſunt, qui, videntes peccare proximum, ſciunt obligationem præcepti Evangelici, quod illos conſtringit ad faciendam correctionem, ſpreto tamen illo præcepto divino, & animæ ſalute neglectâ, non dignantur aperire os ſuum in ſalutem animæ, pro qua tamen Filius Dei non ſolùm os ſuum, ſed totum Corpus & latus aperuit, totum pretioſum effundens Sanguinem. Contra illos juſtè *Revelabitur ira Dei*, multoque rigore punientur *Æternâ damnatione*. Tremendam illorum ſententiam enuntiat Spiritus ſanctus

Rom. 1. 18.

Euthimius.

XIX. Sapientiæ 6. 7. *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Argumentor: Si tam durum judicium Superiores maneat, qui negligunt ſubditorum profectum ſpiritualem, ut docent Patres: quale manebit eos, propter damnum emergens animabus, ob culpas graviſſimas, quæ illorum ſubticentiâ & incuriâ fiunt? Si tremant Paſtores, qui errantes oves curâ ſuâ paſtorali non reducunt ad Chriſti ovile, quàm durum judicium erit illis, quorum negligentiâ multæ animæ pereunt? Hoc timore perculſus ait Paulus 2. Cor. 5. 10. *Omnes nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Ex his verbis ad terrorem Superiorum & Paſtorum format D. Bernardus argumentum, & concludit: *Si reddenda eſt ratio de his, quæ quiſque geſſit in corpore ſuo, eheu! quid fiet de his, quæ quiſque geſſit in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia?* Qui habet aures audiendi, audiat.

Sap. 6. 7.

2. Cor. 5. 10.

S. Bern. ad Clerum in Concilio Rhemenſ.

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ III. ADVENTUS.

De Subticentia culpæ alienæ, ſexto Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Peccatum Alienum *Subticentiæ* maximè incurrunt, qui proximum in Deum blaſphemare, execrari, deteſtari, per Sacramenta & Chriſti Sanguinem jurare tacentes audiunt: non minùs tanquàm Deicidæ habendi, quàm ipſi blaſphemantes & jurantes, adeòque à Deo pariter ſeverè puniendi.

I QUanta ex Subticentia culpæ alienæ mala proveniant, heri oſtenſum eſt ſatis. Necdum ergò creditis NN. Deum unicuique noſtrûm mandâſſe de proximo ſuo: & ſignanter illis, quibus ex officio corrigere delinquentes incumbit? Ne quis mihi Cainiſta iterùm dicat: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* (Gen 4 10.) quia cogerer cum D. Chryſoſtomo (S. Chryſoſt.) iterùm ab eo petere: Cui enim eſt curæ? An diabolo, qui impellit & ſupplantat? Dico iſtis ſubticentibus (ſi qui adſint) in faciem: *Vos ex patre diabolo eſtis;* (Ioan. 8 44.) ille enim homicida fuit ab initio, & vos homicidæ eſtis: tot enim occiditis, quot quotidie ad mortem ire tepidi & tacentes videtis. Quam habituri eſtis apud Deum veniam, vel quam defenſionẽ? Hoc ex parte Dei ſcitote: ſi non annũtiaveritis iniquis iniquitatem, ſanguinem eorum id eſt, animas eorum de manu veſtra requiret; ac proindè pro tot animabus rationẽ reddituri eſtis, quot ex ſubticentia veſtra perierint. Si fortè adeò indurati eſtis, ut vos non moveat ſalus proximi; dum auditis proximum in Deum blaſphemare, execrari, deteſtari, per Sacramenta & Chriſti Sanguinem jurare, tunc ſaltem zeletis zelum gloriæ & honoris Dei; ne tunc taceatis: alioquin dico, quòd ipſi blaſphemetis in Deum, & juretis, non minùs rei, quàm ipſi blaſphemantes & jurantes. Ne fortè in hac materia alicubi excedam, gratiam petam per eam, quæ eſt gratiâ plena. *Ave Maria.*

II. Si ſpiritualis homicida eſt, non ſolùm qui graviter delinquit, ſed etiam qui delinquentem non corripit, dum debet, & poteſt, magnus profectò Deicida eſt, non ſolùm qui in Deum blaſphemias evomit, ſed etiam qui blaſphemantem non monet. Veritatem hujus probant Theodoretus Quæſt. 33. & Procopius in Cap. 24. Levit. (Levitici 24. 15. 16.) ubi Deus promulgavit pœnam homicidii, hujuſmodi blaſphemo infligendam: *Meritò*, inquit Theodoretus, (Theodoretus.) *blaſphemo homicidii legem aptavit: quia blaſphemator, cùm Deum interficere non poſſit, linguâ ferit.* Procopius (Procopius.) autem ſic diſcurrit: *Blaſphemia, quâ inhonoratur Deus, conjungit homici-*

 dium;

dium; nam blaſphemus punitur ſic ut qui inſtituit blaſphemando nocere Deo, quamvis nemo mortalium nocere poſſit Numini: blaſphemi enim & homicidæ, idem eſt animus. In eandem ſententiam abit S. Bernardinus Sen. Tom. 1. Serm. 41. A. 2. Cap. 4. cui Deus revelare dignatus eſt horrorem, enormitatem, & gravitatem blaſphemiæ: *Lingua blaſphemantis, eſt gladius ſcindens & diſcerpens, ſi poſſit, Deum in plures partes.* Addat & ſua M. P. Auguſtinus apud S. Bernardinum Tom. 1. Serm. 41. Art. 2. C. 3. *Non minùs peccant, qui blaſphemant regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* NN. ſi, ut dixi, præ zelo fortè parùm excedam, ne malè capiatis; charitas Chriſti urget me, gloria, & honor Dei animat me; dico ergò vos non minùs Deicidas eſſe aliorum blaſphemias ſubticentes, quàm ipſos blaſphemos blaſphemias proferentes? plus dicam: Et vos, & blaſphemi pejores eſtis ipſo diabolo, cujus inſtitores eſtis. Præbete mihi benignas aures, ponderate rationes meas, & judicate, an non ſint fundatæ. Auſpice Deo incipio.

S. Bernardin.

S August.

III. Quòd diaboli Deum blaſphement, diabolicum eſt; quòd autem Chriſtiani, diabolicisſimum; undè lingua blaſphema meritò dicitur: *Lingua inflammata à gehenna.* Blaſphemantes dæmones audivit Joannes Apoc. 16. rationem addens blaſphemiæ: *Blaſphemaverunt Deum cœli, præ doloribus & vulneribus ſuis.* Blaſphemant, quia flagellati à Deo, & puniti ardoribus ſempiternis ſine ulla ſpe refrigerii. Quòd autem Deum blaſphement Chriſtiani, in aula Dei educati quæ eſt Eccleſia, ad menſam Euchariſticam elevati, amici Dei per gratiam Baptiſmalem effecti, adoptati in filios Dei, à Deo electi, ut darent laudem Deo, & lingua eorum eſſet quaſi vivum thuribulum, quo incenſetur Altiſſimus: Chriſtiani, de quibus. 1. Pet. 2. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, Gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum;* quòd illi, inquam, Deum blaſphement, quòd illæ ipſæ linguæ, quæ deberent eſſe annunciatrices Divinæ celſitudinis, audeant exhalare in faciem Dei halitum tam peſtiferum, quàm ex ipſo haberi poſſet inferno, quis non exhorreſcat? Quis non excandeſcat? quis non exclamet: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc?* Non poteſt ſe ultrà continere Sophonias Propheta: ſimiles alloquitur Cap. 3. *Væ provocatrix, & redempta civitas!* Væ tibi, Popule Chriſtiane, redempta civitas! Popule, tam pretioſo redempte Sanguine, linguâ tuâ blaſphemâ audes magis provocare Deum, quàm ipſi dæmones, omni redemptione indigni. Blaſphemant dæmones corde tantùm, blaſphemant Chriſtiani corde, & ore, perficientes deſideria patris infernalis: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria ejus vultis perficere;* ſicque, quod ipſi tantùm corde, per vos faciunt linguâ, teſte D. Chryſoſt. Hom. 79. ſuper Matthæum: *Diaboli linguam habet, qui ut diabolus loquitur.* Hinc D. Bernardinus Seneſ. de Paſſione Domini, blaſphemos alloquitur. *O homines infernales! O conſocii inferorum! Cuilibet veſtrûm dici poteſt, quod dictum eſt*

Jacobi 3. 6.

Apoc. 16. 11.

1. Petri 2. 9.

Ieremiæ 2. 12.

Sophoniæ 3. 1

Ioan. 8. 44.

S. Chryſoſt.

S. Bernardinus Seneſ. ubi ſuprà.

eſt Petro: Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit; omnes namque blaſphemorum linguæ, dæmonum fiſtula, vel ora ſunt. Ita ut lingua blaſphema meritò dicatur: *Lingua inflammata à gehenna.* Audiant hæc, qui vix quatuor aut quinque verba proferunt, quin tria ſint blaſphema; audiant, inquam, & ſuffundantur pudore. Quis canis dari poteſt magìs rabidus illo, qui non ſolùm Dominum ſuum mordet, ſed & mordet cibantem? Quis ferat, Chriſtianos, Agni immaculati redemptos Sanguine, ad illam arrogantiam, & impudentiam pertingere, ut Deum ſuum injuriis onerare, eique maledicere audeant? *O præſumptio nequiſſima undè orta es?* Eccl. 37. Quis ferat, modernorum Chriſtianorum damnabilem conſuetudinem, vix aperientium os ſuum, quin per Deum, Chriſti Sanguinem, ejuſque Sacramenta jurent, & deteſtentur, etiam ad confirmanda mendacia, in quorum ſermonibus, ſecundùm Auguſtinum: *Plura ſunt juramenta, quàm verba?* Audiendus ad hoc propoſitum Salvianus Lib. 4. de Gubern. Dei: "Quis eſt omninò hominum ſecularium, præter paucos, quin ad hoc ſemper Chriſti nomen in ore habeat, ut pejeret? Undè etiam pervulgatum hoc ferè, & apud Nobiles, & apud ignobiles, Sacramentum eſt: *Per Chriſtum; Per Chriſtum, quia hoc facio; Per Chriſtum, quia hoc ago; per Chriſtum, quia nihil aliud dicturus ſum; Per Chriſtum, quia nihil aliud acturus ſum.* In tantum apud plurimos nomen hoc parvi-penditur, ut numquam minùs cogitent quidpiam facere, quàm cùm ſe jurant per Chriſti nomen eſſe facturos." Ita ille.

Eccl. 37. 3.

S. Auguſt.

Salvianus.

Multi habent continuò Chriſti nomen in ore, quaſi nomen eſſet viliſſimi hominis, &c, ſummi ſcurræ, aut nebulonis; imò eò deveniunt, ut blaſphemo ore ſuo Deum audeant ſuum tortorem facere; quod fit, dum imprecantur proximo, ut percutiat eum peſte, morte, &c. ſeipſos judices facientes, Deum verò tortorem. Putatiſne à me inventū? Cogitatio hæc eſt inter Pares, doctiſſimi & ſanctiſſimi Auguſtini: *Judex per ſeipſum reum non occidit*; ipſe jubet, & tortor exequitur: *Judex dicit: Occide; & tortor occidit.* Blaſphemi jam vos M. Auguſtinus alloquitur: *Et tu, quando dicis Domine: Occide inimicum meum: te facis judicem, & Deum quæris eſſe tortorem.* O vos impudentes! Quomodò id exprobrabit vobis in judicio: *Servire me feciſti in peccatis tuis*, dum adeò me humiliâſtis, ut tortoris vices pro vobis obirem. Et adhuc velletis prætexere malam conſuetudinem, aut choleram? Itane?

S. Aug. Serm. 4. de Steph.

Iſa. 43.

IV. Quoad primum, peto à vobis: Numquid inſignis foret illa excuſatio unius ob furta ſuſpendendi, ſi diceret judici: Revoca ſententiam ſuſpendii, quia ex conſuetudine furatus ſum? Numquid illi reſponderet judex, & bene: Ob illam tuam furandi conſuetudinem non unum tantùm, ſed plurima promeritus es patibula? quia ſcilicet peccare ex conſuetudine, ſecundùm D. Thom. 2. 2. Q. 156. A. 3. eſt peccare intenſiùs, conſequenter graviùs. Quoad choleram, vos judices volo: ſi quis ex cholera intuliſſet

D. Thomas.

tuliſſet vobis graviſſimam injuriam, excuſaretis ipſum ratione cholerae? Quis mihi hoc perſuaſerit? Et vultis propter choleram excuſari ab injuriis Deo illatis. Alii, dicunt: Non blaſphemo: Non juro in deſpectum Dei, ſed ut terream domeſticos meos, aut alios. Chari Chriſtiani, ideòne Deus factus homo? Ideòne Sanguinem fudit, ut in domibus veſtris S. Nomen, & Sanguis ejus ſerviant vobis ut famulos, ancillas, domeſticos veſtros terreatis? Ut eos objurgetis, & ad obedientiam compellatis? Dicite, quæſo: ſi videretis aliquem in campo ad abigendas aves Planetam aſſumere, aut Caſulam, quæ ſolùm ſerviunt ad Miſſæ ſacrificium, numquid indignaremini, diceretis: quaſi verò non darentur alia ad terrendas & abigendas aves? An deſunt vobis alia verba, aut media, ad terrendum, aut objurgandum domeſticos, ut tam horrendas evomatis blaſphemias? & os veſtrum aperiatis in cœlum, in Chriſti Sacramenta, & Sanguinem ejus? Det Os Aureum veram rationē tantæ infamiæ: Non eſt, inquit, impetus iræ, aut choleræ: non eſt intentio terrendi, ſed quia

S. Chryſoſt. *Neſcitis, quid ſit Deus, & quali debeat ore vocari* Chryſoſt. Hom. 26. in Matth. Illa eſt ratio, non alia. Do probam in peſſimis Judæis

V. Matth. 27. Pendentem Chriſtum in Cruce blaſphemabant, moventes capita ſua, & dicentes: *Vah*,

Matt. 27. 40. *qui deſtruis templum Dei. Si Filius Dei es, deſcende de Cruce.* Quomodò poſſibile, quòd in illum blaſphemaverint, cujus miracula viderant, doctrinam audierant, etiam in ipſa Paſſione? Quæritis rationem? Ex ipſo ſacro Textu illam dat Eccleſiæ Doctor Ambroſius: *Prætereuntes blaſ-* Verſ. 39. *phemabant.* Si ex adverſo ſtetiſſent cum Centurione, & cogitâſſent, quòd manus illæ, tam crudeliter Cruci affixæ, creâſſent cœlum & terram, quòd ex illis manibus, pedibus, latere, fluerent illis fontes ad abluendas animas, indubiè non blaſphemâſſent eum, ſed cum Centurione pectora percuſſiſſent, & confitentes ipſum Deum, petiiſſent ab eo veniam peccatorum, & illa blaſphemantes non multiplicâſſent. Idem dico blaſphemantibus Deum, jurantibus per Sanguinem ejus, & excuſantibus ſe, quòd jurent tantùm ex cholera: ſi cogitarent, quòd Deus, in quem blaſphemant, ipſe ſit, qui ex nihilo illos creavit: ipſe, qui paſcit: ipſe, qui protegit: ipſe, qui Redemptor eorum: ipſe, qui redemit eos Sanguine ſuo: ipſe, ipſe, qui fortè brevi, imò citiùs, quàm putent, futurus eſt judex eorum, indubiè non ita abuterentur ſancto Nomine ejus: ſed ingemiſcerent, & Divinam ejus miſericordiam implorarent.

VI. Si hæc non moveant vos, quotquot eſtis blaſphemantes, execrantes, jurantes: ſi non tangat vos injuria, Deo, pretioſo Sanguini, & Sacramentis ejus illata, ſaltem vos moveant ſcandala, quæ datis blaſphemando, jurando, pejerando. Cogitate, quot peccata Aliena committatis, quot veſtris blaſphemiis, execrationibus, & deteſtationibus doceatis blaſphemare, execrari, & deteſtari. Volvite, & revolvite SS. Paginas, tantam in illis inter blaſphemiam & ſcandalum invenietis

concor-

concordantiam, ut confundant unum cum altero, vocando blaſphemantes ſcandaloſos; utpotè per ſcandalum ſuum dantes occaſionem, quòd blaſphemetur Nomen Dei. Habetis expreſſam veritatem 2. Reg. 12. in Nathan, exprobrante Davidi: *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Ignis ſylvam comburens, non tantam ſtragem facit, inquit Apoſtolus Jacobus, quàm lingua mala, lingua blaſphemans, jurans, & execrans; & ideò ab illo vocatur: *Univerſitas iniquitatis.* Et quando, quæſo, lingua eſt nequior, quàm dum blaſphemat in Deum? In illa Academia docentur filii & filiæ, blaſphemare Deum, ad exemplum patris; diabolicam illam lectionem addiſcunt inſenſibiliter, per acquiſitos habitus ex illa continua auditione. In illa Academia omnes domeſtici ejuſdem domûs addiſcunt funeſtam illam jurandi methodum, ad exemplum magiſtri. In illa Univerſitate aurigæ, nautæ, opifices loquuntur & audiunt, dant & recipiunt illas lectiones infernales. NN. quot blaſphemias & juramenta alios docueritis, & quot blaſphemare & jurare feceritis, omnia eorum peccata blaſphemiæ imputabuntur vobis; & licèt numquam juraveritis, ſi alios jurantes & blaſphemantes, cùm potuiſtis, & debuiſtis, non corripueritis, coram Deo rei eſtis, & peccâſtis ſexto Peccato Alieno, ſcilicet *Subticentiâ* culpæ alienæ. Probo aſſertum

2 Reg 12. 11. Iacobi 3 6.

Levit. 5. VII. Levit. 5. *Si peccaverit*, inquit Deus, *anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quòd aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem.* Quid ad hæc illi, qui non ſolùm proximum, ſed domeſticos, proles, & ſibi ſubditos, in Deum, Sanctos, & Sacramenta blaſphemare audiunt, nec magìs indè moventur, quàm ſi honor Dei illos non tangeret: quinimò cum illis rident, qui in Deum, & Religionem diſcurſus evomunt, Atheiſmum potiùs, quàm Chriſtianiſmum ſapientes? *Niſi indicaverit, portabit iniquitatem.* Si non increpent eos, ſi non fortiter ſe illis opponant, portabunt iniquitatem eorum, de omnibus injuriis, ab illis Deo illatis, rationem reddituri. Sed, antequàm eò deveniant, ut ſuper his pudore ſuffundantur (ſi quis fortè adhuc in illis ſit) peto ab illis, an, ſi audirent patri, matri, uxori, filiis, aut conſanguineis injuriam inferri, illam ſuſtinerent? Num injuriam inferenti ſe opponerent, & honoris reparationem prætenderent? Non expecto deſuper reſponſum. Et quaſi honor Dei vos non tangeret, ad offenſas, blaſphemias, injurias illi illatas, eſtis inſenſibiles? Ad minùs tantum pro Deo facite, quantum Deus pro vobis; tanto erga vos fertur affectu, adeò illi chari eſtis, ut omnes illatas vobis injurias, habeat ſuas; quidquid vos tangit, quantumcumq; exiguum, ſentit medullitùs; qui vobis nocent, ipſum offendunt; & qui illum offendunt, non offendent vos? Veſtrum intereſſe, habet ut ſuum; & non erit ipſius veſtrum? Tanto zelo fertur erga vos, ut, ſi quis vos offendat in veſtra perſona, honore, & bonis veſtris, illum æternùm

damnet, æternùm vindicaturus illatas vobis injurias, licèt etiam ſummus fuiſſet amicus ejus. Et ſi conculcetur honor & blaſphemetur Nomen ejus, vos tacentes ſuſtinebitis, & ad omnes illatas ei injurias eritis inſenſibiles? Quâ veritate audetis recitare Orationem veſtram Dominicam? Quâ fronte dicere: *Pater noſter*, qui es in cœlis, *Sanctificetur nomen tuum? Si ergò Pater ego ſum*, replicat Deus, *ubi eſt honor meus?* Sanctiſſimum Dei Nomen injuriis laceſcere, & blaſphemare, & blaſphemantes non corripere, non eſt ſanctificare illud, ſed ſacrilegè prophanare, & conculcare. Audite, quid in confuſionem veſtram narret Eccleſiæ Doctor Ambroſius Lib. 6. Hexameron. Cap. 4. Do verba ejus. D. Ambroſius.

VIII. "Antiochiæ ferunt in „remotiori parte urbis crepuſcu„lo necatum virum, qui canem „ſibi adjunctum haberet. Miles qui„dam prædandi ſtudio miniſter ce„dis extiterat: tectus idem tenebro„ſo adhuc diei exordio, in alias par„tes conceſſerat. Jacebat inhuma„tum cadaver, frequens aſtantium „vulgus aſtabat: canis quæſtu „lacrymabili Domini deflebat æ„rumnam. Fortè is qui necem intu„lerat (ut ſe habet verſutia humani „ingenii) quò converſandi in medio „auctoritate præſumptâ fidem affi„ſceret innocentiæ, ad illam cir„cumſpectantis populi acceſſit co„ronam, & velut miſerans appro„pinquavit ad funus. Tum canis, „ſequeſtrato pauliſper queſtu dolo„ris, arma ultionis aſſumpſit, atque „apprehenſum tenuit, & velut epi„logo quodam miſerabile carmen „immurmurans, univerſos conver„tit in lacrymas, fidemq; probatione „detulit, quòd ſolum tenuit ex plu„rimis, nec dimiſit. Denique per„turbatus ille, quòd tam manife„ſtum rei indicem, neque odii, ne„que inimicitiarum, neque invidiæ, „aut injuriæ alicujus poterat obje„ctione evacuare, crimen diutiùs „nequivit refellere. Itaque, quod „erat difficiliùs, ultionem perſecutus „eſt, quia defenſionem præſtare non „poteſt.„ Subjungit Ambroſius: *Quid nos dignum noſtro referimus Creatori, cujus cibo veſcimur, & diſſimulamus injurias: & ſæpè inimicis Dei, eas, quas à Deo accepimus, epulas exhibemus?* S. Ambroſ. Canis movetur, ut Domini ſui mortẽ vindicet, ob vitæ ſuſtentationem ab eo habitam: & vos non movemini zelo vindicandæ injuriæ Deo illatæ, à quo habetis beneficia innumera? Beſtia inſenſata non patitur vivum benefactoris ſui occiſorem: & vos apertis oculis & auribus, videtis, & auditis injurias ſupremo Monarchæ illatas, infinitis beneficiis ab eo onuſti? *Quid nos dignum noſtro referimus Creatori, cujus cibo veſcimur, & diſſimulamus injurias?* Qualis pudor pro Chriſtianiſmo! Gentiles non permittunt ſic Deum tractari.

IX. Dan. 3 Nabuchodonoſor, videns quòd Deus Iſraël illæſos conſervâſſet in fornace ardente tres juvenes, publicat hoc edictum: *A me ergò poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcumq; locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, diſpereat, & domus ejus vaſtetur.* Dan. 3. 96. Quid dico Gentiles? Turcæ ſurgent contra nos in judicio, ſiquidem impius Mahometes

metes ipſorum legiſlator in ſuo Alcorano inviolabilem hanc ipſis propoſuit & dedit legem, quòd, quicumque auderet blaſphemare Nomen Dei, Chriſtum, aut B. Virginem Deiparam, ſecaretur per medium; ita affirmat S. Bernardinus Senenſis ſuprà citatus, dicens: *Mahometes, infideliſſimus canis, in ſuo Alcorano præcipit, quòd, quicumque Deum, Chriſtum, aut etiam B. Virginem blaſphemaret, medius divideretur.* Auditis hoc, Chriſtiani? Auditis Catholici? Et à veſtris Nomen Dei totâ die blaſphematur, & tacetis? Numquid hoc horrendum? Meritò Os aureum aſſerit Hom. 66. ſup. Joan. *Non ita blaſphematur Deus ab impio Gentili, ſicut à Chriſtiano.*

Bernardinus Senenſ.

X. Quid hic in confuſionem veſtram Gentiles, & Turcas in medium profero? Audite quid narret Auctor Conformitatis & erubeſcite. Exorcizabat Sacerdos quidã Ordinis Seraphici quandam dæmoniacam: unus ex circumſtantibus, fidem daturus verbis ſuis, jurabat *Per Sanguinem Chriſti*, rem ſe ſic habere. Ad hæc verba cœpit mulier horribiliſſimè fremere intra ſe, tauri inſtar mugire, ſtridere dentibus, oculis fulgurare, naribus fumum, ore flammas emittere, quaſi à tota furia infernali agitari viſa, ut eum feriret, & unguibus dilaceraret; quod indubiè factum fuiſſet, niſi adſtans & exorcizans Sacerdos id impediviſſet: qui percuſſis ſtolâ manibus ejus, præcepit diabolo, ne impediret eam, tantæ perturbationis rationem edicere; tunc obediente diabolo, dicebat illa: (ſtupete, & exhorreſcite) inhorrui ad hujus impii blaſphemiam, *Per Chriſti Sanguinem* jurantis, qui pro redimendis peccatoribus pretioſiſſimum Sanguinem ſuum fundere dignatus eſt. Subjunxitque: Ad nomen Sanguinis Jeſu Crucifixi omnes diaboli genua flectunt: ſicut ſcriptum eſt: *Omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum:* Philip. 2. & hic impudens tantâ irreverentiâ audet jurare. *Per Sanguinem Chriſti.* Quid ad hæc NN. qui Chriſtiani nomine gloriamini? Diaboli, jurati Jeſu Chriſti inimici, non patiuntur, ut Sanguis Chriſti irreverenter nominetur, & vos, pretioſo illo Sanguine redempti, auditis indies Nomen Dei blaſphemari, imo & domeſticos veſtros jurare per Sanguinem, mortem Chriſti, & ſacro-ſancta Sacramenta ejus, & tacetis, imò & ridetis?

XI. Utinam hodiè eo ſpiritu dicere poſſem ad vos NN. in hac cathedra, quod D. Chryſ. dixit in ſua ad populum Antioch! "Poſtquàm „de blaſphemia vobis verba nunc „facta ſunt; unam vos omnes „petere volo retributionem pro „Concione hac, *Ut in civitate* „*blaſphemantes* caſtigetis: & ſi „quempiam in bivio, & in foro „Deum blaſphemantem audieris, „accede, increpa: *Et ſi verbera oportеat infligere, ne recuſes: ipſius faciem* S. Chryſoſt. Hom. 1. ad pop. Antioch. „*alapâ percute, contere os ipſius, &* „*manum tuam percuſſione ſanctifica.* „Et ſi ulli accuſaverint, & ſi in carcerem traxerint, ſequere: & ſi „pœnas judex pro tribunali repopoſcerit, dic cum libertate, quòd „Angelorum Regem blaſphemaverit. Si enim Regem terræ blaſphemantes puniri oportet, multò

„magis

„magis illum contumeliâ afficien-„tes.” Ita ille. Si vobis tanti non ſint animi, ſaltem increpate blaſphemantes, & dicite illis in faciem: *Cui exprobrâſti? Et quem blaſphemâſti? Et ſuper quem exaltâſti vocem?* Siccine conculcatis Deum, cui ipſo momento in cœlo à ſpiritibus beatis dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Laudabile quidem eſt, patienter ſufferre illatas ſibi injurias: ſed ad illatas Deo tacere, non ſolùm ſumma ingratitudo, & iniquitas eſt, ſed tacitè in Deum blaſphemare. Diſcite hanc veritatem à Magno Eccleſiæ Leone

Iſaiæ 37. 33.

XII. *Statuimus*, inquit ille in Concil. Later. ultimo, Seſſ. 9. *ut ſeculares judices, qui contra tales non animadverterint, eoſque juſtis pœnis non affecerint, quantùm in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxii, iiſdem quoque pœnis ſubjiciantur: qui autem in illis perquirendis, puniendis diligentes & ſeveri fuerint, quâlibet vice decem annorum Indulgentias conſequantur.* Audiendus hîc iterùm D. Bernardinus Tom. 10. Serm. 4. C. ult. Non ſolùm blaſphemi ſunt culpabiles apud Deum, ſed & illi, qui, cùm poſſint, & teneantur, huic ſceleri contradicere, & obviare non curant. Participes ſunt Prælati, & animarum Rectores, qui, ſi in correptione hujus ſceleris ſunt negligentes, Judæis ſunt deteriores, qui, auditâ blaſphemiâ, lapidabant blaſphemantem; ſi hoc agere non poterant, aures obturabant, & veſtes ſcindebant. In hoc ſcelere participes ſunt Domini, & regimina habentes civitatum, de correptione hujus vitii non curantes. Quid ad hoc Patres-familias, qui ſervos & ancillas; parentes, qui proles jurare

S. Leo in Conc. Later. Seſſ. 9.

D. Bernardin.

audiunt, & non aperiunt os ſuum? Audiant, & exhorreſcant ad ea, quæ narrat D. Greg. Lib. 4. Dialog. Cap. 8. quiſque novit, qualis auctoritatis ſemper fuerit in Eccleſia, quod nemo abſque horribili temeritate revocare poſſet in dubium ea, quæ dicit tantus Doctor, tantus Sanctus, tantus Papa: “*Omnes*, in-„quit, *parvulos, qui loqui poſſunt, regna* „*cœleſtia ingredi, non eſt credendum*; „quia nonnullis parvulis ejuſdem „regni cœleſtis aditus à parentibus „clauditur, ſi malè nutriantur. Nam „quidam vir, cunctis in hac Urbe „notiſſimus, ante triennium, filium „habuit, annorum, ut arbitror, quin-„que: quem nimis carnaliter dili-„gens, remiſsè nutriebat: atque „idem parvulus, quod dictu grave „eſt, mox ut ejus animo aliquid „obtigiſſet, Majeſtatem Dei blaſ-„phemare conſueverat: qui in hac „ante triennium mortalitate percuſ-„ſus, venit ad mortem: cùmque „eum ſuus pater in ſinu teneret, „ſicut teſtati ſunt, qui præſentes „fuerunt, malignos ad ſe veniſſe „ſpiritus, trementibus oculis puer „aſpiciens, cœpit clamare: Obſta, „Pater: Obſta, Pater; qui clamans „declinavit faciem, ut ſe ab eis in „ſinu patris abſconderet: quem „cùm ille trementem requireret: „Quid videret? puer adjunxit: Mau-„ri homines venerunt, qui me tol-„lere voluerunt; qui cùm hoc di-„xiſſet, Majeſtatis nomen protinùs „blaſphemavit, & animam reddi-„dit. Ut enim Omnipotens Deus „oſtenderet, pro quo reatu talibus „fuiſſet traditus executoribus, undè „viventem pater noluit corrigere,

D. Gregor.

„hoc

„hoc morientem permiſit jurare, „ut qui diu per Divinitatis patien- „tiam blaſphemus vixerat, quan- „doque per Divinitatis judicium „blaſphemaret, & moreretur: „quatenùs reatum ſuum pater ejus „agnoſceret, & quí parvuli filii „animam negligens non parvulum „peccatorem *Gehennæ ignibus nu-* „*triſſet.*" Hactenùs D. Gregorius. Ex his colligite, quàm ſeverè puniat Deus maledicos, blaſphemantes, & jurantes, in hoc & in futuro ſeculo. Audite de his loquentem Prophetam Regium

Pſalm. 36. 22. XIII. Pſalm. 36. 22. *Maledicentes autem ei, diſperibunt*: id eſt, inquit Gloſſa, *Variis modis peribunt.* Concinit Davidi Eccleſiaſticus

Eccli. 23. 12. 23. 12. *Vir multùm jurans, replebitur iniquitate, & non recedet à domo ejus plaga.* Vel ſi mavultis Dei verba, do illa Deut. 5. 11. *Non erit impu-*

Deut. 5. 11. *nitus, qui ſuper re vana Nomen ejus invocaverit.* Non evadetis manus Dei, non, non, non evadetis: nolite decipi, talia verba non cadunt in terram; ſcribuntur omnia, & pro illis apud Deum contrahitis debitum, quod non eritis ſolvendo. Zachar. 5. 2. Videt Propheta falcem volantem: *Vidi*, inquit, *fal-*

Zachar. 5. 2. *cem volantem.* Curioſitate ductus, ſuper quem falx illa caſura eſſet, audit de cœlo vocem: *Veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in Nomine meo mendaciter.* Magna inter furem & jurantem ſymboleitas, & relatio: quia, qui fur eſt, facilè jurat, & execratur; undè ambo æqualiter puniendi. Dicit Propheta, ſe falcem volantem vidiſſe: hoc eſt, inquit Os aureum, magnâ feſtinatione, & abſque temporis dilatione. Sed quænam iſtis eventura ſunt mala? *Et commorabitur in medio domûs ejus, & conſumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.* Ita totam familiam jurantis & ſubticentis deſtruet, quòd ne vel veſtigium ejus ſupererit, aut memoria. Subjungit Propheta: *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur.* Parùm foret, ſi temporalia mala ſolùm eos manerent: graviora ſunt, de quibus Deus ipſe Levitici 25. 15. *Homo, qui maledicit Deo ſuo,* Levit. 25. 15.
portabit peccatum ſuum. Non relinquent, ut cæteri converſi peccatores, peccatum ſuum in mundo, ſed morientes ſecum portabunt; & quò, quæſo, portabunt? In abyſſum: inter diabolos, de quorum Synagoga ſunt non ſolùm blaſphemantes, & jurantes, ſed etiam permittentes, diſſimulantes, & non corrigentes. Quis enim illorum magìs blaſphemet, aut juret, ignoro: quia, *Qui non vetat, vetare cùm poteſt, jubet.* Ergò Subticentes, non corripientes blaſphemantes, & jurantes, attendite, ſi non inſurdeſcitis in aure cordis: audite, quid de vobis

XIV. Apoc. 21. 8. Dicat Evangeliſta: *Timidis autem, & incre-* Apoc. 21. 8.
dulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardente igne, & ſulphure. Intelligitis hoc, & creditis NN? Sive credatis, ſive non, non deſinet propterea eſſe verum. Si increduli eſtis verbo Dei, quod prædicatur, ſi blaſphemi, ſi homicidæ eſtis, vel opere,

 vel

vel voluntate per radicatas inimicitias, ſi impudici eſtis, aut mendaces, aut ſubjecti alteri ſimili vitio, habitatio veſtra erit in ſtagno ardente. Sed unum verbum dicit Evangeliſta, quod meritò omnes intimidet: *Timidis autem* ſtagnum ardens igne & ſulphure paratum eſt. *Timidis* Prædicatoribus, qui præ timore non prædicant neceſſarias veritates, & non reprehendunt vitia: *Timidis* Confeſſariis, qui non negant Abſolutionem indignis, ſignanter blaſphemantibus Nomen Dei, & non corrigentibus eos. Nolite decipi, non eſt res indifferens, non corrigere ſimiles: agitur de veſtra ſalute, ſi non vos opponitis illis juratoribus, blaſphemis, qui ſunt de Synagoga Libertinorum. Ergò NN. mei, vos omnes alloquor cum Apoſtolo,

Epheſ. 4. 31. XV. Epheſ. 4. 31. *Blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*: exterminetur per vos blaſphemia, peccatum, quod conjunctum habet omnem malitiam. Notate verba: non eſt vel unum, quin habeat pondus ſuum: *Tollatur*, inquit Apoſtolus, non à blaſphemantibus tantùm, ſed ab omnibus: *A vobis*: quia eſt commune intereſſe, ut de mundo tollatur peccatum, adeò contrarium honori divino: *Tollatur* per Prædicatores, in tam grande peccatum invehendo: *Tollatur* per Confeſſarios, Abſolutiones ſuſpendendo: per Prælatos, Cenſuras infligendo: per Principes, mulctando: per Patres-familias, ſubditos reprehendendo: *Tollatur* abuſus ille infernalis, blaſphemandi, jurandi, &c. *Tollatur* ab ore: *Tollatur* ab aure: *Blaſphemia tollatur, cum omni malitia*; non dicit Apoſtolus: *Cum omni iniquitate*: non enim blaſphemiam comprehendit ſub genere communi iniquitatis, ſed *Iniquitatis peſſimæ, quæ dari poteſt*: ſed iniquitatis illius, quæ malitia dicitur. Hinc peccatum illud dicitur *Irremiſſibile*, non, quòd non remittatur, ſed quòd difficulter remittatur, ob ſpecialem, quam involvit malitiam: ſecundùm illud Job 13. 16. *Condemnati erunt omnes, qui blaſphemaverint in te.* Jo. 13. 16.

XVI. Si qui ergò hîc blaſphemi, maledici, & juratores, iterùm vos moneo cum Apoſtolo: *Blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia*: & rogo vos, obteſtorque, ut ſuper commiſſis doleatis, & emendetis vos, abrogetiſque maledictam illam jurandi conſuetudinem, & blaſphemantes maledicos coërceatis. Felices vos, ſi correctioni meæ aures præbueritis, ſic ego lucratus fuero fratres meos, & de titionibus infernalibus, ſplendentes cœli ſtellas effecero; ſi autem duri, & obſtinati in maledictis veſtris blaſphemiis perſeverare, nulloſque ex hac mea monitione fructus percipere velitis, cogetis me ad Deum convertere, & dicere: *Sint tibi*, Pater æterne, Fili ſapientiſſime, Spiritus ſancte, ſanctiſſima Trinitas, *Sint tibi*, quid? quid dicam? *Sicut Ethnicus, & Publicanus.* Deus Omnipotens, cùm blaſphemi illi maledici nolint deſiſtere ab injuriis, quibus ſanctiſſimum Nomen tuum laceſcunt, Mt. 18. 17.

Exurge,

Pſalm.7.7. *Exurge, Domine, in ira tua*: ne permittas Divinæ Majeſtati tuæ adeò ingratos, ultrà vivere ſuper terram, qui tacentes audiunt Nomen ſanctum tuum blaſphemari; caſtiga eos virgâ juſtitiæ tuæ. Sed quò me abripit zelus nimius? Abſit, abſit, ut tantum eis eveniat malum.
Joel.2.17. Revoco, Domine, revoco, quod dixi. Oro te, & ſupplico: *Parce, Domine, parce populo tuo.* Amantiſſime Salvator, mitte ex hoc ſacratiſſimo latere tuo ſagittas amoris, & ex ore faculam ardentem, quæ ita corda eorum transfigant, & accendant, ut verè contriti, doleant de præteritis, & proponant ſeriò, de cætero exaltare Nomen ſanctum tuum, omnem avertere injuriam, & occludere ora loquentium iniqua: *Sint tibi*, Pater æterne, chariſſimi filii: *Sint tibi*, Fili ſapientiſſime, fratres amantiſſimi: *Sint tibi*, Spiritus ſancte, ſponſæ dilectiſſimæ: *Sint tibi*, SS. Trinitas, fideles ſervi, & in hac & in altera vita. Amen, amen.

FERIA IV. DOMINICÆ III. ADVENTUS

Miſſus eſt.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Sine *Maria* non perficitur Incarnationis myſterium ut, ſicut Eva ſerpenti conſentiendo, & Adam Evæ connivendo principium extitêre ruinæ Univerſi, ita *Maria* Angelo conſentiendo ſalutis noſtræ eſſet exordium: & ideò per potens verbum ejus *Fiat*, facta eſt Mater Dei, ut eſſet mater rei, non cujuſcumque, ſed emendare ſe volentis.

I. SEptimum peccatum Alienum
1.Reg.1.3.10. eſt *Conniventia*. Alia tamen eſt bona, alia mala; hodie de bona cras, Deo dante, acturi de mala.
Pſalm.93.1. Daniel.94. In lege veteri Deus vocabatur: *Dominus exercituum*: *Deus ultionum*: *Deus terribilis*: in tantùm, ut filii
Exodi 20. 19. Iſraël Exodi 20. 19. ſupplicarent Moyſi: *Non loquatur nobis Deus, ne fortè moriamur.* Homo factus, qui peccatoribus fuerat Leo horribilis, dictus & factus eſt Agnus
Joan 1. 29. Sap.11.24. manſuetus: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Qui *Diſſimulat peccata hominum*, non illa ulciſcens, ſed connivens, ut reſipiſcentes, gratiæ ipſius participes eſſemus: & converſi, pœnitentiam ageremus. Deum offenderat Adam peccato Conniventiæ, Evæ, ſerpenti conſentienti, connivens, dum eam corripere oportebat: ſicque peccans peccato Conſenſûs, duplex incurrebat peccatum Alienum, factus ruina totius generis humani. At ſicut Eva, ſerpenti conſentiens principium exſtitit ruinæ Univerſi, ita Mariæ conſenſus ſalutis exſtitit,

exſtitit. Decretum erat in magno Concilio, quod Verbum Incarnaretur: conſenſerat Pater, Spiritus edixerat, quod Mariam obumbraret: Verbum *Exultabat ut gigas, ad currendam viam*: & tamen tantum Incarnationis myſterium non perficitur, niſi Mariâ conſentiente. S. Petrus Damianus, quaſi magni concilii Secretarius eſſet, ſic loquitur: *Per ipſam, & in ipſa, & ex ipſa, totum hoc faciendum decernitur, ut ſicut ſine illo factum eſt nihil, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Audite Mellifluum Bernardum, Mariam, ad Angeli affatum turbatam, alloquentem: *Expectat Angelus, expectamus & nos, O Domina, verbum Miſerationis tuæ. Ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis, in tuo brevi reſponſo ſumus reficiendi, ut ad vitam revocemur: ex ore tuo pendet ſolamen miſerorum, redemptio captivorum, ſalus denique univerſorum. Hoc ſupplicat te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum miſera ſobole ſua.* Nec mora: *Ecce*, inquit, *Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Prævidens in Spiritu Propheta Regius, quod *A ſummo cælo egreſſio ejus*, confidentiâ plenus, exclamat: *Ab occultis meis munda me, & ab Alienis parce ſervo tuo.* Confidamus & nos, per hoc Sacratiſſimum myſterium non ſolùm ab occultis, & Alienis, ſed ab omni quocumque peccato mundandos. Oſtendo hodie, quod ſacratiſſima Virgo, Angelo conſentiendo, facta ſit Mater Dei, ut eſſet mater rei, non cujuſcumque, ſed corrigere ſe volentis. Præbete aures Incipienti. *Ave Maria.*

S. Damianus Serm. 1. de Nat. B. V.

S. Bernardus Serm. 4. Sup. Miſſ.

Pſalm. 18.

II. Quæro cum S. Irenæo: *Quid eſt, quòd ſine Mariæ conſenſu non perficitur Incarnationis myſterium?* Quid eſt, quòd æternus & Omnipotens Deus, in cujus manu ſunt omnes creaturæ ejus, antequàm Incarnaretur Verbum in puriſſimo Virginis utero, miſerit Angelum ad annuntiandum ei, tam ineffabile myſterium, ejuſque præſtolandum conſenſum, ſic ut abſque illo numquàm fuiſſet perfectum? Reſpondet D. Chryſol. Serm. 142. *Agit cum Maria Angelus de ſalute quia cum Eva angelus malus egerat de ruina, ut noſtræ perditioni conveniens reparationis noſtræ principium reſponderet.* At ad rem noſtram cum D. Ambroſ. quæſtioni à ſe objectæ reſpondet S. Irenæus apud Cornelium in Prov. Cap. 31. Verſ. 9. *Quia vult illam Deus omnium bonorum eſſe principium.* Sic eſt NN. per efficaciſſimum Virginis *Fiat*, concluſum eſt negotium omnium ſeculorum, negotium, cui ab æterno tota Sapientia divina incubuit: per hoc *Fiat* dirimitur lis illa magna, revocatur ſententia, ſuſpenduntur pœnæ, deletur Chirographum antiqui decreti, reſcinduntur acta, & actitata divini tribunalis, redditur homini libertas filiorum Dei: illo *Fiat* ita placatur Deus, ut odium vertat in amorem, furorem in manſuetudinem, iram in amplexus, maledictionem in benedictionem, ſpinas in flores, tribulos in roſas, triſtitiam in gaudium, Adam in Chriſtum. Per hoc *Fiat*, *Facta ſunt omnia nova*; *Illo Fiat Sol natus eſt*

S. Irenæus.

S. Chryſologus.

S. Ambroſius.
S. Irenæus.

S. Bernardus.

de

de ſtella (ut, inquit Mellifluus) *Pater de Filio*, *Creator de creatura*, de tempore æternitas; de vitio tranſitur ad virtutes, de culpa ad gratiam, de pœna ad gloriam, de homine vetere ad novum. O potens *Fiat*, quo Filius Dei, carne noſtrâ veſtitur, ut veſtiat nos ſpiritu ſuo; quo exaltat nos in ſe, ut in nobis deprimat ſe; quo Deus unitur naturæ humanæ, ut nos uniat Divinæ, aſſumens formam hominis, ut transformemur in Deum. O *Fiat*, quo mediante labia Sponſæ diſtillant myrrham primam: *Labia ejus ſtillantia myrrham primam*: ad ſanandum peccatoris vulnera. Cant 5. 13. *Fiat*, verbum breve, ſed potentiſſimum, in compendio reſtringens immenſitatem Verbi æterni: Rom.9 28. *Verbum abbreviatum faciet Dominus ſuper terram.* Tu ramus olivæ in ore Virgineæ Columbæ, indicans ceſsâſſe Divinæ Juſtitiæ diluvia, & hominibus cum Deo pacem annuntians. Tu vera Clavis David, aperiens, & effundens theſaurum Divinitatis in mundi redemptionem.

III. Ne quis putet *Mariam* in Annuntiatione ſolummodò declaratam, omnis boni noſtri principium, adhuc in utero Prophetiæ clauſa, tota in bonum humani generis oſtenſa eſt: ſub umbra Rubi Exod. 3. 2. Moyſaici, amoris ſui igne nos liberans à ſervitute pluſquàm Ægyptiaca: in figura Arcæ Noëticæ, in Gen.7. 7. ſinu miſericordiæ ſuæ præſervans nos à naufragio æterno: in area Gedeonis, tamquàm Vellus rore Jud. 6 37. madidum, in limpidiſſimis illis margaritis figurans felicitatem dierum æternorum. Quàm floridum gratiarum ver annuntiabat in Num 17. 8. Virga Aaronis? Quàm aureum ſeculum pluebat in Nubecula Sanctiſſimi Patris Noſtri ELIÆ? 3. Reg 18. 44 Quantam Paradiſi beatitudinem demonſtrabat in Scala Jacob? Gen.28. 13. Modò rubeſcebat tamquàm Aurora ut omnem penitùs noctem à nobis exterminaret: Cant.6. 9. modò, ſolis inſtar reſplendebat, ut cœleſtibus gratiarum influentiis mundum ditaret; modò tamquàm ſtella ſcintillabat, ut eſſet Eccli.50. 6. nobis ducis inſtar ad ſalutem; modò quaſi luna albeſcebat, ut noſtras illuminaret tenebras; florebat inſtar iridis, tamquàm pacis nuncia; Gen.9. 13. modò figurabatur myſticè, velut campus, producens *Frumentum electorum*: Zachar.9. 17. mons veram vitam germinans: velut *Hortus concluſus*, Cant.4. 12. parturiens arborem vitæ: tamquàm *Fons ſignatus*, & *Puteus aquarum viventium*, Verſ.15. dans fluxum gratiarum: velut *Roſa in Jericho*, odorem ſpargens: Eccli.24. 18. tamquàm *Cedrus Libani*; Verſ.17. balſamum afferens incorruptionis: quaſi Cypreſſus Sion, ſub umbra Ibidem. protegens; tamquàm *Palma in Cades*, Verſ.18. victoriam tribuens. Modò figuratè exprimitur adinſtar Militiæ, & veluti *Caſtrorum acies ordinata*, Cant.6. 3. terrorem inimicis incutiens; armavit ſe, Cant.1. 8. inſtar equitum, in occurſum curruum Pharaonis; erexit ſe Pſalm 59. 11. ad noſtrum ſubſidium in civitatem munitam; extulit ſe, turris inſtar Cant.4. 4. elevatæ, ex qua pendent mille clypei ad noſtram defenſionem; & veluti belligera Sunamitis explicavit ſe totam, ut locum daret optato ſucceſſui prælii noſtri; undè in lumine tot Prophetarum meritò Joannes

annes Damaſcenus cunis Regalis hujus puellæ inſcribere potuit Orat. 1. de Nat. B. V. *Non tibi ſoli progenita es*, O Maria! ſed in mundum veniſti, ut tota eſſes in beneficium mundi. Et quis id ambigere poterit, audiens hodie ex ore ejus illud *Fiat*, à quo ſalutem ſuam mundus agnoſcit, cùm voluerit Deus, ut altiſſimum Incarnationis Verbi myſterium, principium humanæ redemptionis, ab illo *Fiat* ultimum ſuum haberet complementum? Ut hujus clareſcat veritas, habetis vivis coloribus expreſſam imaginem in Moyſi, adhuc infante.

S. Damaſcenus.

IV. Exod. 2. 9. Moyſes undis expoſitus, ab Infante Ægypti, filia Pharaonis, de aquis levatur, & propriæ matri lactandus traditur. Quis non dixerit, Moyſi matrem iterùm matrem fieri, & infantulum quaſi renaſci iterùm, utpotè qui è mortis manibus ereptus, cui per tyrannicum decretum erat adjudicatus? Super aquas Nili in parvula fiſcella ſcirpea, bitumine ac pice linita, illo fluctuante, ac undarum diſcretioni relicto, unà fluctuabat ſpes, & ſalus populi, qui vivebat in illo, & omne ab eo bonum expectabat, redemptionem ſcilicet ab Ægyptiaca ſervitute, & in terram promiſſionis introductionem. Quomodò ſperare hæc omnia potuiſſet populus, ſi non reperiſſet portum in ſinu ignotæ matris? Tradebat Principiſſa mulieri Hebrææ infantulum, dicens: *Accipe puerum iſtum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, & nutrivit puerum: adultum-que tradidit filiæ Pharaonis*; in quo poſuit primùm Iſraeliticæ felicitatis germen, & primum gloriæ Gentis ſuæ radium, licèt Hebræa mulier hoc ipſum non prævideret, quòd Deus infantulum ſuum Moyſem deſtinâſſet ad liberationem Gentis ſuæ, & exaltationem Iſraëlis. Quantum nobis hodie beneficium à Matre Dei! Illa in nuncio illo Angelico, *Concipies & paries Filium*, illuminata, cognovit conſilium Altiſſimi de Verbi Incarnatione, ſicque dando Deo conſenſum, *Fiat mihi*, mundo dedit Redemptorem, Ducem, Monarcham, Donatorem gratiæ, Largitorem gloriæ, & nobis bonorum omnium principium.

Exod. 2. 9.

Lucæ 1.

V. Ultra humilem conſenſum voluntatis, adjunxit virginale miniſterium carnis ſuæ: *Trabeam carnis ſuppeditavit Verbo Dei*, ut loquitur Chryſ. Hom. 3. in Ep. ad Hebr. Aſſumpſit Verbum carnem de Maria, ſicque facta eſt campus vivus, in quo abſconditus eſt theſaurus Divinitatis; ſumpſit de Maria Sanguinem, puriſſimum rorem, ex quo formata eſt margarita valoris infiniti, Deus homo; de Maria venit vellus verè aureum, quo ſe veſtit Agnus Dei; de Maria habetur veſtis illa Pontificia, quâ adornatur æternus ſummus Sacerdos; uno verbo (cum M. P. Auguſtino loquor) *Caro Chriſti, caro eſt Mariæ*: ſic ut Mellifluus Bernardus agnoſcat Chriſtum, æqualiter & Patris æterni, & Virginis Matris Filium: *Ac ſi de Dei Virginiſque ſubſtantia unus fieret Chriſtus: qui, etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine*,

S. Chryſoſtomus.

S. Auguſtinus Serm. 4 de Aſſumpt.

S. Bernardus

Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet: nec duo Filii, ſed unus utrimque Filius. Si ergò à Maria ſacr-oſancta humanitas, quæ in Chriſto adoratur, quis illam non dixerit carne ſuâ virginali, & puriſſimo ſanguine, factam ſalutis humanæ Conprincipium, potiori jure, quàm Areuna dictus eſt: Principium ſalutis populo Iſraël, à crudeli peſte liberato?

VI. 2. Reg. 24. 17. David, ob numeratum populum à Nathan correptus, ex tribus oblatis plagis peſtem triduanam elegerat: quâ in populum ſæviente, ac ſeptuaginta millibus ſpatio paucarum horarum interemptis, dum David orat Do-
2. Reg. 24. 17. minum: *Ego ſum, qui peccavi, & ego iniquè egi, vertatur manus tua contra me*: venit ad eum Gad Pro-
Verſ. 19. pheta, dicens: *Conſtitue altare Domino in area Areuna Jebuſæi*, ut placare poſſis Dominum; obedit David, & à Rege Jebuſæo obtinet locum ad victimam, & victimam ad ſacrificium: *Omnia dedit Areuna Rex Regi.* Ibi ergò in ſalutem populi habuit altare, ibi holocau-
Verſ. 25. ſta pacifica, quibus *Propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.* Ibi poſteà erectum eſt templum Salomonis, ibique habuit altiſſima ſua principia. Si Rex Areuna, vendendo aream, & locum ad altare, dicendus ſit, ac habendus tamquàm cooperator ſalutis populi, quantò magis Virgo ſacratiſſima, dando puriſſimum uterum ſuum formationi Chriſti, templum vivum, altare, victimam, ſacrificium in redemptionem noſtram, dicenda, & habenda eſt cooperatrix ſalutis noſtræ? Propter nos ergò, hodie in utero Mariæ, ex Virginali ejus ſubſtantia ædificatur templum illud Divinum, in ſalutem noſtram quidem deſtruendum, at poſt triduum glorioſiùs reædificandum; Propter nos puriſſima illa caro ſubacta eſt in vite, antidotum contra toxicum mortis, quo Eva mundum infecit, Maria refecit: *Quæ ſalutis antidotum propinavit*, teſte D. Bernardino. S. Bernardinus Senenſis.
Mors per Evam, inquit D. Hieronymus ad Euſtach. de Cuſtod. Virginit. *& vita per Mariam.* S. Irenæus Lib. 3. contra Hæreſes Cap. 33. *Quod alligavit Eva per incredulitatem*, hoc *Virgo Maria ſolvit per fidem.* Item Magnus Auguſtinus Serm. 2. de Annunt. *Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria: Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: illa percuſſit, iſta ſanavit.* Sicut judicio D. Petri Damiani Maria ſit, *Cui maximas poſt Deum pro noſtra redemptione gratias agere debemus.*

S. Hieronymus. S. Irenæus. S. Auguſtinus. S. Damianus Serm. 2. de Annunt.

VII. Nemo ampliùs inquirat, ubi ſit centrum terræ, in quo, ſecundùm Pſalmiſtam, Pſal. 73. Deus operatus eſt ſalutem noſtram: *Qui operatus eſt ſalutem in medio terræ*, ne quis ſe fatiget inquirendo, inquit Mellifluus, ubi ſit illud meditullium terræ, habet *In utero Virginis, quæ mirabili proprietate Medium terræ appellatur.* Uterus ille, Centrum eſt, undè omnes felicitatis noſtræ lineæ ducuntur; Cor eſt, in quo vita mundi generatur, & nutritur; Aurifodina eſt, undè theſauri humanæ redemptionis hauriuntur; cœlum eſt, undè omnes in

Pſalm. 73. S. Bernardus.

terram gratiæ pluunt; Thalamus nuptialis, in quo caro noſtra cum Deo unitur; charta, in qua ſcribitur Verbum; Virgo ſubſcribitur corredemptrix Verbi. Audiendus hìc Richardus à S. Laurentio: *Mater miſericordiæ Patrem miſericordiæ adjuvit in opere redemptionis noſtræ.* Dicat aliquis, ſi poſſit: An antè Mariæ conſenſum Deus, unquam dictus ſit *Pater miſericordiarum?* Solus & unicus eſt Doctor Gentium, qui tali eum inſignit nomine 2. Cor. 1. *Benedictus Deus, & Pater D. N. J. C. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Maria Mater eſt, ipſe Pater; ita ut meritò exclamet Os verè aureum: *Heu mihi! Quot ad ſalutem viæ!* Quot vias adinvenit Dominus, ad ſalvandum nos! Certè ſat erat, quòd eſſet Advocatus noſter, Redemptor ipſe; quia tamen divinus ille Advocatus ſimul, & judex eſt, voluit firmiùs ſtabilire fiduciam noſtram, dando Advocatam illam, quæ non poſſet agere partem aliam, quàm benignam, & favorabilem. Obmuteſcat ergò Adam, & non ultrà uxorem ſuam *Evam* vocet, *Eò quòd mater eſſet viventium*; ſilentium illi imponit D. Hieronymus, & ait: Mater morientium eſt, non viventium: *Mors per Evam, vita per Mariam. Maria vita viventium, & cauſa vitæ: mortis autem Eva*, inquit Andreas Cret. Audiamus ipſam loquentem.

Richardus à S. Laur.

2. Cor. 1.

S. Chryſ. Hom. 9 ad Pop.

Epiſt. ad Euſt. de Cuſt. Virginis.

AndreasCret.

VIII. Lucæ 1. 49. Viſitans Maria Eliſabeth Cognatam ſuam, eamque ſalutans, ait; *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Dic mihi, ſacratiſſima Virgo: Quæ tibi magna fecit, qui potens eſt? Nomine ejus meliùs me dicet Theophilactus in Catena: *Ut creatura ederem Creatorem, famula Dominum generarem. Ut per me Deus mundum redimeret, per me illuminaret, per me ad vitam revocaret.* Do iterùm verba ejus Eccli. 24. 35. *Qui me invenerit, inveniet vitam*; alius Textus habet: *Inveniet vitas gratiæ, & gloriæ.* Exclamet modò, & exaltet vocem ſuam Richardus à S. Laur. ut audiant eum omnes: *Felix inventio, invenire gratiæ Inventricem, quâ inventâ, invenitur omne bonum.* Ergò, inventâ Mariâ, invenitur Deus, qui omne bonum eſt? Sic eſt; & ſic, Mariam alloquens, teſtatur S. Cyrillus Noſter Alex. *Per te omnis creatura converſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles omnes ad S. baptiſma pervenerunt; per te Trinitas ſanctificatur, per te dæmones fugantur, & homo ad cæleſtia revocatur.* Vultis paucis dicam verbis, quidquid de Maria in ſolatium noſtrum dici poteſt? Pro me loquitur S. Iſidorus: *Maria eſt ſpiraculum hominis.* Non minùs nobis utilis, imò neceſſaria eſt, Mariæ Maternitas, quàm aëris elementum, ſine quo non eſt, pauco licèt tempore, qui vivat. Quinque proprietates aëris dat D. Cyprianus in Orat. de Pentec. quæ mirum in modum quadrant Mariæ: hæ ſunt: *Reſpiratio, Aſpiratio, Suſpiratio, Inſpiratio, Exſpiratio.* O Maria, quàm nobis miſeris peccatoribus neceſſarius eſt puriſſimus aër tuus ad reſpirandum, aſpirandum, ſuſpirandum, inſpirandum,

Lucæ 1. 49.

Theophil.

Eccli. 24. 35.

Richard. à S. Laur.

S. Cyrillus Alex. Hom. contra Neſt.

S. Iſidorus.

S. Cyprianus.

randum, exſpirandum! State NN. & mecum aëris prærogativas in Maria conſiderate.

IX. Quantum ad *Reſpirationem*, Doctus Idiota in devotione Mariana minimè Idiota in Lib. cont. M. V. C. 5. Mariam alloquitur: *Peccator per te reſpirat in ſpe veniæ, & gratiæ.* Video, video, ah Chari peccatores, peccatorum veſtrorum preſſi pondere laſſati nimis, vix valetis reſpirare; Seraphicum Sermonem ad vos dirigit Seraphicus Bonav. in Pſal. 18. *Reſpirate per illam Perditi peccatores, ut perducat vos ad pœnitentiæ portum.* Quantum ad *Aſpirationem*, quis à fallaciis terrenis efficaciùs retrahit affectus, ut corde ad cœleſtia aſpirent, quàm Maria? Efficacia virtutis attractivæ ſolaris, tanta non eſt, ut ſublevet de terra vapores, quanta eſt dulciſſima violentia Deiparæ, quam cordibus infert, ut, ad Deum & cœleſtia aſpirent. Unus pro mille ſufficit mihi ad probam Eleazarus. Hic interrogatus ab intimo amico, quomodò tam facilè mens ejus cœlos penetraret, cœleſtium, Divinarumque rerum contemplatione abſorpta, reſpondit: *Equidem Virginem ſanctam mihi Patronam & Advocatam elegi; cùmque ad eam me accingo, indignitatem, ac vilitatem meam priùs conſidero; atque ita Matri gratiæ me commendans, humiliter deprecor, ut ea, quæ ipſi, & benedicto ejus Filio grata ſunt, ponat in corde, & ore meo, & nunquam mihi deeſt nova rerum divinarum materia.* Non minùs pro *Inſpiratione* neceſſaria eſt Maria: quia illa à Deo obtinet inſpirationes, illuſtrationes, illuminationes ad bene vivendum (Maria enim interpretatur Illuminatrix) & in ſinu ſuo nos portat, vitæ æternæ paritura. Et ſicut infans in utero matris vivit reſpiratione matris, ita dicere poſſumus, quòd durante vitæ præſentis peregrinatione, non habeamus ſpiritum bonum, niſi ab inſpiratione Mariæ. quarta proprietas eſt *Suſpiratio*. Quoties Diva noſtra venam aperit lacrymarum, & pia excitat ſuſpiria, precibus noſtris commota? *Ad te ſuſpiramus, gementes, & flentes in hac lacrymarum valle!* Illa enim, ſecundùm Mellifluum, eſt firmamentum, dividens aquas ab aquis, devotos ſuos inſtruens non gemendum, niſi in hac lacrymarum valle: anhelandum autem ad beatam illam patriam, à qua gemitus, & lacrymæ exulant. Demũ neceſſarius eſt Mariæ halitus ad *Exſpirationem*, ad exalandum ſpiritum in hora mortis; idipſum docet nos Eccleſia, ſæpiùs repetens: *Tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.* Eccleſiæ ſupplicæ, ſuam jungit Seraphicus Bonaventura: *In die mortis meæ; O Domina, conforta animam meam: deduc me ad portum ſalutis, & ſpiritum meum redde Factori ſuo. Ne projicias nos in tempore mortis noſtræ, ſed ſuccurre animæ noſtræ, cùm deſeruerit corpus ſuum. Gratioſus vultus tuus mihi appareat in extremis, formoſitas faciei tuæ lætificet ſpiritum meum egredientem.* Ex his ergò concludo, & iterùm dico: In Maria, per Mariam noſtra eſt *Reſpiratio, Aſpiratio, Inſpiratio, Suſpiratio, Exſpiratio.*

X. Hæc omnia confirmat glorioſiſſimum Mariæ Nomen, ut bene, & piè D. Bernardinus Senenſis: *Sicut, inquit, ex quinque vulneribus ſuis Chriſtus contulit plenè remedia mundo,*

Idiota

S. Bonav.

S. Bernardus.

S. Bonaventura.

S. Bernardin. Sen.

ſic Maria ſuo ſanctiſſimo Nomine, quod quinque litteris conſtat, confert quotidie peccatoribus veniam in hoc mundo. Quid ſignificant quinque illæ litteræ? M. *Mater.* A. *Advocata.* R. *Reparatrix.* I. *Illuminatrix.* A. *Auxiliatrix.* Vera Mater Maria eſt, Mater Miſericordiæ. Auxiliatrix in neceſſitatibus. Illuminatrix in tenebris. Reparatrix in miſeriis. Advocata apud judicem, ſollicita in morte, ut quinque litteris ſuis procuret nobis quinque fructus 5. vulnerum Chriſti, ſcilicet fructum veniæ peccatorum, fructum pacis, fructum gaudii, fructum perſeverantiæ, fructum amoris.

XI. Non reluctor verbis Jacobi Apoſtoli Cap. 1. *Omne datum optimum* Jacobi 1. 17 *& omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Veneror, & amplector verba Apoſtolica, & fateor omnia dona, & gratias à Deo eſſe; ſed hoc peto, ut tantillùm acumen ingenii veſtri reflectatis ad id, quod dicitur: Omne lumen deſcendere à Deo, *tanquàm à Patre luminum*, ſub præciſiſſima illa conſideratione, *Tanquam à Patre luminum.* Vidiſtis aliquando hominem cum ſpeculo in manu, radios à ſole emiſſos colligentem, & reflectentem eos, quòcumque velit? Sol aſcendit in meridie ad cœli faſtigium, ille humiliat faſtum ejus, & ſub terras deprimit: declinat ad occaſum, ille dirigit ad ortum: fugit, tanquàm averſatus aſpectum noſtrum, ille reverberans lumen, denuò compellit intrare: Proſequitur viam ſuam ſub Ecliptica, inermis Joſue illi imperat, ut ſiſtat gradũ. Habeat in domo Planetarum quoſcumque voluerit aſpectus, ille capax eſt eoſdẽ immutare, & efficere, ut in terris appareat in trino, quadrato, vel ſextili, ex aſcendente facit retrogradum: habeat ſol patientiam, dum permittit recollectionem ſui in ſpeculo: tunc enim diſtributio ſuorum radiorum omninò dependet ab arbitrio & voluntate ſpeculum dirigentis. Jam in luce ſumus, & demus laudem Deo pro ejuſdem reverberatione. Cùm Deus hodie incarnatur in utero Virginis, dicit Textus Syriacus: *Deus, quaſi ſub diaphano cryſtalli, apparuit, & effulſit in carne.* Habet in ſe ſpeculum *Maria*: & ſi verum eſt, quod gratiæ deſcendant, ſicuti radii immittuntur à ſole, *Tanquàm à Patre luminum*, eaſdem, quòcumque voluerit, poterit dirigere, gratiarumque radios, ut placuerit, in ſibi devotos diſpergere. Venit directè ad ſpeculum optatiſſima illa lux, & à ſpeculo per Mariam directa, reflexè pervenit ad nos omnes: *In carne Chriſti*, in- S. Irænæus. quit S. Irenæus, *occurrit paterna lux, & à carne ejus rutila venit in nos.*

XII. Meritò ergò dico, quòd ſpes noſtra collocanda ſit in Maria, quæ poteſt omnia. Dum audio dilectam in Canticis de dilecto ſuo loquentem: *Manus illius tornatiles, plena hiacynthis*, meipſum conſolabor, cogitans, quòd ad minimum contactum Mariæ, gratiæ diffluent. Cant 5 14. Dum reminiſcor mulieris illius habentis ſpiritum Phytonem, facientemque omnia, quæ dicebat, undè 1. Reg. 18 7 & factum, quòd illum D. Cyprianus Martyr vocet *Ventriloquum*; con- S. Cyprian. fidens confidam, quòd & Maria facta hodie *Ventriloqua*, portans in utero Verbum Divinum, omnia pro me ſit

ſit impetratura. Dum reflecto, quòd fuerit gratiâ plena, antequàm in ea Verbum Caro factum eſt, ipſo Angelo teſtante: *Ave gratiâ plena*; dicam intra me: ſi fuerit antè gratiâ plena, neceſſe eſt, ut modò, dum in ſe continet fontem gratiarum illas in favorem meum egurgitet, & ſitibundam animam meam refocillet, ad hoc me animante Mellifluo
S. Bernard. Bernardo: *Adveniente Spiritu plena ſibi, eodem ſuperveniente, nobis quoque ſuperplena, & ſupereffluens fiat.* Dum intelligo ab Apoſtolo, Chriſtum Dei Filium à Patre exauditum ob reverentiam in qualitate Filii,
Hebr. 5. 7. illi debitam, *Exauditus eſt pro ſua reverentia*, Patrem, ob characterem Filii nihil ei denegare, ſed Patrē omnia ei dediſſe in manus: *Omnia dedit ei Pater in manus*: concludam cum
S. Bern. Bernardo: *Exauditur pro reverentia Filius, exaudietur & Mater.* Nihil Mariæ hoc ipſo, quò Mater eſt, de-
Ioan 13. 3. negabit: *Omnia dabit ei Pater in manus*. Deum habere in utero, idem eſt ac Deum habere in manu. Quid illam dico Deum in manu habere, quæ etiam Deum debitorem habet?

XIII Cant. 5. Deus, conſenſum
Cant. 5. 2. Mariæ præſtolans, ait: *Aperi mihi, Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Numquid poterat met portas aperire, & effringere licèt forent adamantinæ? *Poterat*, inquit
Gilbertus. Gilbertus, *dilectus, non aperiente ipsâ, introire in Virginalem uterum, quia ipſe eſt, de quo David: portas æreas contrivit, & vectes ferreas confregit*; & tamen, licèt potuerit, noluit: *Noluit carnem ſuſcipere ex ipſa, non dante ipsâ.* Quare noluit? Quare? Ut obſtrictus eſſet Mariæ: ſi Verbum vi intrâſſet Virginis uterum, qualem obligationem habuiſſet ad illam? Omninò nullam: quia brachio ſuo potenti attribuiſſet; voluit ergò conſenſum ejus ſpontaneum, ut vel ſic Deus debitor ejus eſſet. Deus debitor? Ita, ita, debitor Deus. Ne indignemini, me Deum Mariæ debitorem dicere; audite, non mea, ſed D. Methodii verba: *Euge, euge, quæ tibi obnoxium* S. Method.
habes illum, qui omnibus fœneratur: omnes namque Deo debitores cùm ſimus, tibi ipſe eſt debitor. Quidquid illa petit tenetur quodammodò Deus dare (parcite verbo) quia debitor eſt; In tantùm enim placuit Deo *Fiat* Mariæ, ut in agnitionem Pater cœleſtis illi dederit facultatem concedendi omnia: *Fiat tibi ſecundùm verbum* Lucæ 1.
tuum. Sed NN. mei, nolite decipere animas veſtras: ſcio B. Virginem per hodiernum *Fiat* factam Matrem Dei, & matrem rei, Matrem omnium creaturarū: ſed & hoc ſcio, illi datam omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, ita ut nihil ſit ei impoſſibile, ſecundùm D. Petrum Damianum Serm. 1. de Nat. Audite tamen, quorum peccatorum ipſa ſe Matrem dicat, D. Birgittæ Lib. 4. Revel. Cap 138. *Ego ſum Mater omnium* S. Birgitta.
peccatorum, volentium ſe emendare: non aliorum? non. Non diffiteor Cant. 1. Mariæ hœdos commendari: Cant. 1. 7.
Paſce hædos tuos: ſed audiendus deſuper Guilielmus Pariſienſ. „Hœdi Guilielmus Pariſ.
„Mariæ, non ſunt peccatores illi, „qui circa Matrem pietatis inde- „voti, & inofficioſi exiſtunt: nec „illi, qui ipſam venerantur, opem- „que ejus implorare videntur, ſed „à ſuis ſceleribus non convertun- „tur. Hos non agnoſcit illa, quia

„ſic

„ ſic nolunt illam eſſe Matrem pie- „ tatis, ut non ſit Mater juſtitiæ, & „ veritatis. Soli igitur, concludit, „ hœdi ſunt Mariæ, qui, ut illam „ dignè venerentur, opemque ejus „ aſſequi mereantur, peccata ſua „ perfectè deſerunt. Hi adhuc hœdi „ ſunt, quia de recentium vulnere „ criminum adhuc ſauciam habent „ conſcientiam: ſed tamen hœdi „ ſunt Mariæ, ab ea confovendi, ſa- „ nandi, & paulatim in oves mutan- „ di, & de ſiniſtra in dexteram trans- „ ferendi. Idipſum confirmat Cardin. Goffridus Serm. 8. *Veraciſſimè Maria apud Omnipotentem Filium orando poteſt, quidquid deſiderat; ſed pro illis, qui ſemper peccare deſiderant, nullatenùs orat, pro quibus nullus Sanctorum orare præſumit.* Et hoc ſenſu intelligendum puto D. Anſelmum Lib. de Excell. Virg. cùm dicit: *Impoßibile eſt, ut aliquis ad Mariam converſus, & ab ea reſpectus, damnetur: quia eſt Mater juſtificantis, & juſtificatorum: ſalvantis, & ſalvandorum.* Notate: *Ad Mariam converſus*: nemo dici poteſt bene ad Mariam converſus, nec verus devotus ejus, qui obſtinatus in peccatis perſeverat, quæ ipſa abominatur. Idipſum teſtatur Spiritus S.

Goffridus. S Anſelmus.

XIV. Prov. 31. *Surrexerunt filii ejus, & beatiſsimam prædicaverunt*; ad hæc verba Richard. à S. Laur. *Nota ordinem verborum: qui enim dignè vult prædicare Mariam, aut ei ſervire, priùs debet ſurgere à peccato per pœnitentiam: quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: nec dignus eſt, qui in peccato mortali verſatur, vocari tantæ Matris filius.* Hæc autem faciens, quantumcumque quis magnus peccator ſit, poteſt ſperare Mariæ protectionem, & adjutorium: quia, ut bene Joannes Geometra: *Maria eſt talium peccatorum nequitiæ ſpongia.* Claritatis causâ, diſtinguo duas claſſes peccatorum, cupientes, & nitentes excutere ab anima durum jugum peccati; alii peccato ſerviunt, tamquàm domino, gaudentes illi ſubeſſe, & ſervituti ejus: *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad dominum.* Oſeæ 5. Prioribus devotiones Marianæ proſunt, ut liberentur à malo ſtatu; ſunt enim de numero eorum, qui eam orant: *Succurre cadenti, ſurgere qui curat populo*; undè licèt actualiter non poſſideant veram devotionem Mariæ, ſunt tamen in via, ut poſſideant: quia pro illis orat, & matrem ſe præbet Maria. His autem, qui non curant peccata relinquere, imò gloriantur in illis, & devotionibus abutuntur, ut liberiùs peccent, devotiones non proderunt: quia devotiones dici non poſſunt, cùm tantùm ſint merè externæ. Undè ſicut, ſecundùm Ariſtotelem, manus, oculi, pedes, cæteraque cadaverum membra, propriè dici non poſſunt manus, oculi, pedes, &c. ſed ſolùm portant nomen æquivocum: ita devotiones, preces, jejunia, &c. peccatorum nolentium ſe emendare, devotiones dici non poſſunt: quia non continent in ſe gratiam, nec ad illam conſequendam diſponunt, utpotè factæ, ut impunè in peccatis perſeverent, perſuadentes ſibi, ſimilibus devotionibus ſe claudere poſſe infernum, & reſerare 12. portas cœli, & interim leges divinas liberè tranſgredi, & Eccleſiæ ridere præcepta; de illis dico cùm Ezech. 7.

Prov. 31. 28. Richard. à S. Laur. Geometra.

Aurum

Aurum eorum in ſterquilinio erit. Quomodò enim ſimiles dici poſſent devoti Mariæ, qui, profitentes aliqua obſequia exteriora, Mariæ denegant quòd maximè illi placet, vitare ſcilicet peccata? Eſtne ibi voluntas promptè tradendi ſe ad ea, quæ ad ejus pertinent famulatum? Eſtne hoc placere ei, ejuſque quærere honorem, & gloriam? Irridere potiùs dixeris, & decipere velle: non minùs, quàm Joſue fecerunt Gabaonitæ.

XV. Cap. 9. Audientes illi, cuncta quæ fecerat Joſue Jericho & Hai, ut latam in eos ſententiam ſubterfugerent, illudunt & decipiunt Joſue; ſimulatione enim longi itineris veniunt ad eum: *Induti veteribus veſtimentis* habentes utres vinarios ſciſſos atque conſutos, panes duriſſimos & in fruſta communitos, calceamentaque perantiqua portantes. dicentes illi: *De terra longinqua venimus pacem vobiſcũ facere cupientes.* Quod falſum erat, quia vix aliquid itineris confecerant; ideò fraude illâ detectâ, dicebat illis Joſue: *Sub maledictione eritis.* Non ſecus agunt hi peccatores, qui, ut funeſtum Divinæ Juſtitiæ rigorem ſubterfugiant, veniunt ad Matrem Dei veſte pœnitentiæ magìs apparentis, quàm veræ induti, id eſt exterioritate quâdam, licèt piâ, V. G. eleëmoſynæ in honorem ejus factæ, jejunii Sabbathini, roſarii quotidiani, & ſimilium, ſimulantes ſe de terra longinqua venire & pacem cum Deo facere velle, cùm tamen vix aliquid itineris conficiant imo ne ipſam quidem domum ſuam, id eſt peccandi conſuetudinem relinquere intendant. Sic putantes decipere Mariam ſicut à Gabaonitis Joſue deceptus eſt, quia *Os Domini non interrogavit*: at illa videt omnia in Deo; unde timendum, ne tandem illis dicatur: *Sub maledictione eritis.* Sed quæro ego ab illis: vel creditis Mariæ peccatum placere vel diſplicere? Si primum, facitis eam *Abominabilem, ſicut ea, quæ dilexit.* Si dicatis diſplicere, quis explicet ignominiam, quam ei infertis, dum creditis obſequiis veſtris illam inèſcare, modo quem prohibet. Vultiſne, ut ei obſequia placeant, quæ ordinatis ad multiplicanda mala, à quibus adeò abhorret? Scio, à Chriſto dictum S. Catharinæ Senenſi: *Mater mea eſca dulciſſima eſt, quâ ad me peccatores traho*; Non ſolùm corda carnea peccatorum, volentium ſe emendare, ſed etiam, ut revelatum eſt S. Birgittæ, per modum magnetis corda ferrea, peccatorum induratorum. Sed, proh dolor! peccatores non ſolùm nolunt ab hoc magnete ad Deum trahi, ſed ad ſe magnetem trahere nituntur, volentes, ut pia Mater illis in ſacrilegis ſuis volitionibus obſecundet, ut non trahantur ad Deum. O prodigium iniquitatis! Non amat agricola terras paludoſas, niſi ſub ſpe, quòd illas colẽdo, & exſiccando, tandẽ fertiles redditurus ſit. Non poteſt Mariæ miſericordia aliâ intentione amare peccatores, quàm exſiccando in cordibus eorum ſtagnum lutoſum, ſicque diſponendo ad compenſandam antecedentem ſterilitatem fructibus pœnitentiæ. Imò veroſimile eſt, quòd Mater Dei non habeat majores inimicos, illis, qui miſericordiam ejus vertunt in

Joſue 9.

S. Catharina Senenſis.

ſcutum peccandi liberiùs; illi enim ſunt, qui vi de corona ejus tollere nituntur primam ſtellam, quę ipſam adornat: ſcilicet quòd Mater ſit miſericordiæ. Quòd multi tamen hodie ſimiles reperiantur, calidis lacrymis deplorat Mellifluus.

XVI. Certum eſt, quòd hodie Maria, dum dixit *Fiat*, facta ſit vivum Dei templum: *Templum repentè fit Dei. Templum Domini, Sacrarium Spiritûs ſancti*; ita ut illuminatus Idiota dicat: *Ad hoc ſolùm effecta eſt, ut eſſet templum Dei altiſſimi.* In templo illo exercet Deus miſericordiam ſuam, in illo effundit largiter theſauros Divinitatis, & Chriſtiani de illo faciunt *Speluncā latronum. Speluncam latronum?* Quid hoc eſt? Dicam. Qui temerè ædificant ſuper miſericordia Mariæ, qui liberè peccant, quia facilè Deū placare poſſunt, ſibique perſuadent ſe tranſgredi poſſe legem Dei, & præcepta Eccleſiæ, indies legendo *Salve Regina*, quinies Salutationem Angelicam, qui putant ſe certò per preces iſtas aut ſimiles, ſalvandos, laxantes interim habenas ad graviſſima quęque. Quid aliud moliuntur illi, quàm Mariam facere *Speluncam latronum?* Do Melleâ Bernardi verba (ſi tamē Bernardi, quia illa in operibus ejus non reperio) *Tremens dico, Clementiſſima* S. Bernardus. *Virgo fecerunt te ſpeluncam latronum.* Manni. Obſtinati peccatores faciunt te Speluncam latronum. Petite ab uno ſimilium, an ſperet in hora mortis effugere manus Dei viventis? Reſpondebit, quòd ſic: quia, in honorem D. Virginis jejuno diebus Sabbathinis, & hoc mihi ſufficit. Interrogate conſuetudinarium adulterum, an & ipſe non horreat tremendum diem judicii, neq; apprehendat periculum damnationis? Dicet ſe ſecurum; quin imò cum admiratione petet, quare non ſalvarer, cùm indies recitem Roſarium meum? Idipſum exquirite à fornicario, raptore, uſurario, à peccatore quocumque, etiam primæ claſſis, an ſperet ſe ſalvandum? indignabitur ob talem ſibi factam interrogationem; quid? reponet: lego indies Officium Immaculatæ Conceptionis: do indies tres eleëmoſynas in honorem triplicis puritatis Mariæ, ante partum, in partu, & poſt partū: hebdomadatim offero ſeptem candelas, in honorem ſeptem dolorum ejus. Quantumcùmque horrenda peccata committant, perſuadent ſibi firmiter, ſe ob illas devotiones nunquam damnandos. *Tremens dico, Clementiſſima Domina, fecerunt te Speluncam latronum.* Vos ipſi pandite corda veſtra, & loquamini candidè: Nunquid hoc eſt Mariam facere *Speluncam latronum?* Nunquid hoc eſt tacitè dicere, quòd non ſit infernus pro quantumcùmq; perverſo peccatore, modò habeat aliquam devotiunculam erga B. Virginem? Certum eſt, *Mariam Matrem* eſſe *Miſericordiæ*: & hoc certum, millenos (etiam graviſſimos peccatores) ob aliquas devotiones, jejunia, eleëmoſynas, &c. tandem ejus interceſſione ad veram pœnitentiam compunctos, ad ſalutem perveniſſe; ſed ſicut illi non ordinarii, ſed ſingulares, & miraculoſi protectionis ejus effectus ſunt, ſolemniſſima ſtultitia eſt, velle miraculis fidere in negotio tanti momenti, à quo pendet æterna ſalus.

XVII. Si

XVII. Si quis veſtrûm occurreret habenti in manu facem ardentem, & reliquiarium in pectore, eumque interrogaret: Amice mi, quò? Reſponderet autem: Incenſurus domum meam, & viſurus miraculum; Miraculum? Quale, obſecro? Eſt in hoc meo reliquiario Agnus Dei Pii V. quo extinctum eſt quoddam incendiũ, idipſum mecum fiet; ut domum incendero, in ignem mittam, & incendium extinguam. O ſtultum! An ob tuam temeritatem Deum obſtrictum putas, in illa benedicta cera, tunc factum miraculum, reiterare? Non vides hoc eſſe tentare Deum? Non diffiteor, innumerę converſiones miraculoſæ factæ ſunt per interceſſionem Matris Dei: ergò gratia illa fiet paſſim omnibus quibuſcumque peccatoribus? Eſt paralogiſmus. Sed quorſum hæc omnia, cùm ſperem nullum ſimilium peccatorum hìc præſentem? Cùmque credam vos de numero peccatorum volentium ſe emendare, non abuti volentium miſericordiâ tantæ Matris? NN. mei, ſi ita eſt, cùm S. Bonav. Mariam non ſolùm dicat Matrem, ſed oraculum
S. Bonav. miſericordiæ: *Ipſa eſt oraculum miſericordiæ*, adeamus hoc oraculum, ut ſciamus, quid faciendum ſit nobis, ut ſalvemus animas noſtras. Ego, nomine omnium veſtrûm, illam interpellabo. Maria, in timore & tremore verſamur circa ſalutem, anxii, quid futurum ſit de nobis: ſi examinemus nos ipſos, conſcientiæ noſtræ dant funeſtiſſimum reſponſum, quòd poſt tot ſcelera & peccata non maneant nos, niſi mala extrema, & ſemper duratura; volumus reſponſum à te, quæ oraculum es miſericordiæ. Quale exſpectabitis NN? Attendite: videor audire reſponſum ejus: Bellum vobis indicite, pœnitentiâ armati; ego vobis promitto tranquilliſſimam pacem; compatiamini pauperibus mendicis, & ego pro vobis apud Deum emendicabo gratias abundantes; deplorate peccata veſtra, & à vobis avertam Filii mei iratam faciem; eſtote filii mei caſtè vivendo, & Filium meum ſentietis vobis propitium. Hæc ſunt auguria NN. quæ dat Oraculum divinæ miſericordiæ; ſi velimus gaudere ejus præſagiis, ſequamur ejus conſilia. Scio, ad hæc Dei gratiam nobis neceſſariam: ſed audiatur Mellifluus Bernardus, per experientiam edoctus: *Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus*; addit rationem: *Quia* S. Bernardus. *Maria fruſtrari non poteſt*. Vultis ergò Dei gratiam? *Per Mariam quæramus*. Vultis veram converſionem? *Per Mariam quæramus*? Peccatores, his diebus pœnitentialibus *Quæramus gratiam*, *& per Mariam quæramus*: per illam, quæ perditam gratiam invenit & pro nobis invenit, nobis ſceleratis, nobis perfidis: iterùm eamus, & illi dicamus: Mater noſtra, redde nobis perditam gratiam, quam inveniſti: *Inveniſti gratiam*: redde non aurum, non argentum, non terrenas divitias, ſed gratiam.

XVIII. Amantiſſima Mater dum te hodie veneramur Matrem Dei, & matrem rei, quò me vertam, neſcio: Si es *Mater Creatoris*, es quòque *Mater Salvatoris*: ſi *Virgo potens*, es quòque *Virgo Clemens*: ſi *Regina Angelorum*, etiam *Refugium peccatorum*: Potentiam tuam confitentes, dici-

mus omnes: *Salve Regina*, Miſericordiæ tuæ confiſi, dicimus: *Mater miſericordiæ*: ideòque ſupplicamus: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*, ut à nobis invocata, ſis noſtra Advocata, ut rigor Divinæ juſtitiæ convertatur in favorem miſericordiæ: *Monſtra ergò te eſſe Matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.* Replicat illa NN. *Monſtra te eſſe filium, ſumet per me preces, qui pro vobis natus, tulit eſſe meus.* Amen.

FERIA V. DOMINICÆ III. ADVENTUS.

De Conniventia, ſeptimo Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Septimo Peccato Alieno, *Conniventiæ*, conſpurcantur, & maculant ſe Judices, Magiſtratus, cum maleficis & iniquis conniventes, & non punientes: omnium furtorum & latrociniorum, quæ poſteà committunt, participes, Deo Judici pro illis rationem redditurì. Item Superiores, Patres-familias, & parentes, qui cum ſubditis, & prolibus malefacientibus connivent.

I. Non eſt res parva, delinquentem fratrem non corripere, dum peccat: ſignanter dum honor Dei læditur, dum quis audit proximum blaſphemare, jurare, &c. & tacet. Dicet aliquis: Ergòne ſemper peccamus mortaliter, quando fratrem non monemus? Semper ergò peccatum Alienum incurrimus ſubticendo? Hoc foret profectò durum. Non anxiemini NN. docent Theologi multa requiri, ut privatus aliquis peccet mortaliter: primò ut moraliter conſtet, proximum peccâſſe mortaliter. Secundò ut adſit ſpes emendationis. Tertiò ſi fieri poſſit ſine gravi corrigentis periculo, V.G. famæ, vitæ. Deniq; ſi videas monitione tuâ ſecutu ra majora incommoda, quòd induratus deridebit te, & capiet in malam partem: ſecundùm illud Prov. 9. *Noli arguere deriſorem*; Prov. 9. ſic ut privatus non tam facilè peccet mortaliter, & particeps fiat alienorum peccatorum, quàm curam habens animarum, aut obſtrictus ex officio, &c. ſignanter illi debent attendere, ne incurrant ſeptimum Peccatum Alienum. De illis non loquar, niſi priùs dixero: *Ave Maria*.

II. Prout herì videbamus, Deus, qui ante Incarnationē *Terribilis*, & *Deus ultionum* dictus eſt, factus homo vocari voluit *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: non ulciſcens peccata noſtra, ſed illis connivens, ut reſipiſcentes, gratiæ ipſius participes eſſemus, & converſi pœnitentiam,

tentiam ageremus. Ita & multos Sanctos reliquit in Eccleſia, qui cum peccatoribus conniverent, ſuper omnibus malis ſibi illatis; imò pro perſecutoribus orarent, non malum pro malo reddentes, neque maledicentibus maledicentes, ſed in bono malum vincentes. Talis fuit Proto-Martyr Stephanus, qui flexis genibus orabat: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Act.7.59. Ad quid, obſecro, ita connivebat, niſi ut perſecutores ſuos converteret? undè ipſi, tamquàm connivienti, & oranti, converſio Pauli, & omnia bona ejus opera adſcribuntur. Similiter alii multi, connivendo, & perferendo mala ſibi illata, multos peccatores converterunt, ut Deus Sanctos ſuos ſic honoraret, & aliorum operum redderet participes. Ita econtrà, diabolus connivet & indulget peccatori, peccata ſua extenuat, parvi facit, & non eſſe peccata mentitur: non ut homines planè deſperent, ſed in peccatis ſuis perſeverent; imò ſemper in majora cadant, donec tandem adveniat hora mortis; tunc ampliùs non connivet, ſed graviſſima ea facit, & ad deſperationem hominem adducere conatur. Et non ſolùm ipſe, ſed idipſum conatur efficere etiam per alios homines, qui nimis ſuis ſubditis indulgent, & connivent, ut ſic eos alienorum peccatorum reos efficiat. Illud eſt ſeptimum Peccatum Alienum, quod dicitur *Conniventia.* Illo peccato ſe maculant omnes, qui, juriſdictionem & authoritatem habentes, uti Judices, Magiſtratus, cum maleficis & iniquis connivent, & eos impunè ſinunt abire: omnium furtorum, latrociniòrum, ac malorum, quæ illi maligni iterùm committunt, coram Deo rei, ac proindè in die judicii pro illis peccatis rationem reddituri. Idipſum locum habet in Superioribus, Patribus-familias, Parentibus, qui cum ſubditis & prolibus peccantibus connivent, indulgent juventuti, dicentes: Tantùm puerilia eſſe: Non oportere ita conſtringere juventutem, &c. An ſimiles conniventes non habeant rationem dicendi cum Pſalm. *Ab Alienis parce ſervo tuo*, vos conſtituo judices; audite aure benevolâ rationes meas. Incipio.

III. Eccleſiaſtes 8. 11. Paucis verbis dicit, quòd poſſem ſpatio unius horæ dicere: *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Eccle.8.11. Undè putatis provenire, multos indies audaciores fieri ad perpetranda peccata? Quia Deus non citò punit, ſed ſolitâ bonitate ſuâ connivet. Dicite mihi: ſi, quoties quis blaſphemaret, aut juraret, lingua ejus à vermibus laceraretur: ſi, quoties furaretur, manus ejus areſcerent: ſi, quoties fraudem committeret, mente privaretur: ſi, quoties fornicaretur, aut adulteraret, ſubitò per totum corpus leprâ corriperetur, creditis, quòd tot darentur blaſphemi? tot fures, tot fraudulenti, tot carnales invenirentur? Non ſanè; ſed, *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* O iniquitas maxima filiorum hominum!

Quia Deus bonus eſt, ideò vos vultis nequam eſſe? Jam video, Vos non Dei, ſed filios hominum eſſe, filios perditionis; quia idipſum rectè indicat ly *Filii hominum*; filius hominis in SS. Paginis ſemper in bonum: *Filii* autem *hominum*, ſemper aut ordinariò in malum ſumitur Pſalm. 4. 3. *Filii hominum, uſquequò graviſ corde*. Pſalm. 61. 20. *Vani filii hominum*. Pſalm. 89. 10. *Mendaces filii hominum*. Quaſi diceret: Filii perditionis. Placetne unum ex filiis hominum audire? Eccli. 5. 4. *Peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim, eſt patiens redditor*. Nihil mihi hactenùs accidit triſte, ſum ſanus, habeo proles, abundo divitiis, quiſque me timet, honoror ab omnibus, neminem curo, vivo ut volo, & licet peccem, & ſcandaloſè vivam, *Nihil mihi triſte accidit*. Filii hominum, *Non eſt ille ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendit*. Sed quid dicam? *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala*. Hinc colligite, quanta proveniant mala, ex conniventia mala, ſi tam multa proveniant ex conniventia bona, & Divina. Venio ad rem noſtram NN. Undè hodie tot perpetrantur mala, tot ſcelera, tot ſcandala? *Quia non citò profertur contra malos ſententia*; ita ut M. & incomparabilis Auguſtinus Lib. 4. de Civit. Dei Cap 4. quærat: *Remotâ juſtitiâ, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? & ipſa latrocinia, quid ſunt, niſi parva regna?* In M. Auguſtini ſententiam

Pſalm 4. 3.
Pſalm. 61. 20.
Pſalm. 89. 10.
Eccli. 5. 4.
Judic. 8. 12.
S. Auguſtinus.

abit D. Bruno de Ornam. Eccleſ. Cap. 4. *Tolle Juſtitiam, & perit mundus; ubi juſtitia non eſt, iniquitas dominatur; ibi cædes & rapina, furta, homicidia, timor & anguſtiæ, & ſecuritas nulla*. Undè Propheta Regius, ſciens quanta mala cauſet in regno maledicta illa conniventia, Rex factus, de ſe loquitur Pſalm. 100. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*. In matutino, id eſt, tam citò ac habebam Regiam poteſtatem. Utinam tutâ conſcientiâ ſic loqui poſſent, omnes in officio, & dignitate conſtituti, &c. *In matutino* (quo ſupra cuſſinum ſedi) *interficiebam omnes peccatores terræ*. Judices, Spiritus ſanctus vos alloquitur

IV. Eccli. 7. 6. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè expaveſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*. Si non habeatis animos, ut iniquis reſiſtatis fortiter, & muri inſtar adamantini opponatis vos in defenſionem juſtitiæ; ſi non habeatis fortitudinem reſiſtendi, etiam potentibus, dum iniquè agunt: *Noli fieri judex, ne ponas ſcandalum in æquitate*. Ugo Card. pauca addit: *Ne ſcandalizentur ſubditi in levitate, ſive temeritate tua*. Ad hoc propoſitum ſuum pandit aculeum Apis Mellea Bernardus Ep. 18. ad Innoc. Papam: *Quanta putemus impunitas iſta, in Eccleſia parturiet punienda!* Vultis ſcire, qualia, & quanta? Audite Petrum Bleſenſem Tract. de Inſtit. Epiſc: *Impunitas, eſt negligentiæ*

S. Bruno.
Pſalm. 100. 8.
Eccli. 7. 6.
S. Bernardus.
Petrus Bleſ.

gligentiæ filia, contumaciæ mater, radix peccati, matrix adulterii, & inceſtûs, mortis æternæ praambula, præparatrix inferni. Per impunitatem impiorum malitia convaleſcit, per hanc in ſuis ſtercoribus miſeri computreſcunt; & ut rectè S. Ambroſius Serm. 8. in Pſalm. 118.

S. Ambroſius. *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti.* Conniventia nimia, ruina eſt regnorum, & familiarum. Do unam ex primis familiis, quas mundus vidit.

V. Geneſ. 16. 5. Videns Sara, Abrahæ uxor, quòd maritus nimiùm conniveret cum Agar, illum alloquitur: *Iniquè agis contra me.* (Ecce conniventiam iniquitatem nuncupat) *deſpectui me habet.* Quaſi diceret deſpectûs illius tu cauſa es: at videns quòd nec ad hæc verba corriperet eam, addit: *Iudicet Dominus inter me, & te.* Quot ex iſta conniventia ſecuta ſunt mala! Agar præ diſſimulatione Abrahæ in Dominam ſuam inſoleſcit, renuens ultrà obedire Saræ; in tantùm, ut deſpiceret eam: *Deſpiciebat eam.* Sara ex diſſimulatione illa indignationem quamdam erga Abraham concepit, dicens: *Iniquè agis contra me; judicet Dominus inter me, & te.* Ex illa diſſimulatione tandem factum eſt, ut Agar fugeret: ſicque Sara ejus privabatur ſervitio. Quanta confuſio in ſancta familia ex conniventia viri, etiam ſancti! Dicat hoc Os aureum Epiſt. 33. in Bibliot. Pat.

Gen. 16. 5.

S. Chryſoſtomus. *Multorum exceſſibus viam aperit, qui, ſubjectorum diſſimulatis erroribus, eis præſtat audaciam delinquendi.* In eandem ſententiam abit Leo Magnus Epiſt. 3. ad Januarium: *Rectores multùm ſæpè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere ſubditis medicinam.* S. Leo Papa. Quot familiæ Religioſæ, etiam reformatæ, ſuam viderunt ruinam, & occaſum, ex Superiorum nimia conniventia! Quot familiæ ſeculares ad extrema redactæ, ex illa maledicta conniventia mariti & uxoris, reſpectu domeſticorum, aut ſubditorum? Quod me attinet, inquit Chryſoſt. juro, quòd longâ experientiâ edoctus, cogar fateri, omnia mala indè originem ducere: *Hinc omnia mala venerunt, quòd corporis noſtri membra, aliena à nobis eſſe putamus.* D. Chryſ. Sup. Horum omnium malorum participes fiunt conniventes, Deo in judicii die de omnibus rationem reddituri. Hoc indubiè apprehenderit Abraham.

VI. Gen. 13. 7. *Facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham, & Lot* (ab enarratione) Videns Abraham ex illa inter duas inſignes illas familias non modica mala oritura, ſtatim opportunum apponit remedium, dicens ad Lot: *Ne, quæſo, ſit jurgium inter me, & te: inter paſtores meos, & paſtores tuos; fratres enim ſumus.* Chryſ. Hom. 33. in Gen. hîc exaltat vocem ſuam: Gen. 13. 7. S. Chryſoſtomus.

„ Audiant hæc, qui ſe extra crimina eſſe putant, quando propter
„ familiaritatem ſuis miniſtris per-
„ mittunt, & connivent rapere, de-
„ cipere, & multa alia mala ma-
„ chinari. Nam, licèt injuſtitiæ
„ illæ opus alienum tibi ſunt, tamen
„ & ipſe negotio communicas, non
„ ſolùm, quòd oblectaris facto,
„ ſed quòd non prohibes, ne faci-
„ nus

„ nus committatur. Nam qui poteſt prohibere eum, qui injuriam „ facit, & non prohibet, is non „ minorem luet pœnam, quàm qui „ injuriam facit." Ita ille. Subjungit: "Porrò nolo mihi dicas frivo„ la illa verba: Nihil mihi curæ „ eſt: Nihil ea de re mihi conſtat: „ Alius fecit, non fui particeps „ injuſtitiæ; prætextus illa ſunt, „ & inane commentum. Si vis „ declarare, quòd non communi„ caveris injuſtitiæ, emenda fa„ ctum."

VII. Dicat aliquis veſtrûm, cur Act. 5. Petrus, primus Eccleſiæ Pontifex, dum primi credentes, afferrent ad pedes Apoſtolorum pretia eorum, quæ vendiderant, Ananiam & Saphiram, qui agro divendito pretii partem ſibi ſervaverant, rigore verè Apoſtolico interrogans: Cur mentiti eſſent Spiritui ſancto, illi ſubitò ceciderint, & expiraverint? Quis expectâſſet talem pœnam pro ſimplici mendacio? Modeſtè, inquit D. Iſidorus: nolite ita illis compati: non eſt tam levis culpa, quàm putetis: *Quia, cùm tunc ſementem Evangelii facere cœpiſſent Apoſtoli; ac ſtatim enata zizania conſpexiſſent, ea confeſtim avulſerunt*. Culpæ particulares poſſunt tantiſper diſſimulari, ſignanter, dum ſpes affulget ſecuturæ emendationis: peccata verò publica, & ſcandaloſa, à quibus timeri poteſt commune damnum, abire non poſſunt impunita; rationem dat Theodoretus Q. 30. in 1. Lib. Reg. *Polluitur enim ex uno peccatore populus, ſicut ex una ove morbida totus grex inficitur*. Quot judices, quot Patres-familias, quot damnantur Superiores ob conniventiam cum delinquentibus ſubditis? Quia, ſecundùm D. Thomam 2.2.Q.147. Art. 4. *Ex hoc ipſo Prælati diſſimulant, videntur annuere*. Imò ſecundùm Ennodium in vita Epiph. *Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit*; ita ut illis, & omnibus ſedentibus pro Chriſti tribunali, dici poſſit, quod Richardo Sacerdoti exprobravit Petrus Bleſ. Epiſt. 3. *Vobis imputant, quod gladium Petri rubigo conſumit*. Judices, Superiores, Patres-familias, Confeſſarii, &c. date mihi licentiam liberè loquendi: omnia peccata, quæ ex veſtra nimia conniventia fient, vobis imputabuntur; ſuper illis puniemini, acſi à vobis facta fuiſſent. Non creditis?

VIII. Inter omnes, à quibus Deum offenſum lego, non infimum locum habent Amalecitæ: tanto enim in eos ferebatur odio, ut Exod. 17. 16. præceperit Moyſi: *Bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem*. Quod tam exactè obſervavit, ut, jam moriturus, dixerit ſuis Deut. 25. 17. *Memento, quæ tibi fecerit Amalec in via; cùm ergò Dominus Deus dederit tibi requiem, delebis nomen ejus; cave, ne obliviſcaris*. Hîc dat Moyſes præceptum, inquit Ugo, de non parcendo Amalecitis: quia, quando filii Iſraël exibant de Ægypto ad terram promiſſionis, Deo ſacrificaturi, Amalecitæ, qui defenſores eorum, & in via quaſi patres eſſe debuiſſent, extrema agminis occiderunt. Hoc numquam

Act. 5. — S. Iſidorus. — Theodoretus. — D. Thomas. — Ennodius. — Petrus Bleſ. — Exod. 17. 17. — Deut. 25. 17. — Ugo Card.

numquam inultum voluit Deus: quia delictum quaſi irremiſſibile eſt, dum quis obſtrictus, & obligatus ad aliquid, in Dei contemptum facit oppoſitum. Veſtrum eſt, Judices; veſtrum Superiores; veſtrum Patres-familias; punire malos, dirigere in viam bonam: ſi connivetis, ſi diſſimulatis, peccatum veſtrum quaſi irremiſſibile eſt. Non recedo ab Amalecitis.

IX. 1. Reg. 15. 2. Ex parte Dei dixit Samuel Sauli, primo populi
1. Reg. 15. 2. Iſraelitici Regi: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Recenſui, quæcumque fecit Amalec Iſraëli: quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto. Nunc ergò vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus: non parcas ei.* Quid factum? *Pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum.* Deo ob illam ſacrilegam rebellionem offenſo, in-
Verſ. 23. dilatè dicit Samuel Sauli: *Abjecit te Dominus, ne ſis Rex.* Et meritò, inquit Theodoretus Q. 33.
Theodoretus. in 1. Reg. 15. *Oportebat ſtultum intelligere, quia una gutta Divinæ benignitatis, & clementiæ vincit omnem hominum bonitatem; ſed infelix, cùm Deus juſſiſſet punire, miſertus eſt, & cùm Deus morte damnâſſet, ipſe, ut exiſtimavit, vitam tribuit.* Quæro: Cùm in hoc Saulis facto multa concurrerint delicta: inobedientia præcepto Divino de occidendo Amalecitarum Rege; habendi cupiditas, ſibi reſervando ſuppellectilem regiam; avaritia, cui ſerviebat contra Dei mandatum, abducendo optima quæque; & conniventia, parcendo ei, qui dignus erat morte; quæro, inquam: Ob quod horum gravium peccatorum privetur Saul vitâ, regno temporali, & æterno? Reſpondet præ-
citatus Theodoretus: *Tantùm eum condemnavit ea, quâ per legem uſus eſt, miſericordia, quantùm avaritia, & plura habendi inſatiabilitas, & amor pecuniæ, cui ſerviens, tranſgreſſus eſt mandatum.* Et meritò: quia ſola conniventia Superiorum in ſubditis multorum vitiorum, eſt fomentum, ideòque, licèt multorum ſcelerum reus, ingratus Monarcha, ob ſolam conniventiam incurrebat Divinam vindictam. Magìs confirmatam habetis hanc veritatem in alio Rege Iſrael. Idem.

X. 3. Reg. 20. 42. Achab, contra Dei mandatum parcit Benadad Regi Syriæ, quem victum in prælio occidere debuerat, ob idololatriam, & in Deum blaſphemias. Conniventia illa adeò diſplicuit Deo, ut per Prophetam, eum feriat juſtiſſimâ mortis ſententiâ: *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Quæ verba ponderans D. Damianus, eleganter more ſuo dicit: *Achab Rex Iſraël, dum Regi Aſſyriorum Benadad inordinatâ pietate pepercit, Divini adverſùs ſe furoris ſententiam provocavit;* prout poſteà contigit; diſponente enim Deo, infeliciſſimè occiſus eſt, totaque familia ejus extincta. Ob quam cauſam? Quia dimiſit virum dignum morte. Si in tanto rigore punîerit Deus Achab: quia unum tantùm dimiſit dignum morte, quid illis facturus eſt, qui tot & tantos 3. Reg. 20. 42. S. Damianus.

A a dimit-

dimittunt, ob multos titulos dignos morte? Deus bone! Quot in Eccleſia, ſub vano prætextu pietatis, miſericordiæ, & compaſſionis, tranſgrediuntur leges juſtitiæ, non infligendo debitas pœnas multis exceſſibus, qui committuntur indies cum notabili præjudicio boni communis? Quot ſunt, qui oculos claudunt, ne ſubditorum videant defectus: vel ſi videant, excuſant, diminuunt, tegunt, & non puniunt? Iterùm exclamo cum D. Bernardo Epiſt. 118. ad Innoc. Pap. *Quanta putamus impunitas iſta, in Eccleſia parturiet punienda!* Verbis illis adjungo ea, quæ ſcripſit S. Damianus Lib. 1. Epiſt. 6. Nicolao Pontifici maximo, exhortans eum, ut in Eccleſiaſticorum & Clericorum vitia ſeverè animadvertat: *Noli peſtem hanc per ignaviam ad incrementa perducere connivendo, & diſſimulando, graſſanti luxuriæ fræna laxare; ſerpit enim hic morbus ut cancer, & viroſa propago ad infinita porrigitur, niſi Angelicâ falce, quod malè pullulat, amputetur. Abſit igitur, ut ſanctum cor veſtrum ſegnis Heli torpor emolliat.* Heli? Quid hoc eſt? Dicam.

S. Bernardus.

S. Damianus.

XI. Hic 1. Reg. 2. 30. à Deo in ſummum Sacerdotem, & populi judicem aſſumptus, conſequenter obſtrictus, iniquitatem populi, ſignanter domeſticorum, corripere, ob nimiam cum filiis ſuis, iniquè nimis agentibus, conniventiam, adeò diſplicuit Domino, ut miſſo Prophetâ in Divino tribunali fulminantē in eum ſententiam juſſerit pronuntiari in hanc formam: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël:* Ego exaltavi domum tuam eminentiſſimâ dignitate ſummi Sacerdotis: elegi te ex omnibus tribubus Iſraël, ut aſcenderes altare, & adoleres mihi incenſum, & portares Ephod coram me, & dedi domui patris tui omnia de ſacrificiis filiorum Iſraël: *Loquens locutus fui, ut domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo uſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Abſit hoc à me.* Impoſterum avertam faciem meam à domo tua, præcidam brachium pontificatûs Aaronici à te, & à domo tua in ſempiternum, & videbis æmulum tuum in templo, pars magna domûs tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit; & ſcelerati filii tui Ophni, & Phinees, quibus nimiùm connivendo indulſiſti, in uno die morientur ambo. Inſuper juro per ſceptrum Divinitatis meæ, quòd omnes pœnæ, in hac ſententia contentæ, non expientur quibuſcumque victimis, & muneribus uſque in ſempiternum. *Juravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domûs ejus, victimis, & muneribus, uſque in æternum; ſed ſuſcitabo adverſùm Heli omnia, quæ locutus ſum; incipiam, & complebo; & quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Quodnam, obſecro, peccatum Heli, ut tam horrendam & irremiſſibilem pœnam meruerit? Os Domini non aſſignat aliam culpam, aliam cauſam, quàm cum impiis filiis ſuis nimiam conniventiam: *Prædixi ei, quòd judicaturus eſſem domum ejus in æternum, propter iniquitatem; eò quòd noverit filios ſuos indignè agere, & non*

1. Reg. 2. 30.

1. Reg. 3. 14.

Verſ. 13.

corri-

corripuerit eos. Quomodò, inquies, dici poteſt, quòd non corripuerit, cùm ſacer Textus habeat, quòd illis dixerit: *Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas ab omni populo? Nolite Filii mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini.* Qualis iſta correptio? Qualis iſta juſtitia punitiva? Novit ex relatione populi, quòd filii facerent res peſſimas; *Res peſſimas*: novit, quòd iniquitas filiorum ſcandalo eſſet toti Iſraëli: *Quas ego audio ab omni populo*: novit, quòd horrendo ſacrilegio furarentur carnes immolandas Deo, & quidem cum ſcandalo offerentium, & diſſimulat. Itane? Scandala publica, abominationes ſacrilegæ, rerum Divinarum rapinæ, violationes mulierum *intra ſacra, intra ſepta*, emendari poterant monitione ſimplici? *Filii mei, nolite facere*: dictione ſimplici: *Quare facitis res hujuſcemodi?* Non erat hæc apta correptio, à qua poterat ſperari emendatio, erat miſericordia impia, clementia crudelis, conniventia tot digna punitionibus cœlitùs datis; hinc meritò ſacer Textus hanc Heli conniventiam inſignit titulo iniquitatis, non correptionis, dicens: *Propter iniquitatem, eò quod noverit filios ſuos indignè agere, & non corripuerit eos.* S. Petrus Damianus Epiſt.6. omnes Prælatos, & Magiſtratus populi monet verbis verè aureis, & omnium cordibus imprimendis: *Si ergo*, inquit, *Heli propter duos filios, quos non eâ, quâ digni erant, caſtigatione corripuit, cum eis ſimul, & cum tota hominum multitudine periit, quâ arbitramur ſententiâ dignos eſſe, qui in aula Eccleſiaſtica, & non in ſoliis judicantium præſident, & ſuper non ignotis criminibus ſceleratorum hominum tacent? Qui, dum perditis hominibus honoris officium ſervant, Chriſtum, Eccleſiaſticæ dignitatis authorem, crudeliter inhoneſtant?* Ponderate, NN. mei, hæc verba: *Cum eis ſimul, & cum tota hominum multitudine periit*; quia ſtultæ conniventiæ Heli attribuitur non ſolùm domûs ejus perpetua ignominia, & interitus, ſed & mors ejus, & filiorum, & victoria Philiſtinorum, Arcæ captura, & ſtrages triginta millium hominum; ut hinc diſcant omnes Magiſtratus Chriſtiani, temporales, & Eccleſiaſtici, ab hoc peſtifero fonte conniventiæ, in Eccleſiâ, & in mundo, Prælatorum, & Principum mortes immaturas, bella, peſtilentias, Hæreticorum victorias, ſtrages fidelium, templorum, & Sacramentorum prophanationes, familiarum ruinas promanare. Sed hæc temporalia cùm ſint, non ita pondero; ſed quid de anima Heli? Hoc novit Deus. Quidquid ſit, placeat deſuper audire unum, aut alterum Patrem. Tritemius Abbas dicit: *Heli, falsâ pietate excæcatus, filios peccantes corrigere neglexit, qua in re, & ipſum, & filios malâ morte periiſſe conſtat.* Unus audiatur præ omnibus Eccleſiæ Doctor D. Gregorius 3. Par. Paſtor. Cap.6. *Quia falsâ pietate ſuperatus, ferire Heli delinquentes filios noluit, apud diſtrictum judicem ſemetipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit.*

1 Reg. 2. 23.

Verſ. 13.

Tritemius Abb.

S. Gregorius.

Hîc ad rem noſtram facit, quod habetur de Cæſario Arel. Hom. 15. Hic dicens ad populum ſuum, hoc exemplo motus, ajebat: Conquerimini ſæpè, quòd non connivemus vobiſcum, quòd nimis rigoroſi ſumus in carpendis malis: ſcitote injuſtas eſſe querelas veſtras: eſtote certi, quòd noſtra, & veſtra indè ſalus dependeat: ego enim alioquin Heli eſſem, vos Ophni, & Phinees filii ejus, & deſcenderemus ſimul in infernum. O miſeram Heli ſortem! Ob nimiam conniventiam nomen ejus de libro vitæ deletum eſt. Nec mirum, inquit D. Thomas in Addit. Q.36. N.4. *Heli mortaliter peccavit, non corrigendo filios de malitia eorum.* Non tantùm de libro æterno, ſed & temporali in hac vita.

D. Thomas.

XII. Judicum 18. 1. Poſt mortem Sampſonis, legitur immediatè in S. Textu: *In diebus illis non erat Rex in Iſraël*; hoc mirum, cùm tamen, ſecundùm Interpretes, ſucceſſerit Heli, & regnaverit 40. annis. Audite deſuper Rupertum Lib.4. de Vict. Verb. Cap.10. *Notandum quippè, quòd mortuo Sampſone dignum non æſtimaverit Scriptura, ut diceret: Poſt hunc fuit, qui ſucceſſit, Heli; licèt judicaverit Iſraël 40. annis; ſed inter infelices dierum illorum hiſtorias, iſta querela frequens eſt: In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed unuſquiſque, quod rectum videbatur, hoc faciebat.* Ita ille. Ob intolerabilem conniventiam habetur indignus nomine judicis. *Judicabat quidem Iſraël ſecundùm nomen, & perſonam, ſecundùm rem, meritumque nullus erat. Quia in diebus ejus calce abjicere legem Dei, nimia ferè omnibus licentia fuit.* NN. verum eſt, modò non apparent Prophetæ, qui ex parte Dei nuntient hunc vel illum interimendum, ſicut Sauli, Achab, & aliis: nec eſt neceſſe: generaliter enim omnibus dictum eſt Exod. 22. 18. *Maleficos non patieris vivere.* Et iterùm: *Et nunc, Reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore* Pſalm.2. Servire Domino, eſt defendere bonos, & pro qualitate criminis malos punire; alioqui Deo reddenda eſt ratio in die judicii, de omnibus, quæ per conniventiam fient. In hoc ſancto timore, dicam meliùs tremore, vivere debent judices, ne ipſis dicatur, quod dictum eſt Ludovico XI. Galliarum Regi. Rogatus hic, ut faceret gratiam homicidæ cuidam, non poterat eò induci, dicens, quòd illud eſſet tertium, ab eo commiſſum. Aſtans morio, facetè quidem, ſed verè dicebat: Ignoſce, Domine mi Rex, unum tantùm occidit ille: duos alios occidit Majeſtas tua: ſi enim ad primum homicidium ſuſpendi eum juſſiſſes, duo ſubſecuta minimè commiſiſſet. Auditis hoc, Judices & non exhorreſcitis? Superiores, Patres-familias, etiam verbũ habeo ad vos: quia & vos judices eſtis in familiis veſtris. Si conniveatis cum ſubditis veſtris, ſi diſſimuletis domeſticorum vitia, debebitis omnium exceſſuum reddere rationem Deo, tamquàm omnium rei. Audite D. Proſperum Lib.2. de Vita Contempl. Cap.5. *Si peccantem video, & non ſolùm, non arguo, ſed etiam*

Judic.18. 1.

Rupertus.

Exodi 22. 18.

Pſalm.2.10.

ei.

ei peccanti conſentio, participem me condemnationis ejus efficio. Item Cap. 23. *In omnibus peccantibus pecco, quando meos ſciens peccaſſe, ſive peccare, quâdam crudelis animi malignitate non moneo.* Audite legem à Deo latam.

Exodi 21. 9. XIII. Exodi 21. *Si bos cornupeta fuerit ab heri, vel nudius tertius, & conteſtati ſunt Dominum ejus, neque recluſerit eum, occidat virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum ejus occident.* Si quis haberet bovem indomitum, quem ignoraret talem, ſi notabile damnum feciſſet, occideretur bos, non autem Dominus; at ſi præmonitus de feritate bovis non ligâſſet, nec occluſiſſet, ſed permiſiſſet currere, ſicque damnificâſſet, & occidiſſet virum, ac mulierem, *Bos lapidibus obruetur, & Dominum ejus occident.* S. Cyrillus Alex. ſtupore plenus, cum Apoſtolo

1. Cor. 9. 9. quærit: *Numquid Deo cura eſt de bobus?* Sed conſiderans in bobus fatigatis, ſtatum famulorum, declarat, quòd, ſi quis illorum abſque ſcitu Domini ſui impius ſit, & committat grave damnum proximo ſuo, excuſetur patronus, ſeu dominus; ſin verò ipſe cognoverit ſcandala, & damna, quæ fecit, & non corrigat, ſed conniveat, reus fiat, & particeps omnium delictorum, quæ committit, puniendus, ut tranſgreſſor; undè ait: *Si tibi ejus conſuetudo mala eſt explorata, & non comprimis, morieris & tu.* (S. Cyrillus Alex.) Patres-familias, non tinniunt aures veſtræ, dum hæc auditis? Quæ indies fiunt in domibus veſtris, inter ſervos & ancillas, auditis, & videtis; ſcitis, & tacetis: non ſecùs agentes cum famulis & ancillis, quàm Dominus ille, de quo

XIV. Act. 16. Quidam nobilis Romanus commovet omnes in Paulum, quia ancillam ſuam liberaverat à dæmonio, & non ob aliam rationem, quàm quòd illa, arte diabolicâ, *Magnum quæſtum faciebat.* Hoc conſiderans, exclamat Chryſ. *O Paganorum inhumanitatem! Ut augeant pecuniam, puellam à dæmoniis vexari volunt.* Mutem ego verbum: *O Chriſtianorum inhumanitatem!* qui omni exuto honoris Dei, & ſalutis animarum zelo, de domibus ſuis domicilium faciunt potiùs diabolorum, quàm hominum! Quid miramur, ſi cæduntur, ſi flagellantur à Deo? Quid miramur, ſi tandem ad extremam dejiciantur ruinam, & exterminium, ultra rationem, quam reddituri ſunt Deo, de omnibus, quæ fiunt per eorum conniventiam? Actor. 16.16. D. Chryſoſt.

XV. Conniventes, quicumque eſtis, vultis paucis dicam quidquid de vobis dici poteſt? Habeo Deum pro me loquentem: Deut. 27. *Maledictus, qui* (conniventiâ ſuâ) *errare facit cæcum in itinere.* Item Jeremiæ 48. *Maledictus, qui prohibet gladium à ſanguine.* Quæ verba ponderans S. Baſilius Lib. 1. Cap. 1. *Sicut benedictione digni ſunt, qui culpas corrigunt: ita maledictioni obnoxii ſunt, qui peccatoribus blandiuntur: juxta illud: Maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. A ſanguine quippè gladium prohibet, qui ſe ab inferenda reprobis ultione coërcet.* Notat Purpuratus Ugo duos dari gladios, juxta illud Lucæ 22. 38. *Ecce duo gladii hîc. Unus eſt* (Deut. 27. 18. Jerem. 48. 10. S. Baſilius. Ugo Card. Lucæ 22. 38.)

ſpiritualis, qui, per Evangelium culpas feriens, homines ſanet; alius corporalis, qui ſecundùm legem pœnam peccantibus irrogat. Et convertens ſe ad judices Eccleſiaſticos, ſubjungit: *Hic eſt gladius ſpiritualis, quo Prælati vitia hominum ferire debent, quem illis Petrus reliquit: ſi tamen ſui fervoris hæredes exiſtunt. Videte igitur, Paſtores, quid facitis, Chriſtum in oculis veſtris crucifigunt populi, & vos adhuc gladium in vagina habetis? Quid in Paſſione Chriſti feciſſetis, qui modò ad percutiendum pigri eſtis? Maledictus, qui prohibet gladium à ſanguine.* Econtrà: benedictus, qui evaginat gladium, ut percutiat, & ſanet. Sciat, quiſcumque judex tam ſecularis, quàm Eccleſiaſticus, gratiſſimum Deo offerri ſacrificium, dum exercetur, & zelatur juſtitia. Audiantur hîc aurea verba Oleaſtri: *Si judex, aut* Oleaſter. *tortor malorum es, non putes te irreligioſum, aut prophanum: quoniam non minùs Deum hoc opere colis, quàm ſi donaria & ſacrificia manibus ſacratis offeras. Sacrificium Deo acceptiſſimum eſt, peccatores punire: quemadmodum Sanctos colere: nec minus benedicitur, qui injuſtum necat, quam qui juſtum extollit.* Vultis probam?

XVI. Erckenbaldus, Dux Brabantiæ, lecto decumbens, audit filium, alioqui amantiſſimum, vi honeſtiſſimam mulierem oppreſſiſſe; illum ad lectum ſuum vocatum, capit per crines & gladio jugulat, quem tortor occidere recusârat. Factum, tantò cœlo gratius, quantò aulæ deteſtabilius. Obinde, ut impius filicida, ab Epiſcopo increpatur. Agonizans monetur, ut delictum tam enorme confiteatur; qui renuit, dicens, putare ſe Deo ſacrificium ſummum præſtitiſſe; unde negatis Abſolutione, & Viatico (utpotè illis ab Epiſcopo habitus indignus) oſtendit Deus, quàm gratum illi eſſet, non connivere cum malefactoribus, etiam ſpretis carne & ſanguine. Ecce ex clauſa pixide volavit in os ejus S. Hoſtia: quod, ut ſenſit, Epiſcopum his verbis alloquitur: *Quem mihi negâſti, ipſe, ſe mihi non negavit*; ad Epiſcopi, & omnium aſtantium confuſionem.

XVII. Confirmat aſſertum noſtrum dicto & facto ſuo S. Ludovicus Galliarum Rex. Præſentabatur illi, divinum recitanti Officium, quidam homicida, à Rege veniam petens, & vitam: quam dum dediſſet, divinâ diſponente juſtitiâ, incidit in hunc Verſiculum Pſal. 105. *Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore*; & Pſal. 105 3. ſtatim revocavit conceſſam homicidæ gratiam, mandans ut in rigore puniretur: hæc verba, ſummâ ponderatione digna, ſubdens: Princeps, qui poteſt punire crimen, & non punit, non minùs coram Deo reus eſt, quàm ſi ipſe perpetrâſſet. Judices ergò ſeculares, ſignanter ſpirituales, coram animarum habenies, audite: Sapiens vos alloquitur, dum ego finem meditor.

XVIII. Prov. 6. *Fili mi, ſi ſpopondiſti pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui; fac ergò, quod dico Fili mi, & temetipſum liberà.* Greg. Magnus, Ugo, Beda, Bernard. ſignanter D. Thom. ad Heb. Cap. 13. Lect. 3. applicant illa verba Salomonis, curam Prov. 6. 1. S. Greg. 3. Paſt. Admo. 5 Ugo, Beda in Prov.

ram animarum habentibus, & dicunt, quòd illi ſint, qui defixerunt manum & linguam in bonum ſubditorum; manum, per exemplum bonorum operum; linguam, per exercitium prædicationis & correctionis. Sed cui defixerunt illas? Numquid Chriſto? Numquid Salvatori? Numquid Domino? Cur ergò dicit, quòd extraneo: *Apud extraneum*? Ut me intelligatis: tradis alicui notabilem ſummam mutuò, ut creditori ſatisfaciat, certo tempore reddendam: vel ſpondes pro ſumma notabili: quàm grato ille te reſpicit vultu? blanditur, &c. omnia benevolentiæ ſigna exhibet? eſt totus veſter; amici eſtis ad invicem ſed adveniente horâ ſatisfactionis, qualis mutatio? vis ſolutionem, non vis dare inducias, & quaſi numquam noviſſes, in jus vocas, in carcerem mittis, vendis omnia bona ejus, cogiſq; ad plenam ſolutionem. Non aliter agit vobiſcum Chriſtus, inquit D. Thom. *Dicitur extraneus, quia amicus eſt in ſponſione, ſed erit extraneus in exigenda ratione.* Sic eſt NN. erit extraneus *In exigenda ratione.* In admiſſione dignitatis veſtræ oſtendit vobis Deus vultum benignũ: *Amicus eſt in ſponſione*, multa pro mittens; ſed erit extraneus *In reddenda ratione*; tunc uſque ad noviſſimum quadrantem omnium rationem exquiret. Et certè niſi ita foret, quomodò tam multi SS. horruiſſent promoveri? *Fac ergò quod dico, Fili mi, & temetipſum libera, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ: eruere, quaſi damula, de manu, & quaſi avis de inſidiis aucupis.* Vôs fidem veſtram Chriſto oppignoráſtis pro tot debitoribus ejus, attendite, ut quiſque ſolvat debitum ſuum; voſmetipſos liberate, rogate, monete ſubditos, punite illos, donec ſatisfactum ſit Deo: donec tollantur abuſus, emendentur vitia: quia agitur hîc de magno Capitali, agitur de fidei-juſſione: *Non ſpondeas ſuper virtutem tuam*, inquit Eccleſiaſticus: *quòd ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita.* Eccleſ. 8, 16.

D. Thomas.

FERIA VI. DOMINICÆ III. ADVENTUS.

De Conniventia, ſeptimo Peccato Alieno.

Ab alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Inter omnes *Conniventias* nulla pernicioſior, quàm parentum cum prolibus; conniventes cum illis, non ſolùm participes fiunt omnium peccatorum, quæ faciunt proles, ſed perdunt illas, & ſe: adeòque non parentes, ſed peremptores dicendi.

I. NOn eſt, quòd repetam ea, quæ heri à me dicta ſunt de *Conniventia*, ſeptimo Peccato Alieno, maximorum malorum ſcaturigine

turigine; hoc ſolùm ſufficiat dicere, conniventes Judices, Magiſtratus, Superiores, qui iniquos & maleficos impunè abire ſinunt, omnium malorum, quæ iterùm committuntur, fieri participes. & de illis in magno judicii die reddituros rationem. Inter omnes conniventias nulla perniciosior, quàm parentum cum prolibus. Antequàm de illa loquar, implorabo Divinam opem, per interceſſionem ejus, quæ eſt Mater & Virgo. *Ave Maria.*

II. Patres & Matres, Eccleſiaſticus vos alloquitur Cap. 7. *Filii tibi*
Eccli. 7. 25. *ſunt? erudi illos, & curva eos à pueritia*
eorum. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus
illarum, & non oſtendas hilarem faciem
ad illas. A bona, aut mala educatione
prolium, pendet tota illarum, &
veſtra ſalus; audite ulteriora verba
Eccli. 30. 1. ejus Cap. 30. *Qui diligit filium ſuum,*
aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſ-
ſimo ſuo, & non palpet proximorum
Verſ. 8. *oſtia. Equus indomitus evadit durus,*
Verſ. 9. *& filius remiſſus evadet præceps. Lacta*
filium, & paventem te faciet; lude cum
Verſ. 10. *eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi:*
ne doleas, & in noviſſimo obſtupeſ-
Verſ. 11. *cent dentes tui. Non des illi poteſtatem*
in juventute, & ne deſpicias cogitatus
Verſ. 12. *illius. Curva cervicem ejus in juventute,*
& tunde latera ejus, dum infans eſt, ne
fortè induret, & non credat tibi. & erit
Verſ. 13. *tibi dolor animæ. Doce filium tuum, &*
operare in illo, ne in turpitudinem illius
offendas. Quid videtur de illo conſilio, poſſetne dari melius? Si non ſequamini, ſed connivetis cum illis, dum malè agunt, non ſolùm incurritis ſeptimum Peccatum Alienum *Conniventiæ*, participes facti omnium, quæ faciunt, peccatorum, ſed perditis illos, & vos. Habete bonitatem me audiendi, non tædebit vos me hodie audiviſſe. Incipio.

III. Parentes, Sapiens loquitur
vobis Prov. 23. Pater, Mater, *Noli* Prov. 23. 13
ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim
percuſſeris eum virga, non morietur, &
animam ejus ab inferno liberabis. Si non conniveatis cum filiis veſtris, ſed virgâ diſciplinæ correxeritis eos, non morientur ex illa, licèt patiantur aliquid in corpore: minus hoc illis damnum erit, quàm æternùm perire; animas eorum ab Inferno liberabitis; ſi autem conniveritis, & virgam diſciplinæ abjeceritis, tantò eis eritis crudeliores, quantò ſecuriùs in æternam damnationem ire permiſeritis. Connivere, damnare eſt: corripere autem, benedicere. Diſcite ab uno, qui re, & nomine, verus pater fuit; nôſtis illum ex nomine.

IV. Gen. 49. Moriturus Jacob,
convocatis filiis ſuis, *benedixit ſingu-* Gen. 49. 28.
lis benedictionibus propriis. Quomodò
benedixit, ſi Primogenitum ſuum
Ruben non ſolùm non benedixerit,
ſed ei imprecatus fuerit, ne creſceret;
dicens: *Ruben Primogenitus meus,* Verſ. 3.
principium doloris mei: effuſus es ſicut
aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile
patris tui. Aliis ſubſequentibus Simeoni & Levi, apertè maledicit:
Simeon & Levi, vaſa iniquitatis bel- Verſ. 5.
lantia. Maledictus furor eorum, quia
pertinax. Quomodò illa ſimul ſtant? Quomodò dicit Moyſes, quòd Jacob benedixerit ſingulis, ſi loco benedictionis, dederit maledictionem? Cajetanus acutiſſimè more ſuo dicit, Jacob hæc omnia in benedictionibus dixiſſe, ut demonſtraret reprehen-

ſiones, correctiones, & caſtigationes parentum, potiùs benedictiones eſſe, quàm maledictiones. Patet veritas Exodi 6. ubi relictis aliis tribubus, ſolummodò recenſetur Genealogia Ruben, Simeonis, & Levi, præ cæteris propagata, cùm tamen illæ tres tribus à patre fuerint antè maledictæ; Deo ſic diſponente, inquit Mendoza: *Ut oſtenderet, filios à parentibus reprehenſos, uberiùs ac feliciùs, quàm alios à patre laudatos, germinâſſe*, & reprehenſiones, & correptiones parentum, filiis eſſe in benedictionem: conniventias autem, in maledictionem, cùm filiis occaſionem præbeant ruinæ ſpiritualis.

Exod. 6. 14. 15. 16.

Mendoza.

V. Non merentur ſimiles conniventes nomen parentum. Audite, quo illos appellent nomine Os Aureum, & Os Melleum: *Hos ego patres*, inquit Chryſ. Lib. 3. Cont. Vituperatores vitæ Mon. *Parricidis ipſis immaniores, ſceleratioreſque dixerim: illi enim corpus ab anima ſeparant; iſti & animam, & corpus æternis ignibus tradunt.* Bernardus Epiſt. 111. *Parentes crudeles*, imò non *Parentes, ſed Peremptores* vocat. *Corpus natorum amant, animam autem contemnunt; deſiderant enim valere illos ſeculo iſto, & non curant, quid paſſuri ſunt in alio.* Incomparabilis Auguſtinus Ser. 33. ad Fratres ad hanc maledictam conniventiam exclamat: *O grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! Ecce filios ſe dicunt diligere, quos jugulare procurant: dicunt eos amare, quibus jam ſuſpendia parant*, & mortem æternam. Hinc converſus ad Deum gratias illi agit infinitas, quòd ſortitus ſit tam felicem matrem, quæ amariſſimis lacrymis diu noctuque ſuſpirabat ſalutem animæ ejus: ita enim loquitur Lib. 1. Conf. Cap. 11. *Conturbata mater carnis mea, ſempiternam ſalutem meam cariùs parturiebat corde caſto in fide tua, & ſatagebat, ut tu mihi pater eſſes, Deus meus.* Subjungens, quòd oppoſitum feciſſet pater ſuus: *Non enim ſatagebat, ut creſcerem Deo, aut quàm caſtus eſſem, dummodò eſſem diſertus, & in hoc ſeculo florerem, ad honorem hominum.* Et iterùm Lib. 2. Conf. Cap. 10. *Relaxabantur mihi ad ludendum habenæ ultra temperamentum ſeveritatis; inde prodiit, quaſi ex adipe, iniquitas mea.* Rationem iſtius conniventiæ dat Deo: *Ille de me cogitabat inania, quia de te nihil cogitabat.* Ille eſt caſus deplorandus majoris partis patrum, & matrum (ſi tamen patres & matres dici poſſint) qui ſicut parùm, aut nihil de Deo cogitant, aut de animarum ſalute, ſed oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, & in temporalia, ita agunt cum prolibus ſuis, inquit Bernardus Epiſt. 2. *Dum filios cupiunt onerare bonis terrenis, cæleſtibus exhæredant*: agentes cum illis, ſicut Struthio cum catulis ſuis. Hoc plorans deplorabat Jeremias

S. Chryſoſt.

S. Bern.

S. Auguſtin.

S. Auguſt.

S. Bernard.

VI. Thren. 4. *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi Struthio in deſerto.* Septuaginta legunt: *Sed & dracones majorem habent curam de catulis, quàm vos.* Sanctus Hieronymus in Comment. de lamia loquens, ait: *Lamia, humanam faciem habet, ſed corpus beſtiale; filia populi mei crudelis, quaſi Struthio in deſerto; de hoc Struthione, & in libro Job legitur, quid* Job 39. 19.

Thren. 4. 3.

S. Hieron.

induretur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui. Lamiæ faciem habent pulcherrimæ mulieris, & corpus beſtiæ; Et vos, Parentes, habetis apparentiam humanam, ſed cor beſtiale: imò plus quàm beſtiale; quia beſtiæ amant, quantùm poſſunt, partus ſuos, & in bonum eorum non parcunt laboribus, nec periculis: & vos nobiliorem partem, quæ in illis eſt, animam ſcilicet non amatis, ſed odio habetis, non amatis ad æternitatem, & ad Deum, nolentes laborare, ut bene educetis, ipſo pejores Struthione. Duas malas qualitates habet Struthio: primò quòd ova ſua abſcondat ſub pulvere, & poſteà eorum non recordetur ultrà. Secundò quòd ferrũ digerat: Sic multi agunt parentes; generant filios, & poſteà relinquunt, quaſi non ſint ſui. Dic mihi, Pater: A quo tempore filius tuus confeſſus eſt? Neſcio. Quocum converſatur? Neſcio. Ubi eſt toto die? Neſcio. Neſcis & pater es? Quis ergò ſciet? Numquid eſt filius tuus? Numquid obligaris ſtrictè, invigilare ei? Agis cum filio, quaſi non eſſet tuus; & quod pejus eſt, digeris ferrum ſicut Struthio: Scis, quòd ille quocum converſatur, ſit ruina corporis, & animæ ejus, & connives. Scis, quòd ſine timore Dei ſit, & taces. Scis, quòd ſit diſcolus, & inſolens, & toleras. Vides, quòd de Eccleſia proſtibulum faciat, & hæc omnia digeris. O ſtomachum Struthionum! Dic mihi, Mater: Quomodò ſe habet filia tua? Num etiam dices: Neſcio? Vides illam indies converſari cum perſonis mali nominis, diſſimulas, & permittis. Vides ea, quæ ſecundùm Deum non poſſunt permitti, & videns cæca es. Ah Parentes, *Struthio in deſerto!* Vultis nominem vobis rationalem Struthionem? Salomonem nôſtis.

VII. Quis ſapientior illo, qui per excellentiam Sapiens appellatur? Unicus tantùm erat illi filius, ad coronam natus. Quis non diceret Salomonem omnem infuſam ſapientiam ſuam impenſurum, ut in Dei timore ſuum educaret filium? Nihilominùs fuit Roboam ex impudentiſſimis, & nequiſſimis, quos illud ſeculum vidit. Dederat Salomon ante peccatum ſuum toti mundo monita ſalutaria, quæ in libris Proverbiorum & Sapientiæ exſtant; at poſtquàm ab amore carnali, intoxicatus gratiam Dei amiſit, ad tantam pervenit conniventiam, ut filii nequitias non ſolùm diſſimulârit, ſed nec antè, nec in morte ei vel verbum dederit paternæ correctionis, aut monitionis ſalutaris; ut colligi poteſt ex 1. Paral. 28. & 3. Reg. 11. 1. Paral. 28.
ubi mors ejus deſcribitur. Audiant 3. Reg. 11.
hæc, ſimilis farinæ parentes noſtri temporis, *Qui durantur ad filios ſuos,* Job 39.
quaſi non ſint ſui. Pudet videre ipſos hæreticos adeò ſolicitos, ut filios ſuos peſtiferâ ſuâ doctrinâ à teneris inficiant, & Catholicos adeò deſides, ut ſuos imbuant ſanâ! Et utinam unicum hoc crimen veſtrum foret, Parentes, filiorum nimirùm veſtrorum neglectus! At vos cauſam eſſe interitûs eorum & ruinæ, ad hoc præ ſtupore obmuteſcit Os aureum eloquentiſſimi Chryſoſtomi Lib. 3. cont. Vitup. ſic ſcribentis: *Utinam hoc tantùm culpa eſſet,* S. Chryſoſt.
nihil utile liberis parentes conſulere:

poſſet.

poſſet id, quamquàm graviſſimum ſit, aliquatenus tolerari; nunc verò, eos ad ea, quæ ſaluti ſunt adverſiſſima, impellitis; & acſi deditâ operâ liberos veſtros perdere omni ſtudio curetis, ita univerſa illos jubetis facere, quæ, qui faciunt, ſalvi eſſe non poſſunt. Sinite me cum Mellifluo Bernardo Epiſt. 111. exclamare: *O durum patrem! O ſævam matrem! ô Parentes crudeles, & impios! quorum dolor, ſalus pignoris: quorum conſolatio, mors filii.* Quantùm Deo diſpliceat conniventia veſtra, colligite ex eo, quod evenit Sidoni. S. Bernardus.

VIII. Iſaiæ 23. Offenſus erat Deus Sidoni, civitati maritimæ, & Metropoli totius Phœniciæ, ob graviſſima peccata afferentium merces, quæ tolerabant cives Sidonii, magìs curantes temporale intereſſe, quàm Dei honorem; undè per Iſaiam civitati minatur plagas graviſſimas. Audite excuſationem, quam adfert Iſaiæ 23.4. Sidon: *Non parturivi, nec peperi, & non enutrivi juvenes.* Quaſi diceret. Non eſt meum curare, aut attendere, an malè vivant, qui huc veniunt: quia non ſunt filii mei, non parturivi eos. Licèt excuſatio videretur legitima, nihilominùs ex parte Dei dicit illi Propheta: *Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam, & diſperdet habitatores ejus.* Parentes, hîc vos veſtros judices volo; ſi Deus diſperdat Sidonem, quia extraneis connivebat, quid illis patribus & matribus fiet, qui connivendo proles ſuas cogunt peccare? dico: *Cogunt:* quia *Qui non vetat, vetare cùm poteſt, jubet.* Non potuit Sidon aliam dare excuſationem negligentiæ in corrigendis illis peccatoribus, niſi quòd non eſſent filii ſui: *Non parturivi eos.* Quid vos reſpondebitis, quando citati ante tribunal Dei, debebitis reſpondere pro peccatis, quæ commiſerunt conniventiâ veſtrâ illi, quos genuiſtis? Quam excuſationem dabitis, cùm proles, quas Deo & cœlo educare debebatis, diabolo, & inferno educatis? Audite, quid Chryſoſt. de vobis dicat: *Qui negligit filios,* S. Chryſoſt. *oſtendit, quòd non deſideravit illos Deo, ſed dæmoni generare, cui illos nutrit. Quid igitur dicetis Chriſto judici,* quando ſuper conniventia veſtra judicabimini? *Quid dicetis?* Origenes magìs compatitur vobis, quàm vos ipſi vobis Lib. 6. in Job vobis ob oculos ponit, in quæ mala vos conjiciatis: *Omnia, quæ delinquunt filii,* Origenes. *à parentibus requiruntur, qui non corripuerint eos; hi enim filiorum animas igni inextinguibili in interitum tradunt, & ſeipſos in furorem judicii demergunt.* Non ſufficit ergò vobis, quòd ipſi pereatis, ut etiam vobiſcum damnari velitis filios veſtros? Audite deſuper conquerentem Deum.

IX. Jeremiæ 7. Videns Propheta Deum iratum in populum, fundit pro eo preces; at Deus: *Tu ergò noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis* Jeremiæ 7.16 *laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Et ne Jeremias miraretur ſuper hoc, ſubjungit: *Nonne vides, quid iſti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jeruſa-* Verſ. 17. *lem? Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſper-* Verſ. 18. *gunt adipem: Ut me ad iracundiam provocant. Filii colligunt ligna.* Numquid eſt verum, Parentes? Vix filii veſtri ad uſum rationis pervenerunt, quin colligant ligna vitiorum, quin

jurent, quin verba proferant impudica, quin converſentur indies cum perverſis; quid eſt hoc aliud, quàm ligna colligere, quibus æternùm ardeant? Et quod peſſimum: *Patres ſuccendunt ignem*; patres, quorum eſt reprehendere eos & caſtigare, & docere doctrinam Chriſtianam, Dei timorem, & ea quæ ſpectant ad animæ ſalutem, non tantùm connivent cum illis, ſed applaudunt, & inſtigant ad malum, *Majorem aſinorum & equorum* (cum D. Chryſoſtomo loquor Hom. 6. in Matth.) *quàm filiorum curam habentes*; verbo dictum: *Patres ſuccendunt ignem. Mulieres conſpergunt adipem.* Qui adipem in ignem mittit, magìs accendit, & nutrit flammam: numquid idipſum vos facitis, ſtultæ Matres, quæ ad fovendas impudicas diſcolorum filiorum veſtrorum cupidines, furamini pecunias maritorum? dum ignem extinguere oporteret, *Conſpergitis adipem*, ut accendatur magis. Numquid in accenſum filiarum veſtrarum ignē, adipem conſpergitis, dum gloriamini ipſas garrulas, denudatas, benè comptas videre, multos habere procos, de manè ad veſperam ad feneſtras ſtare? imò dum ipſas ad converſationes ducitis, in quibus non ſemel animarum naufragium paſſæ ſunt, non attendentes *Peccare parentes, ſi filios à ſuſpectis ſodalitiis non ſeparent*: ut docent Theologi: Novarr. in Summo Cap. 14. N. 18. Bonac. de Prec. Diſp. de Sent. unica P. 6? O durum patrem! O ſævam matrem! Non videtis vos veſtrâ conniventiâ filiis veſtris ignem conſtruere, quó æternùm ardeant? Reſpondebitis fortè, indulgendum eſſe pueritiæ, juventuti, nihil ſubeſſe mali, luſus tantùm pueriles eſſe. Itane? Quæ hodie inter parvulos fiunt, luſus vocatis?

D. Chryſoſt.

Bonacinas

X. Dicat mihi aliquis veſtrûm: Cur ad inſtantiam offenſæ uxoris ſuæ Saræ, meliùs dixero, ad Dei mandatum, Abraham de domo ſua ejecerit Agar, & Iſmaël filium ejus: *Ejice ancillam, & filium ejus?* Ratio- Gen. 21. 9.
nem habemus in S. Textu: *Cùmque* Verſ. 10.
vidiſſet Sara, filium Agar Ægyptiæ ludentem cum filio ſuo. Quid? Ideò offenditur Sara, quia duo fraterculi in domo paterna ludunt? Hoc miror; ponderemus verbum illud *Ludentem*: quid vult ly *Ludentem*? Hoc eſt quaſdam inſolentias, & nequitias exercentem; alii dicunt: *Jocantem*: irridentem, ſubſannantem, tamquàm juniorem, & minorem ſe: *Ludentem*: hoc eſt, ut volunt alii: docentem turpitudines Gomorrhæas. Gloſſa Interl. *Lubricum, & laſcivum eſſe* Gloſſa.
docebat, ſicut ipſe erat. D. Hieronymus, cujus auctoritas in interpretandis Voluminibus ſacris eſt irrefragabilis, *Ludentem* interpretatur: S. Hieron.
Hoc eſt: Idololatrantem, ſeu idola facientem cum Iſaac filio ſuo. Didicerat Iſmaël à matre ſua Ægyptia idololatriam, & ad loca ſecretiora ducens Iſaac, docebat eum formare idola, eaque genuflectendo adorare. Deus bone! Etiam in domo Abrahæ, à ſolo Dei timore moderata, in qua non agitur niſi de ſacrificiis, de orationibus, de Dei amore, idololatria invenitur? Non inter ſervos & ancillas, ſed inter filios, & quidem abſque ſcitu tam ſancti Patriarchæ? Niſi Sara invigilâſſet, quanta indè exorta fuiſſent mala? Quid ad hoc,

Patres,

Patres, & Matres, qui parvulos veſtros cum puellis ludere permittitis? Mementote pueritiæ veſtræ, & tranſactorum in ea, quorum fortè cicatrices adhuc geritis, & ſcietis, quid velim; permittitis filios & filias condormire, & licèt moniti de periculo, non curatis, allegantes eorum innocentiam; utinam me de hac materia dicentem, intelligere poſſetis, non loquendo! Saltem audite linguato ſilentio loquentem Hieronymum (*Defunctus* enim *adhuc loquitur*) Epiſt. 132. ad Vitalem, in qua docet, Salomonem & Achaz, undecimo, aut ad ſummum duodecimo ætatis anno filios genuiſſe: ſic enim ſcribit: S. Hieronymus.

1. Paral. 29. 3. Reg. 11. 2. Paral. 9. 3. Reg. 14. 4. Reg. 16. 1. Paral. 28. 4. Reg. 18. 2. Paral. 29.

XI. "Deprecaris, ut exponam „tibi cauſas, quare Salomon & „Achaz, undecim annorum, filios „genuiſſe dicantur; ſi enim duo„decimo anno Salomon ſuper Iſ„raël accepit imperium; & qua„draginta annis regnavit in Jeru„ſalem, filiuſque ejus Roboam, cùm „quadrageſimum & primum an„num ageret ætatis, patri ſuc„ceſſit in regnum; perſpicuum eſt, „undecim annorum fuiſſe Salomo„nem. Rurſum Achaz filius Joa„tham, cùm viginti eſſet anno„rum, Rex conſtitutus eſt ſupra „duas tribus, id eſt, Judam & „Beniamin: regnavitque annis „ſedecim; quo mortuo, Ezechias, „cùm vigeſimum & quintum an„num ageret ætatis, patri ſucceſſit „in regnum; ex quo intelligitur, „Achaz quòque undecimo, ſive „duodecimo anno Ezechiam filium „procreaſſe." His ſuppoſitis, quærit Auguſtinus. *Quis crederet mortalium, ut undecim annorum puer generaret filium?* Quærenti ſibi reſpondet: *Multa & alia creduntur in Scriptura, quæ videntur incredibilia, & tamen vera ſunt.* Addens caſum ſibi notum: "Domino „teſte non mentior: quædam „muliercula, cùm impoſitum nu„triret infantem, cubaretque cum „ea parvulus, qui uſque ad deci„mum jam pervenerat annum; „accidit, ut plus, quàm pudicitia „patiatur, ſe mero ingurgitaret, „accenſâque libidine, obſcœnis „motibus ad coitum duceret infan„tem; prima ebrietas alterius no„ctis, & cæterarum deinceps fecit „conſuetudinem; necdum duo „menſes fuerant revoluti, & ecce „fœminæ uterus intumuit, factuſ„que eſt parvulus, pater ſimul & „puer." Tandem concludit Magnus Doctor: *Ex quo perſpicuum eſt, homines à parva ætate libidini deditos, immaturâ eorum ſobole demonſtrari, quòd etiam eo tempore peccare cœperint, quo natura non patitur.* Ex his colligite, Patres, & Matres, quâ conſcientiâ ita fidere poſſitis parvulis filiis veſtris, ſororibus, aut ancillis condormientibus; & cogitate, quid Deo judici veſtro reſponſuri ſitis, pro omnibus peccatis ex conniventia veſtra etiam poſteà provenientibus. Vultis ſcire, qualia inde ſæpè naſcantur? Audite, & exhorreſcite. S. Auguſtinus.

XII. Paucis ab hinc annis vidit Gallia ſpectaculum adeò funeſtum, ut quiſque horreat ſolo cogitatu. Nobilis quidam duas habebat proles, filiolum, & puellam. Con- Sanc. Roſſe. Hiſt. Trag. Hiſt. 7.

dormiverant hi non pauco tempore. Approximatio illa paleæ ad ignem, tantam flammam impuritatis excitavit, ut accreſcentibus annis non ſolùm accreverit malitia, ſed grandiores facti, ſordibus ſuis adeò inſorduerint, ut etiam Matrimonio juncti, illa marito, hic uxore relictis, noctu fugerint, ſimul victuri in execranda illa peccandi conſuetudine; donec relictâ in variis locis fœtidâ ſalivâ ſcandalorum ſuorum, à judice capti, & convicti de publico adulterio, & horrendo inceſtu, per manus lictoris publicè fuerint ſimul decapitati. Diſcite, Parentes, dicere: Non eſt periculum; Proles noſtræ ſunt innocentes; periculum adeò grande eſt, ut SS. Canones idipſum prohibeant; & quantùm ad innocentiam, hoc omnium peſſimum eſt, quia obindè capaciores ſunt, ut addiſcant malitiam. Vas, quò recentius eſt, tantò eſt aptius ad concipiendum bonum, vel malum odorem ejus, quod infunditur; & ideò innocentia eorum (ſi tamen innocentia)
Job 15. 33. me magìs terret. *Lædetur quaſi vinea in primo flore, botrus ejus.* Quot parvuli in primo annorum crepuſculo perdunt florem innocentiæ Baptiſmalis! Et undè, quæſo, ſupra tenera vineæ hujus germina, pruina tam algida, quæ eis mortem affert? Deſcendit de infauſto cœlo parentum eorum, majorem brutorum curam habentium, quàm filiorum. Venio ad ea, quæ magìs ſunt obvia, ne fortè caſtas aures offendam. Quot patres & matres vident filios ſuos pugnare, litigare, jurare, ſcortari, & alia multa perpetrare, & tacent, imò in nequitiis ſuis excuſant, dicentes: Luſus pueriles eſſe? Luſus profectò haud abſimiles illi, de quo.

XIII. 2. Reg. 2. 16. Ubi Abner ait Joab: Surgant pueri, & ludant coram nobis. Et ſurrexerunt ex utraque parte duodecim pueri: *Apprehenſoque unuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium* 2. Reg. 2. 16.
in latus contrarii ſui. Et ceciderunt ſimul. Dico illis cum D. Chryſoſt. *Hoc non eſt curam gerere, ſed ſuffocare*; non eſt parentes eſſe, ſed S. Chryſoſtomus.
tortores, & infanticidas, inſtar Herodis. Non tanto eis malo eſſent, ſi cultrum in ventrem eorum mitterent, quàm illos tradere æternæ damnationi, ſicut faciunt. Parentes, conquerentur contra vos filii veſtri de illa tyrannide, & clamabunt vindictam, dicentes: *Non nos perdidimus, perdidit nos paterna perfidia; parentes ſenſimus parricidas*; Conniventiâ eorum factum eſt, quòd æternùm damnemur. Ne per exaggerationem me loqui putaretis, Deus ipſe illis improperat.

XIV. Oſeæ 9. 13. *Ephraim educet ad interfectorem filios ſuos.* Oſeæ 9. 13.
Quomodò poſſent parentes tam crudeles eſſe, tam barbari, ut filios traderent in manus carnificum, ab illis trucidandos? Sic eſt NN. tradunt multi parentes filios tortoribus hujus & alterius ſeculi, dum illos non rectè inſtituunt, nec benè moratos reddunt. Attendite tantùm, quid ſubjungat idem Propheta: *Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exſiccata eſt.* Videtis ſubindè Verſ. 16.
truncum, ramos & folia arboris ita arida,

arida, & ſicca, ut non ſerviant ultrà, niſi ut in ignem mittantur; ſed undè hoc provenit? A radice. Undè provenit, quòd tot filii, qui ſe Chriſtianos dicunt, quaſi truncus ſint, devotione aridi, caſtis & ſanctis cogitationibus, bonorumque operum fructibus orbati; ita ut non ſint apti, niſi in fomentum ignis æterni? Quæ horum cauſa? *Radix ejus exſiccata eſt*; ipſa radix, pater ejus, operum bonorum aridus, nimium connivit, non benè educavit, &c. nec caſtigavit, prout debebat: ut teſtatus eſt filius ille, de quo Janſenius in Prov. 23. qui in patibulo exiſtens, clamabat: *Non judex me ſuſpendit, ſed mater*, ob nimiam mecum conniventiam. Parentes, ſi non moveat vos ſalus filiorum, & filiarum, ſaltem vos moveant damna, quæ ex conniventia veſtra vos manent, temporalia, & æterna. Quanta ſæpè mala oborta ſunt ob unicam conniventiam, etiam in ſanctis familiis? Do unam, aut alteram ex inſignioribus, quas mundus vidit.

XV. Gen. 34. 1. Rediens Jacob de domo Laban ad patrios lares, tranſivit in Salem, urbem Sichimorum, & habitavit juxta oppidum. Dina filia ejus 15. annorum, audiens (ut aſſerit Joſephus) mulieres regionis illius conveniſſe, à patre petit, & impetrat licentiam, eò excurrendi. Quàm facilè potuiſſet Jacob refrænare filiæ ſuæ juvenilem curioſitatem? At ille nimis remiſſus, noluit illam contriſtare; undè
Gen. 34. 1. dat illi facultatem: *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Hevæi, Princeps terræ illius, adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem: triſtemque delinivit blanditiis*, petens eam dari ſibi uxorem. Fratres Dinæ irati valdè, eò quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſraël, reſponderunt ei in dolo, ſævientes ob ſtuprum ſororis: Non poſſumus dare ſororem noſtram homini incircumciſo: undè neceſſe eſt, ut circumcidatur in vobis omnis maſculini ſexûs, tunc dabimus ſororem noſtram. *Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus*. vers. 24. Et ecce Simeon & Levi, fratres Dinæ, die tertio, quo graviſſimus vulnerum dolor eſt, gladio ingreſſi ſunt urbem: interfectiſque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam, priùs viduam, quàm uxorem: & depopulati ſunt urbem, oves eorum, & armenta, aſinos, cunctaque vaſtantes quæ in domibus & in agris erant: parvuloſque & uxores eorum duxerunt captivos. Auditâ famâ casûs hujus atrocis, circumvicini Chananæi & Pheresæi, venerunt ad arma: ita ut Jacob diceret filiis ſuis: Odioſum me feciſtis habitatoribus terræ illius; nos pauci ſumus, illi congregati: percutient me, & delebor ego, & domus mea. Et niſi Deus eos ſpecialiter protexiſſet, fuiſſet ipſe & omnes ejus perditi. Quanta mala, ex nimia conniventia patris cum filia! Expenſis ſuis, & proprio malo didicit hanc veritatem Rex David.

XVI. 2. Reg. 13. 21. Adamabat Ammon filius David Thamarem

rem ſororem ſuam, quam tandem vi oppreſſit, oppreſſamque non ſolùm exoſam habuit, ſed per puerum ſuum ejecit eam foras, clauſitque fores poſt eam. Audit Rex David verba hæc, & contriſtatus eſt
2. Reg. 13. 21. valde; ſed *Noluit contriſtare ſpiritum Ammon filii ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat illi.* Abſalom, horum reſcius, non eſt locutus ad Ammon nec bonum nec malum, ſed oderat eum, eò quòd violâſſet Thamar ſororem ſuam, jurans mortem ejus; quam & intulit ei in convivio. Dicite mihi: Si David Ammonem caſtigâſſet, carceri mancipâſſet, nec tam horrendum ſcelus impunitum reliquiſſet, putatis, quòd Abſalom eò malitiæ unquam deveniſſet? Quia viderat fratrem impunè abiiſſe, auſus eſt venire ad fratricidium; quod quidem David ad tempus aliquod indignè tulit, ſed
Verſ. 39. *Ceſſavit Rex David perſequi Abſalom*: noluitque ei quid mali fieri. Quis, quæſo, fructus ex illa Davidis conniventia? An abiit emendatus? Utinam! econtrà, ad graviora prorupit ſcelera; ingreſſus eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſraël; de fratricidio venit ad patricidium, omni molimine tentans patrem regno privare, & vitâ. Quanta impunitas iſta in regno Davidis parturiit mala! Nec mirum, inquit Os aureum Serm. de Abſalone Tom. 1.
S. Chryſoſtomus. *Semper enim ſcelera, dum non reſecantur, juveneſcunt: & in augmenta facinorum proceditur, quoties ſecurâ impunitate peccatur. Dum enim in Abſalom fratrem occidentis facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus iteratur.* Parentes, necdum ingemiſcitis, dum hæc auditis? Non timetis in familiis veſtris talem tragicum exitum, qualem in ſua vidit Cyrillus, civis Hipponenſis, cujus filius, referente M. P. Auguſtino Serm. 36. ad Frat. in eremo præ nimia parentum conniventia, eò devenit, *Ut matrem oppreſſerit, ſororem violare voluerit, patrem occiderit, & duas ſorores alias ad mortem vulneraverit*? S. Auguſtinus. Fortè quia temporanea tantùm ſunt hæc mala, non curatis? Graviora dabimus.

XVII. Gen. 9. 25. Graviter offenſus Noë, Cham filio ſuo, quia nudata eſſe verenda patris ſui nuntiavit duobus fratribus ſuis Sem & Japhet, non Cham, ſed Chanaan maledicit, dicens: *Maledictus Chanaan: ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Gen. 9. 25. Quænam hæc juſtitia? Cùr Noë caſtigat filium, cùm peccaverit Pater? Reſpondet Procopius hoc factum eſſe, ad majorem afflictionem patris: *Major enim dolor cruciabat patrem, cùm videret filium maledictione perſtringi; nam graviùs affliguntur patres, calamitate liberorum, quàm ſi illis aliqua miſeria objiceretur.* Procopius. Sed meliùs ad rem noſtram Theodoretus Q. 57. *Ipſe Chanaan prior conſpexit verenda Avi, & patri renuntiavit, ludum faciens bonum ſenem; & pater non objurgavit filium, ſed rem fratribus effudit.* Theodoretus. Ex quo colligitur, parentes non corripientes filios, ſed conniventes, maledici in filiis, & filios in parentibus. Nec mirum: omnia enim peccata, quæ fiunt à filiis

filiis per parentum Conniventiam, illis imputabuntur ut propria; non minùs, quàm Heli Sacerdoti imputavit Deus peccata filiorum, dum illi exprobravit in faciem: *Quare calce abjeciſti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi ut offerrentur in templo?* Et tamen indubitatum manet, quòd hæc non fecerit Heli per ſe: ſed quia hæc omnia fecerant filii, & non debitè illos correxerat, omnia tribuuntur illi, ut propria. Patres, & Matres, attendite vobis: omnia peccata, quæ conniventiâ veſtrâ fiunt à filiis veſtris, vobis imputabuntur.

1. Reg. 2. 29.

XVIII. Audite pregnans argumentum D. Chryſoſtomi Lib. 3. contra Vitup. Vitæ Monaſt. Vos alloquitur verbis Apoſtoli Epheſ. 6. 4. *Patres, educate filios veſtros in diſciplina, & in correptione Domini: ſi enim nos ipſi quòque vigilare jubemur, tamquàm pro animabus rationem reddituri, quantò magìs ergò pater, qui genuit?* Audite hæc, Patres Chriſtiani: *Quantò magìs ergò pater, qui genuit?* Vos dediſtis ipſis eſſe, conſequenter magìs tenemini illos perficere, educando *In diſciplina*, inducendo ad bonum: *Et in correptione*, retrahendo à malo: vel juxta D. Thomam *In diſciplina verborum, & correptione verberum.* Niſi ſic feceritis, vobis dico, quod Apoſtolus ſcripſit Timotheo.

Epheſ. 6. 4.

S. Chryſoſtomus.

D. Thomas.

XIX. 1. Timot. 5. 8. *Qui ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Argumentor cum Apoſtolo: Parentes: Vel creditis peccatum eſſe ſummum malum, à Deo pœnâ æternâ puniendum, niſi pœnitentiâ deſtruatur, vel non creditis? Si non creditis, fidem negâſtis, eſtis infideles; ſi autem creditis, & in malo connivetis, *Eſt infideli deterior*: Deteriores eſtis infidelibus, & coram Deo magìs culpabiles: cùm omnia iſta credentes, proles in peccatis foveatis imò, ipſis Turcis deteriores, inter quos ſumma viget ſollicitudo circa honeſtatem prolium. Magìs vos premo.

1. Timot. 5. 8.

XX. Scitote, Parentes, ſi conniveatis cum filiis, dum peccant, quòd de vobis conqueratur tota Curia cœleſtis: conqueritur Deus Pater, quòd vos participes reddiderit fœcunditatis ſuæ, & tituli paternitatis, & illis abutamini in perniciem animarum. Conqueritur de vobis Filius Dei, quòd aſſumpſerit vos in cooperatores ſuos in ſalutem animarum, & de Salvatoribus, ſitis tentatores, & ſatanæ. Conqueritur de vobis Spiritus ſanctus, quòd elegerit vos, ut paretis viam in cordibus prolium veſtrarum ad inſpirationes ejus, & vos viam occluditis. Conqueritur de vobis Mater Dei, cupiens per vos cœlum impleri, & conniventiâ veſtrâ pauciores indies inquilini numerantur. Conqueruntur de vobis Angeli cuſtodes, quibus vanam & inutilem redditis aſſiſtentiam, quam habent erga parvulos veſtros. Et ſi hæc non moveant, conqueruntur de vobis ipſi filii veſtri, quos perditis: *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum ſunt in opprobrium.* Eccli. 4. 10. Et quale illud Eccli. 4. 10.

opprobrium ? Non temporale, quod citò tranſit: ſed opprobrium ſempiternum, quod patiemini in inferno: *Evigilabunt in opprobrium,*
Danielis 12.2. *ut videant ſemper.* Maledicent uterum, qui illos concepit: ubera, quæ ſuxerunt: diem, in qua nati ſunt: *De patre impio queruntur filii.* Meliùs, inquient, fuiſſet nobis, Pardum habere patrem, Leænam matrem: non illi nos docuiſſent, aut permiſiſſent blaſphemare, & offendere Deum: *De patre impio*, de matre impia *queruntur filii.* Et non videntur vobis jure & meritò ita conqueri, cùm de parentibus mutati ſitis in tortores, ipſis dæmoniis ſæviores ? Eſtote certi, ſi damnemini cum filiis veſtris (quod abſit) vos in inferno non habituros tortores, ipſis crudeliores: nec ipſos ſimiliter, feriores vobis. Undè attendite vobis, & dum adhuc tempus eſt, rogate Deum: *Ab Alienis parce ſervo tuo.*

DOMINICA QUARTIA ADVENTUS.

De Conniventia, ſeptimo Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Peccatum Alienum *Conniventiæ*, præ cæteris contrahunt Patres Spirituales qui ad Dei tribunal ſedentes, cum pœnitentibus nimiùm connivent, aut in eos nimiùm ſæviunt, tot homicidiorum rei, quot Conniventiâ, aut nimio rigore eorum, animæ pereunt.

I. JUdices Spirituales, qui ad Dei tribunal ſedetis, in quo non agitur de amiſſione litis, aut vitæ corporalis, ſed de æterna animarum ſalute, vos alloquor: *Onus, Angelicis humeris formidandum, ſuſcepiſtis.* Si nimiùm connivendo in tribunali veſtro, animas perditis, de manibus veſtris in magno judicii die requiret illas Dominus: poſiti enim eſtis
Hebr. 13. 17. à Deo, *Quaſi rationem pro animabus reddituri.* Credite mihi, non eſt res parva, pro animabus reſpondere. Ex duobus capitibus poteſtis participare in peccatis Alienis, cum pœnitentibus nimiùm connivendo, aut in eos nimiùm ſæviendo. Hoc hodie oſtendo, præbete benignas aures. Incipio.

II. Jeremiæ 8.22. Videns Deus in populo copioſam morbidorum & vulneratorum multitudinem, Prophetæ ſuo querelofus, ait: *Numquid reſina non eſt in Galaad? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei ?* Jerem. 8. 22. Undè hoc, aut quæ hujus rei cauſa ? Num in Galaad medicamenta proſtant? Num Medicorum aut Chyrurgorum ibi copia ? Cur ergò à ſuis ægrimoniis non curantur infirmi ? Reſina, tenax

nax

nax humor eſt, ex arboribus deflu-ens; celeberrima autem erat illa, quæ in Galaad, Arabiæ parte, colligebatur, Arabica obindè nuncupata: mitigandi dolores, cicatrices obducendi, vulnera claudendi pollens virtute; undè etiam Arabes artis Medicæ fuiſſe expertiſſimos, tradit poſteritas; & hinc mirum, quòd in tanta medicaminum, Medicorum, & Chyrurgorum copia infirmi non curabantur. Audiendus deſuper Eccleſiæ Doctor D. Hieronymus: *Non ſolùm in præſenti loco, inquit, ſed & in multis aliis teſtimoniis Scripturarum, invenimus, reſinam Galaad pro pœnitentia poni, atque medicamine: mirarique nunc Deum, quare vulnera Jeruſalem, nequaquam curata ſint, & necdum cicatrices obduxerint cutem, eò quòd non ſint Sacerdotes, quorum debeant curari medicamine.* Quot videmus indies quoad animam infirmos, qui de ſua infirmitate non curantur, imò videntur quaſi incurabiles? Unde, quæſo, hoc provenit? Num ob defectum medicaminum? Abſit; ſunt enim in omnem animæ infirmitatem potentiſſima antidota, quorum copiâ omnis civitas abundat. Num fortè ob ſpiritualium Medicorum penuriam? Illis orbis totus ubique ſcatet; Confeſſariorum enim, & Sacerdotum abundè eſt. Num ob defectum applicationis medicaminum? Quàm frequens hodie Sacramentorum uſus! Undè ergò tot infirmi; tot quaſi incurabiles? Imò qui ex ſua infirmitate moriuntur? *Eò quòd non ſint Sacerdotes, quorum debeant curari medicamine*; eò quòd pauci ſint, qui nôrunt debitè applicare medicamina; pauci, qui opportuna & proportionata præſcribunt pharmaca; pauci, qui zelant, & prout decet, tractant animarum curam, nimiùm conniventes infirmis. Medici animarum, vos alloquor.

S. Hieronymus.

III. Nôſtis differentiam inter Cocum & Medicum? Coci eſt, cibos præparare, ut ſapiant, & palato ſint grati; an autem ſalubres ſint, non curat ille: econtrà, Medici eſt, ſolâ attentâ ſanitate, non curare, amara ſint medicamina, an dulcia, ſed an ſalutifera. Medici ſpirituales, veſtrum eſt, non ut coci parare condimenta quæ ſapiant, ſed applicare medicamina quæ ſanent. Muneris veſtri eſt, non connivere cum infirmo, non alleviare infirmitatem, ſed morbi gravitatem ponderare, infirmo oſtendere, quàm malum & amarum ſit, relinquere Dominum Deum ſuum; veſtrum non alleviare infirmi vulnera, ſed curare, ne alioquin indè ſecutura mors ejus vobis imputetur. Si veri Medici eſtis, linguæ veſtræ ſint inſtar haſtæ Longini militis, non Saulis Regis. Hoc non capitis, ſcio.

IV. 1. Reg. 19. 10. Tentat Saul coram ſe citharizantem Davidem occidere: *Niſuſque eſt Saul configere David lanceâ in pariete: & declinavit David à facie Saul, lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in pariete: & David fugit.* Saulis lancea intacto Davide perlata eſt in pariete, ſed caſſo vulnere; ſecùs autem Joan. 19. 34. *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* 1. Reg. 19. 10 Joan 19. 34.

Longini lancea Chriſti pectus, interiora, imò cor ejus penetravit, & indè Sanguinem & aquam elicuit: *Et exivit Sanguis & aqua.* Talis debet eſſe lingua veſtra RR. Confeſſarii: ita oportet vos agere, ita loqui, ita inſtruere, ita inquirere, ut lingua veſtra omne peccatum, omnem animum, omnes latebras, cor ipſum peccatoris penetret, indaget, rimetur, ſanguinem & aquam eliciat.

V. Do unum, qui modum vos doceat. Nathan eſt, qui de corde Davidis ſanguinem & aquam elicuit; ſanguinem, de quo ipſe
Pſalm. 50. 16. Pſalm. 50. 16. *Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ;*
Pſal. 118. 136. aquam, de qua Pſalm. 118. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam, Domine.* Quàm bellè de hoc Medico D. Chryſoſtomus in
S. Chryſoſtomus. Pſalm. 50. *O ſapientia Medici! intravit portans gladium, ut ſecaret vulnus, ſed infirmanti non offendit, ne abhorreret medicinam; ſtatim ut intravit, non dixit: O inique! O immunde, &c. ſed ferrum erat abſconditum, &c. Cùm verò tempus invenit, ſtatim percuſſit*, venam ſecavit, ſanguinem & aquam elicuit. Utinam omnes animarum Rectores tales forent Medici, & non potiùs de numero eorum, de quibus Deus ipſe Iſaiæ 3.
Iſaiæ 3. 12. 12. *Popule meus, qui te beatum dicunt*, qui tibi blandiuntur, & conni vent, qui de lapidibus ſcandali, & petra offenſionis faciunt lapides ſanctuarii, *Ipſi te decipiunt.* Utinam non eſſent de numero illorum, de quibus
Ezech. 13. 10. Ezech. 13. 10. *Deceperunt populum meum, dicentes: Pax, pax: & non eſt pax.* Eſto ſecurus, non eſt difficultas, Deus eſt miſericors: ſic ut pauper infirmus ſæpè ex morbo ſuo acuto moriatur, & æternùm pereat. Rectores ſpirituales, obſtetrices eſtis animarum; ſed quàm diſſimiles illis, de quibus

VI. Exod. 1. Mandat Pharao obſtetricibus: Quando obſtetricabitis Hebræas, & partûs tempus advenerit, ſi maſculus fuerit, interficite: ſi femina, reſervate: ſubjungit S. Textus: *Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti.* At illæ, inquit Magnus Auguſtinus, *Noluerunt uti in ruinam, quod didicerant in ſalutem.* Didicerant illæ obſtetricandi artem non ad perdendam, ſed ad vitam conſervandam: & ideò *Noluerunt uti in ruinam.* Ars artium eſt, regimen animarum. Rectores illarum, *Nolite uti in ruinam quod didiciſtis in ſalutem.* Nolite crudeli quâdam Conniventiâ, animas perdere, quas vobis Deus commiſit in ſalutem. De vobis Job loquitur Cap. 26. ubi obſtetrices vos vocat: *Obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus.* Muneris veſtri eſt, colubrum tortuoſum educere, ſcilicet peccatum, ne, manens in anima peccatoris, putreſcat, eumque occidat: ſicut in utero materno fœtus putreſcens matrem occidit. Iterum dico, *Nolite uti in ruinam, quod didiciſtis in ſalutem*; alioqui tot homicidiorum rei, quot negligentiâ, & conniventia veſtrâ animæ pereunt. Audite verba Dei, quæ meritò vos terreant. Ezech. 33. loquitur Prophetæ ſuo: *Si ſpeculator viderit gladium*

Exod. 1. 17. S. Auguſtinus. Job 26. 13. Ezech. 33.

dium venientem, & non inſonuerit buccinâ, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram. Et tu, Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël: audiens ergò ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in ſua iniquitate morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Judices ſpirituales, ſpeculatores vos dedit Deus, domui Iſraël, Eccleſiæ ſuæ: audiſtis, & ſcitis ex ore ejus ſermonem ad impium: *Impie morte morieris*: ſi non loquamini, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in ſua iniquitate morietur. Scatet Eccleſia inveteratis concubinariis, uſurariis, furibus, detractoribus, &c. facilè ad meliora reducendis, ſi de continua recidiva informati, incanceratæ eorum fiſtulæ ferrum applicaretis, & ignem. *Propter quid irritavit impius Deum?*
Pſalm. 9. quærit Pſalmiſta Pſal. 9. *Dixit enim in corde ſuo: Non requiret*: Habeo bonum Confeſſarium, non multùm me examinat, etiam hàc vice multis me mortalibus onuſtum abſolvit, & cum una aut altera decade dimiſit
Ezechiel 13. in pace: *Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manûs, & faciunt cervicalia ad capiendas animas*: clamat Ezechiel Cap. 13. Væ vobis, qui dum lethargicis veſicantia applicare oportebat, eis pulvillos conſuitis, & mollibus, ac adulatoriis verbis veſtris facitis cervicalia, ut dormiant profundiùs. Peccare, & non cohibere peccantes, pati in gradu ponitur. Quiſquis patitur peccantem, is vires ſubminiſtrat audaciæ. Dicat vobis, & improperet, quod Richardo Sacerdoti improperavit Petrus Bleſenſis Epiſt. 15. *Vobis imputant, quòd gladium Petri rubigo conſumit.* Petr. Bleſ.
Et ego cum S. & Magno Eccleſiæ Leone Epiſt. 86. *Multam nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorẽ diſſimulant adhibere medicinam.* S. Leo. Si eſſetis tales, quales vos voluit Salvator, *Vos eſtis lux mundi*, non tam multos relinqueretis in tenebris. Matt. 5. 14. *Vos eſtis ſal terræ.* Si ſal terræ eſſetis, inquit D. Chryſoſtomus Hom. 15. in Matt. *Opus ſalis eſt, laxa quæque urere, & reſtringere.* S. Chryſoſt. *Si Æternitatis ſatores* eſſetis, quales vos dicit S. Hilarius, non alia, niſi S. Hilarius. æternitatis ſemina mitteretis in corda pœnitentium. Sed, Proh dolor! exclamat Jeremias Cap. 5. *Pavor, & mirabilia facta ſunt in terra;* Ierem. 5 31. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis; & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in noviſſimis ejus?* Judices animarum, de vobis loquitur S. Hilarius in Pſalm. 133. *Memini ab* S. Hilarius. *Ezechiele dictum, reos ſanguinis futuros, quorum adulanti ſilentio plures in interitum incidiſſent.* S. M. Eccleſia, ubi modò Sacerdotes tui de quibus Melliflus Bernardus Lib. 4. de Conſid. S. Bernardus. *Qui Regibus Joannem exhibeant; Ægyptiis Moyſen; fornicantibus Phineem;* ELIAM *idololatris; Eliſeum avaris; Petrum mentientibus; Paulum blaſphemantibus; negotiatoribus Chriſtum?* Econtrà, teſte Jeremiâ Thren. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, &* Thren. 2. 14. *ſtulta: neque aperiebant iniquitates tuas, ut te ad pœnitentiam revocarent.*

VII. Ne quis mihi obtrudat, hu-

manæ fragilitati hodiè conniven-dum? & condeſcendendum? quia legendam ipſi traderem Epiſtolam Gelaſii Papæ cuidam Epiſcopo inſcriptam. Scripſerat illi Pontifex, ut cum peccatoribus quibuſdam primæ claſſis debito rigore procederet: reſpondit ille Pontifici, quòd pro bono pacis conveniret, parùm connivere, & condeſcendere; reſcribit illi Gelaſius: *Cùm dicis condeſcendere, contendis te à ſummis ad ima deſcendere*; id eſt, ſimul cum illis ad inferna deſcendere. Aſſertum meum certum facio, ſed ignoſcite, quòd à SS. Paginis præter morem tantiſper recedam.

VIII. Nobilis quidam ſic inter meretriculas vixerat, ſicut corvus inter cadavera; admiſſus tamen à Confeſſario in pœnitentiæ arcam, eâ prorſus malè conſultâ benignitate, quâ innocentiſſima columba admitti mereretur; ſed audite, quàm infelici utriuſque ſucceſſu. Moritur Nobilis, & non diu pòſt, viduæ conjugi ſe præſentem ſtitit, alterius humeris ſuſtentatus, cùm utrumque flammæ atrociſſimæ cingerent. Quis es, inquit horribili ſpectro conſternata vidua: & quis huc te deportavit? Sum anima, inquit, mariti tui: & is, cujus humeris deferor, Confeſſarius meus eſt; ſcias ambos ſuppliciis æternis damnatos: me quidem, quia confeſſus ſum abſque vitæ emendandæ propoſito: Confeſſarium autem, quòd nimiùm connivendo, etſi probè adverteret me de vita corrigenda non cogitare, tamen à noxis liberum pronunciare ſit auſus; atque his dictis diſparuit. Quid videtur NN? Numquid hoc eſt inſigniter condeſcendere? Numquid hìc vivis coloribus exprimitur, quod Matth. 15. aſſerit Salvator: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*? Matt. 15. 14. Si quis præſentium ſtuduerit invenire Confeſſarium ejuſmodi, nimiùm indulgentem, & condeſcendentem, certus ſit, quòd in itinere ad infernum non multùm ſit defatigandus, cùm eò non ſit pedes iturus, ſed alterius abſolvere non veriti, humeris deportandus. RR. Confeſſarii, docet nos Paſtor paſtorum, quòd non liceat connivere, nec condeſcendere, ubi agitur de ſalute animarum.

IX. Joannis 6. De cœleſti Pane diſſerens, dicebat ſuis: *Ego ſum Panis* Joan. 6. 51. *vivus, qui de cælo deſcendi, &c. Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum; & Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt, pro mundi vita.* Ad hunc ſermonem *Litigabant Judæi, ad invi-* Verſ. 52. *cem dicentes: Quomodò poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum?* Non eſt credibile, inquiunt: non capimus. Non capitis, inquit Chriſtus? *Amen, amen dico vobis, niſi man-* Verſ. 53. *ducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Tunc Chriſti Diſcipuli: *Durus eſt hic ſermo, & quis po-* Verſ. 60. *teſt eum audire?* Imò quod magis ſtupendum, *Multi Diſcipulorum ejus* Verſ. 68. *abierunt retrò.* Putatis Chriſtum ad hæc Diſcipulorum verba remiſiſſe rigorem, aut ſuam mutâſſe ſententiam? Econtrà, ad illos converſus, petit: *Numquid & vos vultis abire?* Si non placeat vobis doctrina mea, vos videritis, ego, quod doceo, non muto. Sic oportet & vos agere,

Re-

Toletus. Rectores animarum, inquit Toletus: *Veritas, quæ ad ſalutem neceſſaria, non eſt diſſimulanda propter incredulorum ſcandalum, ad exemplum Chriſti.* Veritas eſt, quòd non detur vera Confeſſio Sacramentalis ſine contritione perfecta, aut ſaltem imperfecta; & propoſito emendationis. Veritas eſt, quòd abſolvi non poſſit occaſioni proximæ liberè expoſitus, nolens reſtituere aliena, &c. Dices: *Durus eſt hic ſermo*; ſed durior damnationis æternæ. Si nos Confeſſarii condeſcendamus, nimiùm conniveamus, & ob noſtram conniventiam peccator maneat in peccatis, ſimus participes omnium talium peccatorum, pro iis Deo rationem reddituri; ſi autem eis veritatem detexerimus, tunc oſtendemus nos patres & veros cuſtodes animarum, licèt non ſolùm ſermo noſter, ſed & injunctæ pœnitentiæ duræ videantur. Habemus caſum expreſſum.

X. Cant. 5. Noluerat Sponſa pulſanti Sponſo oſtium aperire; tandem facti pœnitens, ſurgit, aperit: at ille abierat. Quærit illum per vicos & plateas: cuſtodibus civitatis obvia, caſum exponit: ſed quid illi? Excusâruntne factum? Non ſanè; econtrà, ut veri cuſtodes, increpârunt, percuſſerunt, *Tulerunt pallium* (Cant. 5. 7.) ejus *Cuſtodes murorum*: & cur, obſecro, tulerunt pallium? Ut faciliùs ad Sponſum perveniret, digni ſanè, qui cuſtodes vocentur, & ſint. Curam habentes animarum, tales oportet & vos eſſe; veſtrum eſt, pallium peccati, involucra, extenuationes, quibus peccatum tegitur, & minuitur, auferre: peccatum tollere, pœnitentem interiùs percutere, & animam vulnerare: illo nempe vulnere, de quo Aug: *Novit Deus vulnerare ad amorem, ut amantem faciat, non ut interitus comparetur, ſed ut amor excitetur.* (S. Auguſt.) Niſi ſic feceritis, videte, ne vobis contingat, quod ficulneæ de qua.

XI. Matt. 21. Eſuriens Chriſtus, vidit ficum: cùm veniſſet ad eam, ſi quid fortè inveniret in ea, *Nihil invenit in ea, niſi folia tantùm*; (Matt. 21. 19.) undè converſus ad illam, ait: *Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum; & arefacta eſt continuò ficulnea.* Dicite, obſecro, cur Chriſtus ficulneæ maledicat? D. Athanaſius dicit id factum, in memoriam primi peccati: quia Adam & Eva, ut nuditatem & turpitudinem ſuam tegerent, *Fecerunt ſibi perizomata ex foliis ficûs*: ut habetur Gen. 3. (Gen. 3. 7.) *Maledicitur itaque arbor, quia in ea reperit Chriſtus folia, quibus tegi peccata poſſint. Areſcit operculum peccati, id eſt folia ficûs, quibus Adam tegebatur poſt tranſgreſſionem.* (S. Athanaſ.) Ergòne maledicuntur illi, qui tegunt, qui extenuant, qui excuſant, blandiuntur; condeſcendunt, & connivent? Audîſtis, quid dixerit Athanaſius. Sed quorum, quæſo, maximè peccata teguntur? Quorum? Attendite.

XII. Dan. 2. Nabuchodonoſor videt ſomnium, & ſtatuam ante ſe; caput ejus ex auro optimo: pectus & brachia de argento: venter & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ: pedum autem pars quædam ferrea, quædam fictilis: *Et abſciſſus eſt lapis de monte, ſine manibus, & percuſſit ſtatuam.* (Dan. 2. 45.) Notate: *Lapis abſciſſus eſt ſine manibus.* Non videtur manus, non audet ſe manifeſtare,

non

non audet caput aureum, pectus argenteum tangere: ſolummodò pedes luteos percutit; ſolus inter omnes Daniel audet Regem monere, & dicere illi: *Tu es caput aureum*, &c. Dan. 5. Balthazar, filius ejus, temulentus juſſit afferri vaſa aurea, & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo, ut biberent ex eis Rex, & Optimates ejus, uxoreſque ejus, & concubinæ. Bibentibus illis, & laudantibus Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque, & lapideos, in eadem hora
Dan. 5. 5. apparuerunt digiti: *Quaſi manûs hominis, ſcribentis* ſententiam ejus. Cur non apparet corpus, ſed digiti tantùm *quaſi manus hominis?* Quia Rex monetur, ideò non audet ſe manifeſtare; ſimilibus parcitur, & connivetur. Ubi ſunt modò, qui dicunt
Marc. 6. 18. Magnatibus: *Non licet tibi?* De ſimilibus dicunt, quod Joannes Pe-
Joan. 21. tro, Joan. 21. *Dominus eſt*. Domine mi, Domina mea. Utinam nunc non inveniantur, quales nonnulli tempore Ezechielis de quibus Deus Prophetæ ſuo quæſtus, ajebat:

XIII. Cap. 13. 17. *Fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo: & vaticinare ſuper eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas . . . . . . Ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt.* Hoc eſt, reprehendendo innocentes, & applaudendo reis; negant merentibus, abſolutionis beneficium, & nullo prorſus pacto abſolvendos abſolvunt: bonos acriter perſtringunt, & ſceleratis ne verbulum unicum dant correctionis. D. Gregorius Hom. 27. in Evang. ad hanc rem ait: *Non morientem vivificat, qui juſtum damnat: & non victurum vivificare nititur, qui reum à ſupplicio abſolvere conatur.* Non ſufficit dicere peccatoribus primæ claſſis, & voluntariè expoſitis continuæ occaſioni proximæ, iſtam occaſionem eſſe vitandam: non ſufficit, inquam, ſed debent Confeſſarii (niſi connivendo peccati Alieni participes eſſe velint) Abſolutionem ſuſpendere, donec occaſionem tollant. Dicet fortè aliquis: ſi ita procedam, malè de me loquentur: *Virum rixæ* me dicent: *virum diſcordiæ in univerſa terra*; ſit Ieremiæ 15. 10.
ita: *Non eſt diſſimulanda veritas, ad ſalutem neceſſaria, propter incredulorum ſcandalum.* Teſtem adduco doctum Fernandez

XIV. Scribens ille in Librum Gen. caſum narrat, qui ipſi contigit, de quodam Nobili perverſæ vitæ. Venerat ille ad ipſum causâ Confeſſionis inſtituendæ: quem ut confitentem habet, ante omnia interrogat, num haberet obligationem aliquam reſtitutionis, aut ſatisfactionis proximo faciendæ? Reſpondit ille, quòd violâſſet virginem ſub futurarum nuptiarum promiſſione, nullo tamen modo illam intenderet adimplere, eò quòd, licèt non nobilitate, bonis tamen temporalibus multo eſſet inferior; tunc Confeſſarius: Surge, & abi hinc, & dum illam in ſponſam duxeris, tunc ad me rever-

revertere, audiam, & abſolvam te. His auditis, humiliare ſe, & promittere cœpit adimpleturum ſe omnia, modò ipſum audiret, & abſolveret. At perſiſtente Confeſſario, ut cum deflorata priùs contraheret Sponſalia, abîit totus turbatus, & indignatus, conquerens coram Deo & hominibus de tanto Confeſſarii rigore, & illata gravi ſibi injuria. At quia juſtus, & ſanctus erat rigor, paucos poſt dies redit nobilis: flectit ante Sacerdotem genua, pedes ejus oſculatur & manus, animæ, vitæ, & honoris ſalvatorem eum proclamans. Quàm tibi, inquiens, obſtrictus vivo ob illam tuam ſeveritatem, quâ hoc impetrâſti à me, à quo dependebat ſalus animæ meæ: non potuiſſem me alio modo reſolvere ad faciendum, quod feci. Servavi juramentum, promiſſa adimplevi, filiam in uxorem duxi, tantoque indè ſentio ſuperfuſum me cordis gaudio, & conſolatione, ut me Rege & Reginâ feliciorem putem. Hinc concludit ſacer Doctor: *Unum ego admonuerim, non objurgandos modò acriter, ſed acerrimè quoque urgendos, & cogendos à bono & prudenti Confeſſario, etiam denegatâ Abſolutione, tales laſcivos*: ut antequàm abſolvantur, obligentur relinquere occaſiones proximas, ne obtentâ Abſolutione obdurentur in peccatis, facti pejores, cum manifeſto periculo damnationis non tam proprio, quàm ipſius Confeſſarii. Abſit tamen, ut acris illa ſalutaris fortitudo, à forti dulcedine ſeparetur, non enim tam connivendo, quàm nimiùm ſæviendo incurritur peccatum Alienum (ut alibi fuſiùs dum agimus de Captivitate Petri) Undè niſi adſit dulcis fortitudo, & fortis dulcedo, detinetur peccator in peccatis ſuis. Hinc

Fernandez.

XV. Levit. 8. 30. Moyſi, Aaron in Sacerdotem conſecrаturo, mandabat Deus, ut aſpergeret eum unguento, & ſanguine: *Aſſumenſque unguentum, & ſanguinem, qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron, & veſtimenta ejus.* Hujus facti myſterium ponderat Oleaſter his verbis: *Non debet eſſe in Sacerdote ſine oleo ſanguis, neque ſine ſanguine oleum; cùm enim conſtitueretur populi judex, non ſolùm miſereri, ſed punire reos debebat.* Undè appoſitè & ſubtiliter more ſuo D. Chryſ. Serm. 145. *Æquitas ſine bonitate, ſævitia eſt: & juſtitia ſine pietate, crudelitas: ſed utrumque admiſceri debet.* Nimius rigor, qui ſine pietate minatur, percutit, ferit; non juſtitia, ſed crudelitas & feritas eſt tyranni potiùs, alieno ſanguine delectantis, quàm Paſtoris Chriſtiani, ſalutem animarum paternè procurantis. Ut videant animarum Rectores (ne incurrant peccatum Alienum conniventiæ) quomodò oleum cum ſanguine, ſanguinem cum oleo miſcere debeant, non recedo à S. Ordine noſtro Carmelitico.

Levit. 8. 30. Oleaſter. S. Chryſol.

XVI. 4. Reg. 2. Jerichuntini, habentes aquas infectas, ſupplicant S. P. N. Eliſeum, ut illis remedium afferat; libenter, inquit ille: *Afferte mihi vas novum & mittite in illud ſal*: qui miſit ſal in aquas. *Sanatæ ſunt ergò aquæ uſque in diem hanc.* Filii quidam Prophetarum coxerant pulmentum ex herbis agreſtibus, cùmque infunderent ſociis, ut comederent, guſtantes de coctione, ajunt Eliſeo: *Mors in olla, Vir Dei*;

4 Reg. 2. 20.

ita ut non potuerint comedere; & iterum ille: *Afferte farinam:* cùmque tuliſſent, miſit in ollam: *Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.* Unde, quæſo, tanta differentia in hac bina curatione? Quis neſciat, quantum inter ſe differant Sal & Farina? Sal aſperum, durum, mordax! Farina mollis & dulcis. Docet hìc Propheta, modum curandi in pœnitentibus amaritudines peccatorum: non omnibus eadem applicanda eſſe remedia, ſed aliis ſal rigoris, aliis farinam dulcedinis. Si quis adoleſcens timoratæ conſcientiæ ex carnis fragilitate in grave aliquod peccatum incidat, illudque defleat: ſi, quæ filia lapſa in carnis vitium, præ pudore & apprehenſione faciendæ Confeſſionis cor habeat quaſi ollam, tantâ amaritudine plenam, ut diu noctuque non habeat requiem, debet prudens Confeſſarius uti farinâ dulcedinis, eam animando, & exhortando ad confidentiam in Deum, ejuſque miſericordiam: ne alioqui ſal rigoris applicando, animis cadat, & ex puſillanimitate in plura & majora ruat peccata. Si quis autem cor habeat amarum, quaſi fontem Jerichuntinum, amaritudine plenum, ſi, inquam, in horrenda labatur & relabatur peccata, illa autem confiteatur ſine ullo pudore, & contritione, quaſi fabulam aut hiſtoriam narrans, ſimili eſt ſal rigoris applicandum, ut ſciat, quàm longè ſit à Deo, & quàm vicinus inferno; ne, ſicut Medicus infirmo nimis indulgendo, & inordinatis infirmi appetitibus condeſcendendo, ſæpè cauſa eſt mortis ejus corporalis, ita ſit cauſa mortis ſpiritualis pœnitentis, illi nimiùm connivendo; facilitas enim abſolvendi, ſæpè eſt occaſio magis delinquendi; quæ etiam ratio militat pro impoſitione ſalutaris pœnitentiæ. Pono caſum. Confitetur aliquis ab annis aliquot inconfeſſus horrendis onuſtus peccatis, dicit Sacerdos ſimpliciter: Vide te emendaveris, imponens unum aut duo Roſaria; putatis tantillum ſalis ſufficere fonti adeò amaro, ſeu infirmitati, cujus curationi neceſſarium erat cauterium diſciplinarum, jejuniorum, aut cæterorum ſimilium? Confitetur alius, cujus manus ex bonis alienis, injuſtis contractibus, & pauperum ſuppreſſione plenæ ſunt ſanguine: interim Confeſſarius ubi requiritur abundantia ſalis reſtitutionis, reparationis damni, in modico farinæ abſolvit eum, ſolummodò ad paucas preces, ad modicas eleëmoſynas obligando; hoc non eſt vulnera ſanare medicinâ proportionatâ, ſed reddere potiùs conſcientiam magis cauteriatam; dum enim tali farinâ abſolvitur, aliud non facit talis Confeſſarius, quàm dicere: *Abſorbeo te, & condemno me.*

XVII. Joannis 9. Sanaturus Chriſtus, & viſum daturus cæco nato, *Linivit lutum ſuper oculos ejus*; ſed cur Joan. 9. 6. medicamentum applicuit oculis potiùs, quàm humeris, aut pectori? Quia prudentis medici eſt, applicare remedium membro læſo, ubi malum latet: ſtultus enim haberetur ille, qui læſum brachium habenti remedium pedi applicaret: non enim ſic ſanaretur vulnus. Illa proinde eſt ratio, cur multi infirmi peccatores ab infirmitatibus ſuis in Sacramento pœnitentiæ non curentur, eò quòd habenti

habenti plagam in burſa ob bona aliena, remedium adhibeatur linguæ, duas aut tres decades Roſarii impo-nendo, quòd laboranti inflammatione in lingua, ex gravi detractione cauſata, applicetur remedium manibus, faciendi quandam eleëmoſynam: quòd carnalibus turpitudinibus cauteriato, & occaſioni expoſito, imponatur viſitatio certarum Eccleſiarum. Hæc quidem medicamina in ſe bona ſunt, ſed non proportionata curandis infirmitatibus: vitia enim carnalia, requirunt medicinam mortificationis carnis, & fugæ occaſionis proximæ: famæ, & bonis alienis ablatis, eſt neceſſaria reſtitutio, aliàs impoſſibile eſt ab iſtis morbis ſanari. Ponderent ergò hæc Rectores animarum, & attendant, ne nimiùm connivendo, aut nimis ſeverè tractando pœnitentes, partem habeant in Peccatis Alienis. Ita Conc. Trid. Seſſ. 4. Cap. 18. „Debent „Sacerdotes Domini, quantum ſpi„ritus & prudentia ſuggeſſerit, pro „qualitate criminum; & pœniten„tium facultate, ſalutares, & con„venientes ſatisfactiones injungere: „ne, ſi fortè peccatis conniveant, „& indulgentiùs cum pœnitenti„bus agant, leviſſima quædam „opera pro graviſſimis delictis in„jungendo, Alienorum Peccatorum „participes efficiantur." Faxit Deus, ut omnes in fine vitæ dicere poſſint, quod Doctor Gentium tutâ dixit conſcientiâ.

XVIII. Act. 20. Poſt multos exantlatos labores in lucro animarum, mittens Epheſum, vocanſque ad ſe majores natu Eccleſiæ, ſcilicet Presbyteros, proteſtatur coram eis, quòd à tempore, quo veniſſet in Aſiam, nihil ſubtraxiſſet utilium, quò minùs annuntiaret eis; adeòque ſi quis eorum periret, ac damnaretur, ſe nullam habere partem in perditione ejus: *Quapropter conteſtor vos hodiernâ die, quia mundus ſum à ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quò minùs annunciarem omne conſilium Dei vobis.* Actor. 20. 26 Quàm pauci hodie Directores animarum, qui tutâ conſcientiâ cum Paulo dicere poſſent coram ſubditis, coram pœnitentibus ſuis: *Conteſtor vos hodiernâ die, quia mundus ſum à ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quò minùs annunciarem omne conſilium Dei vobis!* Quàm pauci, qui dicere poſſent, quod in cœna coram Apoſtolis dixit Paſtor Paſtorum Joan. 17. & 18. *Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis. Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Joan. 17. & 18. Quis directorum animarum ſic loqui audeat? *Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit,* per meam conniventiam, aut ſævitiam; *Non perdidi ex eis quemquam.* Non perdidi activè, nimis ſeverè tractando. Non perdidi ex eis quemquam paſſivè, nimis connivendo. Utinam, inquam, ſic loqui poſſent omnes! Utinam ego! Utinam & tu!

non ſolùm ut de illis loquar, ſed ut eos indigitem; dicamus ergò priùs, *Ave Maria.*

II. Octavum peccatum, quod à Theologis Alienum dicitur, & inter novem præcipuum eſt, vocatur *Participatio rei alienæ*, quæ participatio licèt in aliis peccatis alienis locum habeat, tamen ſpecialiùs hoc peccatum ſumitur, & maximè locum habet in participatione bonorum temporalium, dum quis participat de fortunæ bonis alienis, eo modo quo licitè non poteſt. Similium participantium tempore Iſaiæ abundabat Jeruſalem; illam deſcribens Cap. 1. ait: Iſaiæ 1. 21. *Quomodò facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicii, juſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ: argentum tuum verſum eſt in ſcorium, vinum tuum miſtum eſt aquâ, Principes tui infideles, ſocii furum.* Non fures vocat, ſed ſocios furum. Siccine ergò vivitur in Jeruſalem civitate Dei? meliùs illam diaboli civitatem dixero. NN. quot inveniuntur hodie, etiam in civitatibus Chriſtianis, participantes rei alienæ, adeòque rei octavi peccati Alieni! Quot qui ſe à furto alienos putant & tamen coram Deo fores ſunt, vel (ut honeſtiùs loquar) *Socii furum*! ſimilium tanta eſt frequentia, multitudo tanta, ut tam exiguo temporis ſpatio illos nominare non valeam; nominabo hodiè aliquos, cras alios nominaturus, eorum tamen nomina ſubticendo. Cùm materia ſit ſcabioſa (quamquàm ſummi momenti) benignas & attentas aures veſtras requiro. Incipio.

III. *Quid latrone ſceleſtius*, inquit Chryſoſtomus poſt medium S. Chryſoſtomus. prologi ſuper Joann. quid magìs infame & probroſum? Mallet vir probus vitam finire quàm furti ſtigmate inuri. Duos teſtes produco quos nôſtis. Gen. 31. 30. Cùm Jacob inſalutato hoſpite receſſiſſet à domo ſoceri ſui, eum inſecutus & aſſecutus Laban furti arguit: *Cur* Gen. 31. 30. *furatus es Deos meos?* cùm audiret Jacob ſe furem dici, reſpondit: *Apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris.* Si pœna proportionanda ſit delicto; quomodò Jacob vir prudens, rigidam mortis pœnam imponit furanti idola, quæ non niſi lutea erant aut lignea? fieri poterat quòd Rachel vel Lia illa furata eſſet, cur ergò pro re parvi ponderis tam duram pœnam infligi ſtatuit? *Necetur coram fratribus noſtris*: ad hoc reſpondet Lipponiannus: Furtum, res adeò execrabilis & tantæ infamiæ eſt, ut maluerit Jacob lethali pœnâ puniri, quàm furti maculâ fœdari. Cur prodigus Lucæ 15. fame ad extrema redactus non rapit aliena? tanta licèt in miſeria verſaretur, elegit benè educatus ac nobilis adoleſcens, fame potiùs perire, quàm furandi vitio inuri. Et tamen quàm ſcatet mundus furibus, etiam inter magnates & nobiles! tot hodie fures ſunt aut ſocii furum, ut verè dixerim, quod quondam Caſſiodorus Lib. 2. variet. *Furca vacua, &* Caſſiodorus. *civitas latronibus plena.* Non ſolùm fures ſunt qui aliena rapiunt, ſunt & alii qui habentur honeſti, ignoti tamen fures & ſubtiles, qui ut Job loquitur Cap. 34. *Auferent violentum abſque* Job 34. 20.

 manu

manu. Scindunt burſas abſq; cultro, furantur calamo, furantur linguâ, &c. & tamen viri honeſti haberi volunt; habeant illos tales qui voluerint, ego illos ſi non fures, ſocios ſaltem furum dixerim. Loquatur pro me Ugo Cardinalis ſuper Levit. Cap. 11. *Sunt multi qui ſe* Ugo Card. *Reges & Prælatos æſtimant, cùm revera non ſint niſi nomine-tenus, re autem pyratæ vel latrones.* Undè Alexandro quærenti à quodam Pyrata quare devaſtaret mare, dicitur reſponſum datum: " Ego „quia parvâ ſcaphâ mare devaſto „dicor pyrata, tu verò quia claſſe „magnâ totum orbem devaſtas „diceris Imperator." Iterùm idem Ugo Card. Ugo ſuper Prov. 16. *Socrates videns Præpoſitos cujuſdam Principis ducere quemdam latronem ad patibulum dixit: magni fures parvum latronem ſuſpendunt.* Plures fures aut ſocios furum inter divites quàm inter pauperes dari quid certiùs? Audite argumentum D. Chryſoſtomi.

IV. Matth. 28. 13. Cùm audiſſent Principes Sacerdotem ex cuſtodibus; reſurrexiſſe Chriſtum à mortuis inito conſilio promiſerunt ſe copioſam pecuniam illis daturos Matth. 28. 13. dicentes: *Dicite, quia diſcipuli ejus venerunt nocte, & furati ſunt eum nobis dormientibus, at illi acceptâ pecuniâ ſic fecerunt, & divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos.* Audite quàm illos confundat D. Joannes S. Chryſoſtomus. Chryſoſtomus Hom. 19. *Quare furarentur diſcipuli, homines pauperes & idiotæ?* Quis credet homines pauperes, & idiotas furari? Diſcipuli ejus pauperes erant & idiotæ. Quid verbis iſtis innuis Chryſoſtome? ergòne ad furandum divites, & cautos eſſe oportet? ſic eſt: quia ſi pauper furetur ſtatim ſuſpenditur: Quot autem divites ob furta ſuſpenduntur? ne vel unus ex centum: An quia inter divites non dantur fures? nullibi plures; preſcrutari oporteret litteras cenſuum, nec non libros eorum computuum, interrogare eos oporteret quâ viâ, quo modo ad tantas pervenerint divitias, ſi deberent edicere, à quibus & quorum operâ omnes illas domus, cenſus, tantam ſupellectilem emerint, tunc ſæpè detegerentur furta eorum. Sed undè fit, quòd ad patibulum non perveniant? norunt induſtriâ & cautelâ ſuâ res ſuas ita peragere, ut in lucem non veniant; *Faciunt in tenebris & abſcondito cubiculi ſui.* Ezech. 8. 12. Et licèt venirent in lucem, & digni eſſent patibulo norunt ab illo ſe redimere, ipſis quas furati ſunt pecuniis, & ideò furantur audaciùs & liberiùs, dividentes ſpolia cum iis, qui punire illos deberent. Sic hodie vivitur, etiam inter fratres.

V. Gen. 37. 30. Narrans Joſeph fratribus ſuis viſa ſomnia, illorum in ſe concitavit odium, undè volentes eum occidere, conſilio Judæ vendunt Iſmaelitis, inſcio & abſente Ruben, qui reverſus non inveniens puerum, ſciſſis veſtibus pergens ad fratres ſuos ait: *Puer* Gen. 37. 30. *non comparet & ego quò ibo?* At dicentibus illis quòd vendidiſſent Joſeph eique oſtendentibus nummos, tacebat Ruben, *Acquievitque ſermonibus illorum.* Philo Hebræus

bræus Lib. de Joſeph rem hanc conſiderans ait: *Bella negotiatio, partiamur lucrum*, taceas inquiunt, nec tam altè clames, ecce tantùm pro tua quota, acquievit illicò occluſumque eſt os ejus, & qui antè adeò zeloſus & teneræ videbatur conſcientiæ, dividit cum illis ſpolia, ſicque manet ſecretum & pauper Joſeph eſt venditus & manet venditus, & ipſi impuniti. Quis non dixerit Ruben cum ſuis ſociis furem eſſe? Deprehendatur dives in furtis ſuis, idcòne ſuſpendendus, idcòne paſſurus infamiam? Quaſi verò: qui furta ejus norunt eumque convincere aut punire debebent, clamare quidem aut vociferari tantiſper poſſunt: Debet fieri juſtitia, debemus ſatisfacere conſcientiæ, noſtro fungi officio: dum autem dicitur Domine mi, ecce tot partes aureas, tot vaſa vini pro tua portione, &c. *Bella negotiatio partiamur lucrum*, qui antè dignus patibulo expurgatur; res non ita ſe habet, ut erat propoſita, ſicque ſine clamore jugulatur porcus; unus habet pedes, alter aures, hic caput, iſte illia, & ſocii furum manent viri honeſti. Socii furum ſunt tutores qui bonis pupillorum dominantur, qui partem habent in venditione Joſeph, qui, dum ad reddendos computus venitur, non verentur dicere *Fera peſſima devoravit Joſeph*. Bellum devoravit bona veſtra, & interim ipſi, uxores, filii & filiæ vivunt & dominantur illis. Fures iſtos aut ſocios furum linquo, de illis aut ſimilibus cras latiùs: ad alios venio magis obvios.

Philo Hebr.

Gen. 37. 33.

VI. Quid eſt furtum? *Acceptio aut retentio aut damnificatio rei alienæ invito Domino.* Eſt per ſe, aut per alium, occultè aut apertè exigendo, permittendo, &c. accipere rem alienam. Inveniuntur inter mercatores & opifices innumeri quibus exprobrare liceret quod Ezech. 28. 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate.* 70ta. legunt: *In multitudine negotiationis tuæ repleviſti cellaria tua iniquitate*, ſi multorum officinas & interiora domûs perluſtrari liceret eoſque interrogare, ſicut Iſaac Jacob filium ſuum: *Quomodò tam citò invenire potuiſti fili mi?* quomodò tam citò dives factus es, cum vicinus tuus qui ejuſdem tecum eſt opificii vix alat familiam: auderentne tutâ conſcientiâ reſponſum dare quod Jacob dedit? *Voluntas Dei fuit ut citò occurreret mihi?* potiùs diaboli voluntas fuerit. *In multitudine negotiationis tuæ repleviſti cellaria tua iniquitate*, cavea tua, menſa tua, tota domus tua, te produnt quod fur ſis aut ſocius furum, accipiendo, fraudando, per te aut tuos, & poſſidendo aliena. Sed NN. rogo vos ne putetis aliquem ſolùm opere accipiendo, fraudando, poſſidendo furem eſſe aut ſocium furum, audite Pſalmiſtam furem alloquentem:

Ezech. 28. 16.

Gen. 27. 20.

VII. Pſalm. 49. 18. *Si videbas furem currebas cum eo.* Ad hæc verba Auguſtiſſimus Auguſtinus: *Quid eſt hoc? pedibus ambulâſti ad furtum, imò mente te conjunxiſti furto, quod ipſius ſolùm erat, factum eſt & tuum quia placuit tibi*, idem aſſerit Epiſt. 164. *Non eſt aliud*

Pſalm. 49. 18.

S. Auguſtinus.

cum

cum fure concurrere niſi vel furari cum eo, vel furtum ejus cordis placito accipere. Idipſum confirmat Hom.9. ex 50. Hom. *Latro timet malum & ubi non poteſt, non facit, & tamen latro eſt, Deus enim cor interrogat non manum.* Purpuratus Ugo hunc verſiculum: *Si videbas* Ugo Card. *furem currebas cum eo*, ſic explicat: Novem modis curritur cum fure; primò per juſſionem, ſi herus mittat famulum vel filium ad furandum, ut ſe ditet; ſecundò per conſilium Iob 12. *Adducit conſiliarios in ſtultum finem* Job 12.17. tertiò per conſensū juxta illud Rom. 1. 32. Qui talia agunt Rom. 1. 32. *Digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*; quartò per adulationem vel laudationem; quintò per receptionem aut defenſionem ſecundùm Iſaiæ 3. 14. illud Iſaiæ 3. 14. *Rapina pauperis in domo tua*; ſextò per participationem ut ait D. Gregorius, *Cavere* S. Gregorius. *debemus ne ab illis munera recipiamus qui de lacrymis pauperum congregant divitias, ne ſimus ſocii furum, & dicatur nobis: Si videbas furem currebas cum eo*; ſeptimò per taciturnitatem, quamdiu non monet furem, cum monitio poſſet prodeſſe: undè D. Damianus Lib. 1. S. Damianus. Epiſt. 20. *Qui non corripit puerum ova furantem, magnum poſteà latronem patitur equorum ſtabula perfringentem*; octavò per non reſiſtentiam cùm poſſis, de quo Au- S. Auguſtinus. ſtinus: *Error cui non reſiſtitur, approbatur: Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare*: nonò per non Prov. 24. 11. manifeſtationem furti ſecundùm illud Auguſt. Lib. 3. Sup. Proverb. 29. *Non fur ſolummodò, ſed etiam ille reus tenetur, qui* S. Auguſtinus. *conſcius furti non vult quærenti indicare, cùm valet.* Omnes illi ſocii ſunt furum, & cum furibus currunt.

VIII. *Socii furum* ſunt, qui rem furtivam à fure emunt, quòd valdè commune eſt, & à multis non æſtimatur peccatum. Tales ſunt argentarii, veſtiarii, ſcrutarii, & cæteri omnes cujuſcumque conditionis aut ſtatûs qui fovent eos, quos fures ſciunt, aut ſcire deberent, quod talia mercimonia non niſi furto comparent: licèt enim ſimiles judici ſeculari facilè perſuadere poſſint: Ego non quæſivi ab illo undè haberet, ſufficit mihi, quòd palam vendat; hæc ſupremo judici non perſuadebunt: propria enim conſcientia ſatis teſtatur illos fures eſſe aut ſaltem de furto ſuſpectos, & tamen emunt, eò quòd communiter viliori vendant pretio. Similes reos dico omnium furtorum iſtorum, quia ſi non darentur emptores, non invenirentur venditores. Ne quis replicet mihi, ſi ego non emam, alius emet, quia hoc eſt excuſare excuſationes in peccatis, quidni etiam fur ſe excuſet, niſi ego furatus eſſem, alii feciſſent; ſic & homicida, ſi ego non occidiſſem, alius occidiſſet: hæc omnia non excuſant; præſtat ut alius æternùm pereat, quàm tu, tibi commiſſa eſt ſalus animæ tuæ, tu tuum portabis onus, alius ſuum. Undè dico ſimiles emptores tamquàm ſocios furum à Deo judicandos. Unum audite ſuper hac re maximè ſollicitum:

IX. To-

IX. Tobiæ 2. 21. Emerat Sara, Tobiæ uxor, hœdum caprarum de labore manuum ſuarum & domum detulerat, hic cum balantis vocem Tobiæ 2. 21. audiſſet ait: *Videte, ne fortè furtivus ſit, reddite eum Dominis ſuis, quia non licèt nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Quid eſt quod Tobias tam ſiniſtrè cogitet de uxore, alioqui muliere ſanctâ? myſterium Lyranus. pandit Lyranus: *Dicendum quod benè, non ſiniſtrè locutus eſt; quia pauper erat & cibaria delicata non conſueverat habere in domo ſua; quare rationabiliter timuit:* Notate *rationabiliter timuit.* Socii furum vos alloquor: dum vos videò adeò ditatos, abundare omnibus, non domos, ſed palatia inhabitare, menſis aſſidere opiparis, qui anteà in humili ſtatu veſtro, vix de uno pane ad alium pervenire poteratis, *Rationabiliter* timeo, ne multa furtiva ſint, quæ modò poſſidetis. S. Augustinus. *Tobias*, inquit Auguſtinus: *Nolebat ſonum furti audire in domo ſua.* Angulos domûs diſcutite & attendite, an non hœdum aliquem balantem audiatis, an non ex officina pars panni aut alterius mercis, an non ex arca aurum & argentum pupillis ac orphanis ſubſtractum, vocem ſanguineam emittant. Dum menſis veſtris accumbitis, videte, non tam corporis quàm mentis oculis, num fortè furtivus ſit cibus veſter: Aſpicite ſcutellas, num ex illis carnes humanas potiùs quàm bovinas, aut ovinas edatis, & trementes dicite: *Non licèt nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Videte num condimenta ſanguine pauperum mixta ſint, num ſocii furum ſitis.

X. *Socii furum* ſunt qui quidem, ut apparet, pecunias nolunt dare ad uſuram, nec uſurarii haberi, illas tamen concedunt mutuo cum pacto ut inde aliquid recipiant ſupra ſortem. Socii furum ſunt, qui emunt aliquid ab aliquo, qui eſt ſub cura parentum, vel tutorum; licèt enim ſit Dominus bonorum ſuorum, tamen quoad poteſtatem alienandi, quamdiu ſub tutoribus eſt, nihil differt à ſervo. Socii furum ſunt illi opifices, qui conducti de denario, ſimul otiantes, media ex parte non operantur. Socii furum ſunt ſervi & ancillæ, qui ſibi ipſis ſolvunt, formantes conſcientiam, quòd majus mereantur ſtipendium, burſam replentes, & vino ventrem, quòd invicem promunt, domino inſcio & invito. De ſimilibus dico, quòd de Juda Joannes Cap. 12. *Fur erat.* Non furabatur ille magnas ſummas, quia Joan. 12. 6 non habebat Chriſtus niſi Eleëmoſynas modicas in ſui & Apoſtolorum ſuſtentationem: Collegii autem Apoſtolici procurator exiſtens, ea, quæ mittebantur, portabat, ut emeret ea, quæ opus erant, aut ut egenis daret, unde non poterat niſi parva furta committere; hinc inde aſſem unum aut alterum clependo, & tamen non desiit eum Evangeliſta furem dicere, *Fur erat.* Audiant hæc latrones domeſtici, qui forum agunt, pecuniarum exercitium habentes, & ſciant ſe ſocios furum eſſe, & ita cum furibus currere, ut D. Chryſoſtomus mallet à publicis latronibus & furibus invadi, quàm à domeſticis; ab illis

E e

illis enim cavere ſibi quis poteſt, domeſtici autem cum Juda oſculando produnt.

XI. Non ſolùm *Socii furum* ſunt qui aliena rapiunt, & qui furantur injuſtâ acceptione, ſed qui aliena injuſtè detinent: Tales ſunt hæredes malæ fidei, qui ex certa ſcientia aliena poſſident; nam ut rectè Innocentius III. Cap. 34. *Non multum intereſt quoad periculum animæ injuſtâ detinere ac invadere alienum.* Tales ſunt qui mercenariorum mercedem defraudant, contra quos clamat Deus Levit. 19. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui uſque mane.* Item Deut. 24. 15. *Eâdem die reddes ei pretium laboris ſui.* Aliena rapiunt qui debita faciunt, & cùm poſſint, non ſolvunt, ſed in annos protrahunt. Similes non ſolùm ſunt ſocii furum, ſed omnium peccatorum rei, quæ ex defectu debitæ ſolutionis proveniunt, imò pejores furibus. Fur furatur ab eo qui nulla ei beneficia præſtitit, injuſtus detentor & iniquus debitor furatur ab eo qui laboravit, & ſudavit pro ipſo. Fur ordinariè furando unicum tantùm peccatum committit; mercenario autem, mercedem ſubtrahens, aut debitum non ſolvens imprimis fur eſt, aliena detinens; promittet centies ſolutionem, etiam cum juramento, ſicque perjurus: reddit malum pro bono, & ecce ingratus. Fingit ſe velle ſolvere, & nihil minùs putat, & ecce hypocrita; ſicque detinendo bona aliena ſocius eſt furum. Scio multos prætexere impotentiam; ſed quæro quare non poſſint? quia nolunt: *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium*, ubi tamen inter paucos quos in Eccleſiaſtico odit Dominus, numeratur dives mendax, *Divitem mendacem.* Ille ſcilicet dives, qui ut ait D. Auguſtinus, ne debita ſolvat continuò profert frivolos colores impotentiæ, Non poſſum, non poſſum: *Poteſt in iis quæ vult, & in iis quæ non vult, non poteſt.* Dum de conviviis & crapula agitur, ô quàm poteſt? ut ſolvat legata, *Non poteſt.* Dum agitur de equis, venatione & ſimilibus recreationibus, quantumcumque pretioſis, & profuſis, poteſt: dum de dando ſervis ſalario, licèt multorum annorum, *Non poteſt*; verbo dictum: *Poteſt in iis quæ vult, & non poteſt in iis quæ non vult: Divites mendaces, divites mendaces.* Excandeſcit in vos, vobiſque improperat Caſſiodorus: *Pudeat illos tollere quibus jubemur offerre.* Divites mendaces vos alloquor: quid quæſo intenditis non ſolvendo? an ut pauperes remittant vobis debitum, ut cedant juri ſuo, an ut tamdiu exſpectent quàm vobis placuerit? Si vobis, quibus commoditas & affluentia tanta eſt, tam durum ſit ſolvere debita, quantò magìs durum eſt ipſis non recipere propria? præterquam quòd ſocii furum eſtis, *Ultra omnes crudelitates*, inquit Caſſiodorus, *eſt divitem velle fieri de exiguitate mendici.*

XII. Proh dolor! quam hodie verificatur illud Eccli. 13. 23. *Paſcua divitum ſunt pauperes.* Sunt divites, qui ex ſudore pauperum hauriunt tamquàm ex fundo pinguiſſimo quidquid volunt, hauriunt vi-

*Innocentius III.
Levit. 19. 13.
Deut. 24. 15.
Jerem. 9. 5.
Eccli. 25. 4.
S. Auguſtinus.
Caſſiodorus.
Caſſiodorus.
Eccli. 13. 23.

ctum,

ctum, hauriunt amictum, hauriunt omnia. Opprimunt pauperes operibus & non ſolvunt ſalarium: quin imò in illos clamant, terrent, minantur, mittunt in malam crucem. Quid inhumaniùs, quàm ſævire in mechanicum, in famulos, ancillas, & pauperem creditorem quia videntur importuni petendo ſua? Eſtne illa, adeò à Chriſto commendata charitas, quam erga illos exhibetis? Abraham damnato epuloni, aquæ guttam petenti, ad minùs bona dat verba; non reſpondet illi, tu helluo, tu avare condignas pateris pœnas, ſed ait: *Fili* (tolummodò memorem reddit quod Lucæ 16 25. receperit bona in vita) *recepiſti bona in vita tua*, quomodò ergò vos contra illos, qui fortè in cœlo majorem vobis habituri ſunt gloriam, tantâ immanitate proceditis? ſi non ſitis ſatisfaciendo, ad minùs bona verba date, benignè ſuſcipite, gratum illis vultum præbete: ſi autem ſitis ſolvendo, quomodò poteſtis ſic cum illis agere? Deus bone quale judicium, quales pœnæ! Jacob. 2 13. qualis infernus vos manet! *Si enim judicium abſque miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam*: cogitate cum SS. Anſelmo, Hierony-S. Anſelmus. mo & Gregorio, *Quale judicium fiet illi qui fecerit & rapinam*, ſignanter illam; quâ non datur crudelior? Si bona quæ injuſtè detinetis, acquiſiviſſent jure hæreditario, injuſta illa detentio foret quidem ſenſibilis, at detinere ea quæ labore manuum, vigiliis, & fatigationibus aſſiduis lucrati ſunt, ſenſibiliſſimum eſt. Si hoc non ſit ſanguine pauperum operariorum luxuriari, non capio.

XIII. Audiveritis credo improperationem Alphonſo Regi Neapolitano factam à D. Franciſco Paulano Ordinis Minimorum magno Patriarchâ. Impoſuerat ille ſuis jugum duriſſimum, ita ut ſub illo omnes ingemiſcerent. Paulanus animo intrepido tollens ex nummis ab exactoribus allatis coram Rege, illos confregit Alphonſo ſtupente ſanguinem emittentes. Si mihi indigno daretur poteſtas deſuper, quæ data eſt illi, quantùm ſanguinis, quantùm ſanguinis flueret ante oculos veſtros ex bonis alienis injuſtè retentis? quantùm ſanguinis exprimerem ex veſtibus pretioſis! quantum ex divite ſupellectile multorum! percutiendo virgâ ciſtas, lectos pretioſos, muros ſericis & aulæis veſtitos, non minùs ex illis ſanguinem elicerem, quàm Moyſes ex petra aquam: ſed cur ad miracula recurro? cum Spiritu ſancto atteſtante, Eccli. 34. 26. homicidium & operariorum merces defraudata ſint fratres. *Qui aufert in* Eccli. 34. 26. *ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum*, qui aufert ab aliquo panem, quem in ſudore vultûs ſui lucratus eſt, quaſi qui occidit proximum ſuum. *Qui effundit ſanguinem & qui fraudem facit mercenario fratres ſunt.* Audeo dicere, quòd mercenario fraudem faciens, & iniquus debitor, pejores ſint homicidis. Miramini me hoc ita ſentire?

XIV. 2. Reg. 21. 13. Achabo regi Iſraël vineam Naboth iniquè poſſidenti in faciem ex parte Dei exprobrat S.P.N. ELIAS: *Occidiſti*, 2. Reg. 21. 13.

inſuper & poſſediſti, Notate ly *Inſuper*. Scio homicidium in genere ſuo grandiùs eſſe peccatum furto, magis tamen exaggerare videtur furtum aut injuſtam poſſeſſionem: Homicidium ſæpè fit inſtantaneè, injuſta poſſeſſio eſt homicidium quaſi continuum, per annos in annos protractum. Homicidium ordinariè fit ex colera, ex fervore paſſionis; injuſta retentio animo fit deliberato motu omninò proprio. Dum quis occiditur, ſemel tantùm moritur, miſer creditor, & pauper operarius ex injuſta detentione moriuntur millies, non ipſi tantùm, ſed & uxores, proles, moriuntur fame, infamiâ, confuſione, &c. Imò quoad animam, illis imprecando mala & ſpirando vindictam, quorum omnium malorum participes ſunt. Non timent ergò omnes illi ſocii furum vindicem Dei manum? ut diſcant timere, audiant Apoſtolum Jacobum loquentem

XV. Jacobi 5. 4. *Ecce merces* Jacobi 5. 4. *operariorum, quæ fraudata eſt à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*: Quid quæſo ſignificat *Dominus Sabaoth*? Dominum Angelorum, ferarum, fulminum, grandinum, terræ motuum, turbinum, diluviorum, mortalium infirmitatum, exercituum: *Dominus exercituum*: Ut quiſquis intelligat quod ad clamores lacrymantium operariorum, Dei armamentarium aperiatur, iiſque detur facultas, ut ex eo arma ſumant & vindicent crudelitatem, miſeris creditoribus & operariis illatam. Probam, non verba damus.

XVI. Exod. 8. Deus pharaonem, & Egyptios punitutus immittit ſerpentes, ranas, ſciniphes, muſcas, peſtem, ulcera, grandines, tonitrua, fulgura, ſtragem primogenitorum, tandem naufragium: ſed in quorum favórem putatis à Deo mitti tam formidabilem exercitum? Quorum? pauperum operariorum, quorum erat defraudata merces. Ædificaverant Ægyptii duas civitates in labore manuum Hebræorum; nullâ his factâ ſolutione ab illis. Intolerabilis illa injuſtitia, dedit Deum in tantum furorem; ut audiens gemitus & lacrymas oppreſſorum, factâ ab Hebræis occultâ compenſatione, abſtulerint, mandante Deo, Ægyptiorum vaſa aurea & argentea, & omnibus devaſtatis, eorumque primogenitis extinctis, tandem tranſtulerit illos per mare rubrum, & tranſvexerit per aquam nimiam, inimicos autem illorum, demerſerit in mare. Sicque *Reddidit Deus juſtis mercedem laborum ſuorum.* Hoc eſt, inquit Lyranus, *Recompenſationem laborum, quia injuſtè defraudaverant eos Ægyptii.* Quomodò ergò oppreſſores operariorum & creditorum, non timetis vindicem Dei manum, cùm clamor eorum intret in aures Domini Sabaoth? Speratis fortè aliena rapiendo aut retinendo quæſtum facere? quam fallimini! quam cæcutitis! Exod. 8. Sap. 10 17. 18.

XVII. Volvite & revolvite SS. Paginas, ſcrutemini omnes

familias.

familias, quarum memoriam faciunt, ex malè acquiſitis ditatas, & renuntiate mihi, an vel uni illarum furtiva profuerint; econtrà videbitis omnes diſperiiſſe, invenietis omnes & fures & ſocios furum ad nihilum redactos, & filios & filios filiorum uſque ad quartam generationem. Joſue 7. volens Achan domum ſuam ditare, furti ſcelere contaminatus: *Tulit* (Ioſue 7. 1.) *de anathemate pallium coccineum valdè* (Verſ. 21.) *bonum, ducentos ſiclos argenti, regulamq; auream quinquaginta ſiclorum*; undè lapidatus eſt ipſe, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. 4. Reg. 5. (4 Reg 5.) Diteſcere cupiebat Giezi acquiſitionibus iniquis, viâ mendacii, donaria magna tollens à Naaman Syro, quæ, ob mundationem à lepra, obtulerat Eliſeo, & ecce lepra Naaman adhæſit illi & ſemini ejus uſque in ſempiternum. 1. Reg. 15. (1. Reg. 15.) Contra Dei mandatum furtivè reſervat ſibi Saul ſpolia Amalec, ideoque non ſolùm ipſe privatus eſt regno, ſed & domus ejus tota 3. Reg. 21. (3. Reg. 21.) Achab Rex mediis iniquis, & injuſtitiâ manifeſtâ tollit vineā Naboth, hæreditatē patrum ſuorum, undè non ſolùm ipſe morte periit violentâ, ſed & uxor & familia ejus tota: & tamen Achab (Audite & obſtupeſcite) reliquit poſt ſe ſeptuaginta filios maſculos regni ſucceſſores, familiam opulentam, alioquin duraturam ſeculis multis, quæ ſpatio 15. annorum tota deleta eſt, tota periit, tota, ut ne una quidem anima manſerit ſuperſtes: (4. Reg. 10. 11.) *Et percuſſi ſunt omnes de domo Achab, donec non remanerent ex eo reliquiæ*, & meritò: dignum namque & juſtum eſt, ut non tantùm pereant fures, ſed & ſocii furum participantes in furto, nec ſolùm ob iniquam poſſeſſionem puniantur parentes, ſed & filii & filii filiorum. Quid ad hæc fures & ſocii furum? Putatis vos injuſtitiis veſtris, furtis veſtris ſtabilire domos veſtras? Putatis? dum Deum habetis inimicum, qui familias tam populares tam opulentas tam ſublimes & ſplendidas & potentes, tam exiguo tempore delere novit funditùs, quæ tamen videbantur duraturæ in ſecula? Prædico vobis ex parte Dei

XVIII. Eccli. 21. 9. *Qui ædificavit domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides in hieme.* (Eccli. 21.) Hoc eſt, ut interpretes loquuntur, *Ad fabricandum in hieme.* Quis veſtrûm domum fabricaturus, ad extruendam illam ſibi eliget tempus hiemale? numquid in veris tempus aut æſtatem differet, ne alioqui fruſtrà laboret, & brevi collabatur ædificium? Socii furum fabricatis in hieme, fabricatis in hieme: citò corruet domus veſtra, omnes labores, omnes induſtriæ veſtræ in aërem volabunt: Spiritui ſancto credite Abacuc 2. *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus*, ſolummodò verbum muro. (Abacuc 2. 12.) *Væ qui ædificat domum in ſanguinibus, & præparat domum in iniquitate.* (Verſ. 6.) *Væ ei qui multiplicat non ſua.* (Verſ. 9.) *Væ qui congregat avaritiam Domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus ejus.* (Verſ. 10.) Cur, obſecro, toties illis *Væ* dicitur? *Cogitâſti confuſionem domui tuæ.* Quid Væ illud indicat, niſi maledictionem ſuper maledictionem? Non videmini iſta multùm apprehendere, aut ob illa moveri. Tamen vera ſunt quæ dico.

XIX. Zachariæ 5. 3. Levans Zacharias oculos ſuos interrogatur ab Angelo quid videret: *Ego* inquit *video volumen volans*: cui Angelus: *Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ, quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur. Educam illud dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & conſumet eam & ligna ejus & lapides ejus.* Ephrem Syrus legit: *Video falcem igneam.* Falx Inſigne eſt furis, quâ omnem ſibi metit maledictionem, ipſum ignem infernalem. Amos Prophetam audite Cap. 8. Hæc oſtendit mihi Dominus Deus, & ecce uncinus pomorum: & dixit: *Quid tu vides Amos: & dixi uncinum pomorum: & dixit Dominus ad me: Venit finis ſuper populum meum Iſraël, non adjiciam ultrà ut pertranſeam eum:* Et ut omnes fures & ſocii furum intelligerent, quales ipſos maledictiones maneant, ait: *Audite hoc qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ dicentes: Quando tranſibit meſſis & venumdabimus merces: & Sabbathum, & aperiemus frumentum ut imminuamus menſuram & augeamus ſiclum & ſupponamus ſtateras doloſas, ut poſſideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis & quiſquilias frumenti vendamus?* Uncinus inſtrumentum eſt furum, quo ſuper ſe maledictiones trahunt temporales & æternas, & illas maximè. Ponderate ea quæ Lucas narrat

Zachar. 5. 3. — Amos 8. 2. — Verſ. 4.

XX. Act. 5. Ananias & Saphira uxor ejus, agro divendito partem pretii ſibi reſervant, ad interrogationem autem Petri, negantes furtum, ſubitaneâ morte plectuntur. Ob mortem hanc in ſtuporem datus D. Bonaventura, ait: *Notent hanc hiſtoriam & timeant, qui uſurpant aliena, ſi tam ſubitaneâ morte pereant qui occultant propria.* Lucæ 16. Dives qui induebatur purpurâ & epulabatur quotidiè ſplendidè, tandem *Mortuus ſepultus eſt in inferno.* Ad hanc triſtem ſepulturam omnes fures & ſocios furum invitat D. Baſilius: *Terreat te divitis exemplum, qui non ob crimen injuſtitiæ, ſed ob crimen molitiei exuſtus eſt*, non quia aliena rapiebat, aut furti factus eſt particeps, ſed quia epulabatur ſplendidè; hinc format argumentum M. P. Auguſtinus Serm. 24. de Verbis Domini: *Si ſic moriuntur ſuperbi rerum ſuarum conſervatores, & nihil inde pauperibus largientes, quomodò morientur qui rapiunt aliena?* Fures & ſocii furum *Audite hæc & intelligite.*

Act. 5. 1. — S. Bonav. — Lucæ 16. 22. — D. Baſilius — S. Auguſtinus.

b

FERIA

FERIA III. DOMINICÆ IV. ADVENTUS.

De Participatione rei alienæ.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Non ſolùm fures incurrunt octavum Peccatum Alienum, ſed & ſocii furum. Tales ſunt, præter heri nominatos, Judices diligentes múnera, ſequentes retributiones, pupillo non judicantes. Tales ſunt Advocati, Procuratores, Notarii, qui corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.

I. UT heri vidimus, ſcatet mundus furibus, & ſociis furum. Socii furum ſunt, qui cum fure currunt: ita Aug. *Non eſt aliud cum fure currere, niſi vel furari cum eo, vel furtum ejus cordis placito accipere.* Cùm fure curritur 9. modis: *Juſſione, Conſilio, Conſenſu, Laudatione, Defenſione, Subtimemiâ, Participatione, Conniventiâ* & *non Manifeſtatione:* ut oſtendit purpuratus Ugo. Cum fure currunt, & *Socii* ſunt *furum* omnes illi, quos heri nominavimus: non ſolùm qui aliena rapiunt, ſed qui injuſtâ detentione aliena detineut; horum multitudo tanta eſt, ut dinumerari vix queant. Sunt & alii, qui, licèt nec aliena rapiant, nec retineant, proximo tamen damnum inferunt: & hi *Socii* ſunt *furum*, illorumque non parvus eſt numerus De illis hodie dicturus, implorabo priùs opem ejus, quæ gratiâ eſt plena, & dicam illi: *Ave.*

S. August. Ep. 164.

II. Propheta Evangelicus, qui Principes Jeruſalem ſocios furum dicit, pandit Cap. 1. in quo furtum illorum conſiſtat: *Principes tui infideles, ſocii furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Dum in Chriſtianiſmo videmus, judices diligentes munera, ſequentes retributiones, pupillo non judicantes, divitibus faventes, cauſas pauperum negligentes, ſicque notabiliter damnificantes, quis illos ſocios furum non dixerit? Socii furum ſunt Advocati, Procuratores, Notarii, culpâ ſuâ damnum inferentes; ſocii furum ſunt illi, qui proximo ſuo litem injuſtam indicunt, à qua tota dependet familia; aut alio quocumque modo illum damnificant. Hodie vos judices conſtituo, & rogo, ut me audiatis & attentis rationibus meis judicetis, an rectè omnes iſtos *Socios furum* dixerim, nec ne. Benignas dicturo aures præbete.

Iſaiæ 1. 23.

III. Si ulli, maximè Judici, competit juſtitia; *Judex* enim dicitur quaſi *Jus dicens.* Deut. 1. alloquitur Deus Judices: *Audite illos, & quod juſtum eſt, judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus: nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ut magnum.* In his Deuteronomii verbis multæ conti-

Deut. 1. 16. 17.

continentur ſalutares regulæ judicibus præſcriptæ; primò enim dicitur: *Audite illos.* Judicum munus poſtulat, ut partes litigantes, & delinquentes, diligenter audiant, facilem omnibus audientiam præbeant, quovis tempore ad obſequendum parati. 2.° *Quod juſtum eſt, judicate:* ſoli intenti juſtitiæ: *Sive civis ſit ille, ſive peregrinus:* non perſonaliter judicantes: *Ita parvum audiemes, ut magnum.* Hinc Exod. 23. dixerat

Exodi 23. 3. illis Deus: *Pauperis non miſereberis in judicio.* Ex Hebræo legit Cajetanus: *Pauperes non pulchri-facies in lite ſua*; & ſubdit: *Præcipit Deus in judicio non habeatur ratio pauperis, ſed juſtitiæ dumtaxat; & propterea probibet, blandis ſermonibus ornari cauſam pauperum, & multò magis aliorum.* Qui ſecùs fecerint, ſocii ſunt furum. Audiant hæc judices illi, qui cauſas divitum pulchri-faciunt, & tot coloribus ornant, ut, quamvis turpes, imò turpiſſimæ, honeſtæ appareant; cauſam autem pauperis, quamvis juſtiſſimam, negligunt: audire pauperem dedignantur, ſemper pro illo impediti. Quid judices illi, meliùs dixero, quid illi ſocii furum ad Dei

Cajetanus.

Deut. 16. 18. mandatum Deut. 16. *Magiſtros conſtitues in portis tuis, ut judicent populum juſto judicio?* Ut illos magìs premat & confundat Hieronymus, quærit in Cap. 8. Zach. *Quare apud Judæos in portis locus fuerit judicandi?* Quæſtioni à ſe objectæ reſpondet: *Ne cogerentur agricolæ intrare urbes, & aliquod ſubire diſpendium.* Sollicitè providebat Deus, ſupremus Judex, ne miſeri & pauperes ruſtici in civitatibus expenſas facere cogerentur, ut indè intelligerent judices, curam illis incumbere, ut diſpendia, quæ reſecare poſſunt, avertant: alioquin partem habituri in damnis, & præjudiciis, quæ ob defectum vel dilationem audientiarum pauperes paterentur in perſona propria, in facultatibus, nec non frequenter in ſuis familiis, à quibus ob illorum negligentiam, & malitioſas dilationes, ad ſolùm ipſorum intereſſe ordinatas, (ideòque à D. Bernardo Lib. 2. de Conſid. dictas: *Venatorias dilationes:*) diu abeſſe coguntur. Quis ſimiles damnificantes judices *Socios furum* non dixerit? Quis ſociis furum non annumerabit illos, qui lites protrahunt in annos, ita ut litigantiũ patrimonia enormia damna patiantur, & velox totius familiæ interitus ſubſequatur? Quis furibus non annumeret judices illos, qui, non valentes ingenio ad rectam diſcernendam juſtitiam, cauſas, quas non intelligunt, non inveſtigant, dubia non ventilant, rationes non ponderant, leviter ſuffragium aut ſententiam ferunt? Quis, inquam, ſimiles non annumeret furibus, aut ſociis furum? Do unum confitentem reum:

S. Hieron.

S. Bernardus

IV. Philippus Macedonum Rex, in cauſa quadam Machetem concernente, ſomniculoſus pronuntiârat ſententiam; hic appellationem à lato Regis arbitrio interponit; iratus Rex, eum interrogat, ad quem appellaret, cùm nullum ſe ſuperiorem agnoſceret judicem, ad quem appellando poſſet habere recurſum? qui protinùs reſpondit: *Ad te ipſum, ô Rex, ſi expergiſcaris, & attentiùs audias cauſam.* Quo audito, ſurrexit Rex, cauſæque examinandæ diligenter

genter incubuit: & quidem, tametſi, ne erráſſe videretur, ſententiam non revocârit, Machetis tamen cauſam juſtam & æquam eſſe agnoſcens, omnia, quæ perpeſſus fuerat damna, clandeſtino modo reparavit. Audiendus hic D. Hieronymus ſuper illa verba Amos 6. *Convertiſtis in amaritudinem judicium: Ille iratâ ad judicandum mente deſcendit, qui, cùm cauſam neſciat, nec judicii noverit veritatem, antè præjudicat, qualem debeat ferre ſententiam; fructum juſtitiæ, qui dulciſſimus eſt, vertit in amaritudinem.* Audiant judices omnes Deum judicē loquentem eoſque monentem, ne alioquin fures ſint, aut ſocii furum.

Amos 6. 13.
S. Hieron.

V. 2. Paralip. 19. Inter alias à Rege Joſaphat pro bono ac felici regni ſui regimine factas proviſiones, ſacer Textus hanc quòque, eamque non infimam recenſet: *Conſtituit judices terræ in cunctis civitatibus munitis per ſingula loca, & præcipiens judicibus: Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis, ſed Domini exercetis judicium: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit; ſit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non enim eſt apud Dominum Deum veſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Videte, quid faciatis: id eſt, inquit Lyranus: *Ne præcipitanter, ſed ſecundum magnam deliberationem ſententiam feratis. Cum diligentia cuncta facite*, ut tutâ conſcientiâ cum Job dicere poſſitis Cap. 29. *Cauſam, quam ignorabam, diligentiſſimè inveſtigabam*; ne ſit caſus pro amico: non enim eſt apud Dominum iniquitas, nec perſonarum acceptio, cujus judicium facitis. Quicumque eſtis judices, jam ego vos alloquor: Videte, quid faciatis: non ſecundū perſonas, ſed ſecundùm leges judicate; attendite, ne leviter, & præcipitanter judicantes, coram Deo ſocii furum ſitis. Attendite, ne de numero eorum ſitis, de quibus Innocentius III. Papa Lib. 2. de Contemp. mundi Cap. 4. „Vos, ô Judices, non attenditis „ad merita cauſarum, ſed merita „perſonarum: non vitam, ſed mu„nera: non juſtitiam, ſed pecuniam: „non quid ratio dictet, ſed quid „voluntas affectet: non quid lex „ſentiat, ſed quid mens cupiat . . . „Non inclinatis animum ad juſti„tiam, ſed juſtitiam inclinatis ad „animum. Non ut quod liceat, hoc „libeat, ſed ut liceat hoc, quod libet. „Pauperum cauſam negligitis, „divitum cauſam cum inſtantia „promovetis: in illis rigorem oſten„ditis, cum iſtis ex manſuetudine „diſpenſatis: illos cum difficultate „reſpicitis, iſtos favore tractatis: „illos negligenter auditis, iſtos „ſubtiliter auſcultatis. Clamat pau„per, & nullus exaudit: loquitur „dives, & omnes applaudunt. Cla„mat patiens, & nullus exaudit: „vociferatur, & non eſt, qui judi„cet; ſed ſi fortè pauperum cauſam „ſuſcipitis, illos remiſsè fovetis: cùm „autem divitum cauſam aſſumitis, „illos pertinaciter adjuvatis: paupe„res deſpicitis, divites honoratis: „iſtis reverenter aſſurgitis, illos „deſpicabiliter conculcatis. „ Ita ille. Si ſic judicetis, patietur reviſionem ſententia veſtra. Videte, quid faciatis, ne de numero illorum ſitis, de quibus

2. Paral. 19. & 7.
Job 29. 16.
Innoc. Papa.

VI. Iſaiæ 1. *Principes tui*, id eſt, *judices* Iſaiæ 1. 23.

judices tui, infideles, ſocii furum. Quomodò poſſibile, quod Principes illi, & judices, quorum erat punire fures facti ſint illorum ſocii? Dat rationem Evangelicus Propheta: *Diligunt munera, ſequuntur retributiones:* amatores ſunt donorum, & munerum: dum iis inhiant, quid mirum, quòd ita intoxicentur, & pervertantur, ut loco ly *Infideles*, Aquila legat: *Recedentes*; Pagninus: *Declinantes*; Septuaginta: *Inobedientes*; & Pintus: *Perverſi*? Non eſt iniquitas, nec peccatum tam grande, quod non perpetraverint judices illi perverſi, munerum amatores; unde D. Petrus Damianus Lib. 1. P. 23. *Hic notantur ii, qui diligunt munera, & accipiunt: & hi etiam ſocii furum non immeritò dicuntur.* De quot civitatibus Chriſtianis hodie dicere licet, quod de Jeruſalem Iſaias: *Principes tui, judices tui infideles, ſocii furum*, quia *diligunt munera, ſequuntur retributiones*? Quis non videt reviviſcere hodie Magni Auguſtini tempora? *Uſque adeò hoc inolevit malum, ut jam ex conſuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, ſententia ipſa venalis ſit, & nulla jam cauſa poſſit eſſe ſine cauſa*; ita ut meritò de iſtis judicibus dicat coronatus Pſaltes Pſalmo 25. *In quorum manibus iniquitates ſunt*; addens rationem: *Dextera eorum repleta eſt muneribus*; id eſt, inquit Titelmannus: *Indifferenter ab omnibus accipiunt munera ad ſubverſionem juſtitiæ, quia pro ipſis muneribus vendunt, & ſubvertunt juſtitiam*; nec mirum, inquit D. Leo Serm. 9. de Paſſione Domini: *Quia nullum eſt in illo corde juſtitiæ veſtigium, in quo avaritia fecit habitaculum.* Nihil tam iniquum, tam injuſtum, quod per dona & munera ab avaro judice non impetretur. Non creditis?

Aquila. Pagninus. Pintus. S. Damianus. S. Aug. Ser. 3. append. 3. Diverſ. Pſal. 25. 10. Titelmanus. S. Leo Papa.

VII. Rege Aſſuero quis generoſior, quis fortior? Dominabatur ille ſuper 127. Provincias, regebatque multitudinem illam prudentiâ indicibili; & tamen Rex tantus adeò ſeduci ſe permiſit, ut impius aulicus ejus Ammanus ab eo impetraverit decretum, vi cujus occiderentur omnes Judæi, qui tamen erant in regno innumeri. Quomodò Rex ille induci potuit, ut committeret injuſtitiam tam grandem, & manifeſtam? Legite, & attendite ad verba ſupplicæ perfidi & aſtuti Ammani: *Decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ:* quæ decem millia talentorum, juxta computum multorum, aſcendunt ad novem milliones florenorum. Ad tantam ſummam pecuniarum, adeò excæcatus eſt Rex, ut devenerit ad decretum tam impium. *Non miremini*, inquit D. Greg. Nyſſ. quia: *Princeps, ſive judex, qui ad quæſtum juſtitiæ libram detorquet, quod injuſtum & iniquum eſt, decernit, comprobat, atque confirmat.* Sanctiſſimi quique per dona & munera fures fiunt, aut ſocii furum. Eſther 3. 9.

VIII. Quis juſtior Davide, de quo indubitatum Deus perhibuit teſtimonium: *Inveni hominem ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas:* quique rectam judicibus juſtitiæ adminiſtrationem, in tot Pſalterii ſui locis tam anxiè inculcavit? Et tamen quàm turpiter à recto juſtitię tramite aberravit 2. Reg. 16. ℣. 3. Cùm ob Abſalonis rebellionem fugeret de Jeruſalem, ſervum Miphiboſeth, Sibam nomine, ſibi obvium interrogat, qualiter cum Domino ſuo Act. 13. 22.

ſuo ageretur, & ubinam degeret; cui
2. Reg. 16. 3. cùm reſpondiſſet Siba: *Remanſit in Jeruſalem, dicens: Hodie reſtituet mihi domus Iſraël regnum patris mei; ait Rex Sibæ: Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth.* Poteratne hâc injuſtior proferri à tam ſancto, & integerrimo Rege ſententia? Abulenſis Davidis injuſtitiam ex multis capitibus re-
Abulenſis. darguit, dicens: *Condemnavit inauditum, non vocatum, & indefenſum; in notoriis quoque delictis requiritur citatio, ut reus veniat ad audiendam ſententiam, & ad allegandas excuſationes, ſi quas habet.* Non debebat inſuper David ſoli accuſatori, ſine teſte calumnianti, credere, maximè cùm de fidelitate Miphiboſeth nihil ſiniſtri ne ſuſpicari quidem potuerit. Cur igitur in tam injuſtam, & præter omnem juris ordinem ſententiam prorupit? Adæquatam reſponſionem
Verſ. 1. habetis ex S. Textu: *Apparuit Siba, puer Miphiboſeth, in occurſum ejus cum*
Lyranus. *duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ paſſæ, & centum maſſis palatharum, & utre vini.* Undè Lyranus: *David ſanctus, ex verbis & dono, licèt modico, hujus adulatoris in tantum fuit deceptus, quòd ſine verborum ejus examinatione dedit ei hæreditatem Domini;* quodq; majori dignum eſt admiratione; eſt, quòd, cùm Sibæ impoſtura jam detecta eſſet, ideòque ſeverè puniri mereretur, non ſolùm in illum non animadverterit, eàque, quæ à Miphiboſeth injuſtè ablata, ei donaverat, non repetierit, verùm etiam illum in pacifica poſſeſſione medietatis facultatum Miphiboſeth reliquerit. Hinc patet, quàm vera ſunt ea, quæ
Deut. 16. 19. habentur Deut. 16. *Munera excæcant oculos ſapientum, & pervertunt* Eccli 20. 31.
verba juſtorum. Et Eccli. 20. *Xenia & dona excæcant oculos judicum.* Dicat nunc Iſaias quod olim

IX. Cap. 1. de Iſraël: *Principes* Iſaiæ 1. 23.
tui ſequuntur retributiones, diligunt munera: & addat: *Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos;* judices tui non attendunt merita cauſarum, ſed pecuniarum: manus ſuas inunctas volunt oleo clientum ſuorum: numquã cauſas eorum decidunt, niſi priùs burſas recidant, habentes ſolum intereſſe pro ſphæra ſuæ activitatis. De ſimilibus, me liberiùs edicet ſenſa cordis ſui D. Iſi-
dorus: *Differunt, aut pervertunt judicia,* D. Iſidorus.
nec finium certa partium negotia, quouſque marſupia eorum exhauriant: quia non cauſas, ſed dona deſiderant. Hodie juſtitia ſimilis facta eſt Lapidi Na- Dan. 2.
buchodonoſoris, percutienti pedes luteos, capite aureo intacto. Dum in calamo, aut arundine aliquis piſcatur, ſi hamo parvus adhæreat piſciculus, manet calamus rectus, nec flectitur: ſi autem magnus, non ſolùm flectitur, ſed & ſæpè frangitur. Incidat in manus juſtitiæ pauper, qui non habet undè manus ungat, calamus rectus manet: ſin autem piſcis grandis, ſi dives aliquis, aut præpotens hamum deglutiat, quod Bartolus & Baldus aſſerunt manè, negant veſperi: licèt contra eum omnia jura clament, vix loquitur, vix comparet, etiam ſine Advocato, ſine Cauſidico impetrat omnia, reus licèt, abſolvitur, quia, ut bonus Grammaticus, nôvit antè Accuſativum ponere Dativum, & iſto modo cauſa ejus, & nomen ejus exaltantur in declinatione. In materia juſtitiæ

 non

non attenditur hodie ad Corpus juris, aut delicti, ſed ad corpus delinquentis, ſcilicet ad conditionem, aut qualitatem perſonæ: an quis nobilis ſit, aut plebeius: an dives, aut pauper: & ſecundùm diverſitatem perſonarum judicatur, & fertur ſententia, cùm tamen ſecundùm Canones *Eligibilior ſit mors, quàm juſtitia tranſgreſſio.* Dicat iterùm Iſaias, quid de multis judicibus ſentiat.

Iſaiæ 59. X. Cap. 59. 5. De illis ſic loquitur: *Telas araneæ texuerunt.* Aranea, ut ſcitis, ſeſe eviſcerans, quædam fila ducit, pedibuſque diſponens, ſubtilem ſibi telam intexens, vadit modò huc, modò illuc, textrix ipſa, & tela. Num ſcitis in quem finem? Ut muſcas capiat. Si telam hanc papilionem involare contingat, illam deſtruit, illæſus avolat, & in fumum abit omnis labor araneæ; at verò ſi parva incidat muſca, illam invadit aranea, ſanguinem exſugit, traditque in manus mortis. Telas araneæ texunt judices multi hujus ſeculi; ſi papilio, ſi dives aliquis veniat, vi & impulſu bonorum, ac munerum, telam juſtitiæ deſtruit; ſed ſi muſca in telam involet, ſi incidat in manus illorum pauperculus, pupillus, aut vidua ſanguis illorũ exſugitur, & adeò ſupprimuntur, ut tandem crepent: *Telas araneæ texuerunt.* Paucis hoc exprimit D. Iſidorus Hiſp. Lib. 3. de Summo Bono Cap. 52. Sent.

D.Iſidorus. Pag. 687. *Dives muneribus citò corrumpit judicem, pauper autem, dum non habet quod offerat, non ſolùm contemnitur audiri, ſed etiam contra veritatem opprimitur.* Quomodò in-

Iſaiæ 10. vehitur in illos Iſaias 10. 1. *Væ, qui condunt leges iniquas, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* De illis loquitur Vates Regius Pſal. 25. Pſal. 25. 10.

In quorum manibus iniquitates ſunt: & quare? *Dextera eorum repleta eſt muneribus*; tantâ aviditate inhiant donis, & muneribus, ut unicam beatitudinẽ ſuam reputent, ſpoliare pauperes: *Exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem* 1. 1.Timot. 5 6

Timor. 6. Ita de illis loquitur Auguſt: *Quod eis ad obtinendam ſalutem æternã* S.Auguſtinus.

datum eſt, ad recipienda hujuſmodi munera convertunt, exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem. Quis inficiabitur mihi, ſi hos omnes fures dicam, aut ſaltem ſocios furum? Loquatur pro me Auguſtiſſimus Aug. Ser. 35. ad Fratres S. Auguſtin.

in eremo: *Væ vobis, ò Judices, Væ vobis in æternum: quia non eſt in vobis veritas, non miſericordia, non pietas, non juſtitia, non ſcientia Dei, regnat in vobis acceptio perſonarum, non eſt veritas in vobis. O patres pauperum, verè non patres, ſed prædones! Quare non patres? Quia ubique per vos opprimuntur, nec eſt, qui miſereatur pupillis Dei.* Non patres, ſed fures, & ſocii furum. Ad alios venio.

XI. *Socii furum* ſunt, Advocati, Procuratores, Notarii, aliique Cauſidici, de quibus Pſ. 13. *Corrupti ſunt,* Pſalm. 13 2.

& abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis; qui tales ſunt, ut de Alcorano Evangelium conderent: qui paucis verbis partes inducere poſſent ad accordandum, & accenſum ignem facili modo extinguere, & interea majoris lucri gratiâ malo ſuo conſilio oleum infundunt, & tantam excitant flammam, ut integræ familiæ redigantur in cineres. Socii furum ſunt, qui, tamquàm Rethores diaboli,

cauſas

cauſas iniquas fovent potentium: cauſa autem pupilli & viduæ, ad eos non ingreditur. Similes alloquitur Innocentius III. Lib. 1. de Contemp. mundi: *Si fortè pau-*
Innocentius III. *perum cauſam ſuſcipitis, illos remiſsè fovetis: cùm autem divitum cauſam aſſumitis, illos pertinaciter adjuvatis: ſæpè, juſtitiam tantum differtis, quòd litigantibus pluſquàm totum aufertis: quia major eſt ſumptus expenſæ, quàm fructus ſententiæ.* Hoc maximè deplorat Petrus Bleſ. Lib. 3. de ſummo Bono
Petrus Bleſ. Cap. 56. *Hodie ſoli avaritiæ militant Patroni cauſarum, illudque quondam venerabile nomen, & glorioſi profeſſio Advocati, notabili venalitate vileſcit*; Reipublicæ Chriſtianæ adeò facti pernicioſi, ut unuſquiſque ſimilium à Propheta Ezech. 17. 3. deſcriptus videatur
Ezech. 17. 3. ſub Metaphora aquilæ: *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis*; vel ut legunt 70[a]. *Plena unguium*; hebraicè enim eodem verbo exprimuntur plumæ, & ungues. Verè aquilæ grandes, magnarum alarum, plenæ plumis deſiderii ditandi ſe, ſunt Advocati illi, & Procuratores, qui pleni unguium ad dilacerandos, & devorandos clientes, lites protrahendo, & numquàm finiendo, facti ſunt eorum ſanguiſugæ, dum allegationibus ſuis adeò confundunt mentes judicum, ut, licèt bonæ ſint intentionis debitam faciendi juſtitiam, & cauſas expediendi, tot fucis, & falſis veritatis coloribus nòrunt depingere mendacia, ut vel injuſtitiam committant, aut quid reſolvere, neſciant: ſicque numquam terminentur cauſæ; *Docuerunt enim linguam loqui* Jerem. 9. 5.
mendacium: ut ait Pſalmiſta; &
Jeremias Cap. 8. *Verè mendacium* Jerem. 8. 8.
operatus eſt ſtylus Scribarum; quia ſunt ſicut aquila, plena unguium: ita ut hodie inſigniores habeantur illi, qui maxima nòrunt adinvenire mendacia, partem adverſam depingere, & infamare, imò ne mortuis quidem parcere, ſed eorum famam dilacerare, ditati, ſecundùm Hieronymum Epiſt. ad
Rufum: *Caninâ facundiâ*: & ut lo- S. Hieronymus.
quitur Tertullianus Lib. de Pall. Cap. 5. cauſas elatrantes, ut canes,
quorum voces propriè *Latratus* di- Tertullianus.
cuntur; quibus meritò ab Amos
Propheta dicitur Cap. 6. *Converti-* Amos 6. 13.
tis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium: ſicque ex duplici capite fures, aut ſocii furum. Indignarentur mihi eorum aliqui, ſi ranis eos compararem? Sed Origeni, non mihi indignentur; tali enim eos titulo dignatur.

XII. Notat Origenes inter omnia flagella, Ægyptiis à Deo inflicta, non infimum locum habere flagellum ranarum; undè ponderans verba Pharaonis ad Moyſen &
Aaron: *Orate Dominum, ut au-* Exodi 8. 8.
ferat ranas à me, ait: *Ranæ, ſig-* Origenes.
nificant clamoroſas Advocatorum allegationes, quæ inani & inſtita modulatione, velut ranarum ſonis & cantibus, mundo deceptiones falſas intulerunt. Et meritò ranis comparat: quia ſicut Pharao ubique inveniebat, etiam in ſcutellis quantumcumque pretioſis, coaxantes ranas, *Quare, quare?* Ita Advo-

 catorum

catorum & Procuratorũ malevolorũ conditio eſt,ut,quantumcumq;clara, & evidens ſit cauſa, ſemper inveniant occaſionem litigandi, & ad quemcumque articulum clamandi: *Quare* hoc? *Quare* illud? Hinc Eccli.28.16. *Lingua tertia multos commovit*. Quænam, obſecro, eſt illa lingua tertia, tantam in mundo cauſans commotionem? Purpuratus Ugo per linguam primam intelligit linguam Moyſis, publicantis populo legem, Dei digito ſcriptam; per ſecundam, Chriſti linguam, annuntiantis legem Evangelicam; per tertiam autem, Juriſperitorum, & Advocatorum, profitentium declarationem, & interpellationem legum civilium, & humanarum; tertia illa lingua *Commovit multos*:quia propter avaritiam quorundam Advocatorum multæ cauſantur rixæ, diſcordiæ, & lites; *Multos commovit*. Quam commotionem Apologeticè deſcribit Eſopus, in piſcatore aquam fluminis turbante, ut ſic plures caperet piſces; qui ad querelas ex flumine bibere volentium, reſpondit: *Niſi hic fluvius perturbetur, me oportet eſurientem mori*; hoc Apologo indicans, quòd ſicut piſcator ob ſuum intereſſe & lucrum,aquam commovet, & conturbat,ita perverſi Advocati,& Procuratores, tamquàm *Socii furum*, lites commovent, & rixas, ob lucrum, quod ab aliis ſperant: *Lingua tertia multos commovit*. Sed quid nobis cum Eſopi Apologis, dum habemus Spiritum ſanctum ſimiles, non ſolùm piſcatoribus, ſed & venatoribus aſſimilantem?

Eccli.28.16

Eſopus.

XIII. Jeremiæ 5.26. Deplorans Deus populi ſui calamitatem, ait: *Inventi ſunt in populo meo impii, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros: ideò magnificati ſunt, & ditati*; Quod autem hic litteraliter loquatur Deus de Cauſidicis, & Advocatis, clarè demonſtrat, dum ſubjungit: *Cauſam viduæ non judicaverunt: cauſam pupilli non direxerunt*; ita ut ſummè doleat, & deploret Deus, in populo ſuo tales inveniri Advocatos & Procuratores, qui ad magnificandas, & dilatandas fimbrias ſuas, facti ſunt venatores, & aucupes, ponentes laqueos rixarum, & litium, in prædam alienæ facultatis. Sed *Væ*, inquit Chriſtus Matt 11.*tibi Betſaida*! per *Betſaida*, quæ *Domus venatorum* interpretatur, intelligit Card. Ugo Advocatos,& Procuratores cupidos: *Hoc dictum eſt contra Advocatos cupidos*, & ſubdolos, qui non feras in ſylvis, ſed homines venantur in civitatibus, rixas commoventes, lites protrahentes, appellationem conſulentes, aut injuſtè ad aliud tribunal evocantes, idq; ad vexandam partem,& ad ditandum ſe; non abſimiles aquilæ, quá venari aucupes ſolent, quæ dum alas extendit, vicinas velle videtur aves protegere, & defendere: ſed aliud non intendit, quàm illas prædari; ita & cupidi illi Cauſidici, qui, ſecundùm nomen ſuum, profitentur protegere clientem, & aliud non intendunt, quàm proprium intereſſe: quia faciem, oculos, & ungues habent aquilinos; & ſic ſecundùm Eccli. 13, 23. *Paſcua divitum*,

Jerem 5.26.

Matth.11.

Ugo Card.

Eccli.13.23.

tum, ſunt pauperes; quæ verba
Paulus à Paol. explicans Paulus à Paolaccio, ait: *Miſeri agricolæ præda ſunt eorum, quorum ſunt agri. Miſeri Mechanici præda ſunt Scribarum & Advocatorum, quia dant veniam corvis, vexat cenſura columbas*; ita
Lucæ 21.25. ut ad illa veniſſe videamur tempora, de quibus Lucæ 21. 25. *Erit in terris preſſura Gentium*; ad quæ
Ugo Card. verba ſupra nominatus Ugo: *Triplex invenitur preſſura, & tribulatio generalis.* Prima eſt, tyrannorum contra Martyres: Secunda, Hæreticorum contra Confeſſores: *Tertia autem, eſt Advocatorum contra ſimplices*; additque de iſtis
Prov. 30. 14. etiam Salomonem loqui Prov. 30. 14. *Generatio, quæ pro dentibus habet gladios, & mandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* O crudelem
Pſalm. 58. generationem, quæ pro dentibus gladios habet acutos! *Gladius in labiis eorum.* O fures, aut ſocios furum! O latrones! Latrones? Ita, ita: tali eos inſignit titulo Purpuratus Ugo.

XIV. Lucæ 10. 30. Homo quidam
Lucæ 10. 30. deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, *Et incidit in latrones.* Magna profectò hominis illius miſeria, dum, relictâ fortunatâ Hieroſolymâ deſcendit in maledictam Jericho, & incidit in quoſdam latrones, adeò crudeles, ut eum omnibus ſpoliârint, multis vulneribus ſauciârint, & ſemimortuum in via reliquerint. Præfatus Ugo dicit idem
Ugo Card. communiter evenire illi, *Qui incidit in malos Advocatos, & Procuratores*, qui, antequàm lis finiatur, eum ſpoliant, & cruciibus ac debitis ſauciatum relinquunt; ita ut benè de illis hîc ſuprà dixerit Innocentius III. de Vilit. Cond. Hum. *Sæpè cauſas tantùm differunt, quod litigantibus plus quàm* Innoc. III. *totum auferunt: quia major eſt expenſarum ſumptus, quàm ſententiæ fructus; nec terminantur negotia pauperum cœpta, quouſque eorum marſupia ſunt evacuata.*

XV. *Socii furum* etiam ſunt Notarii, quorum ignorantia, aut negligentia, vel malitia, una eſt ex cauſis maximè ordinariis, quæ lites non tantùm generat, ſed etiam eaſdem facit deperdi, ad damnationem eorum propriam, & ruinam innocentium: quia cùm ſint primi inſtrumentorum conditores, & ſcriptura eorum, ſtet pro ſententia definitiva, quam vix ullus unquam audet reformare, in tantùm ut ipſi judices ſupremi obligentur ſequi eorum formam, tenoremque verborum, Undè ſi malè ea conficiant, & non debitè attendant, fures ſunt, aut ſocii furũ, reſtitutioni obnoxii. Item ſi in aliquo teſtamento, aut contractu Matrimoniali, aut alia ſcriptura, vel per ignorantiam, vel per malitiam omittant clauſulam, vel æquivocum aliquem terminum adjiciant, undè lites oriantur; ſi contractum illorum efforment, qui ad contrahendum ſunt incapaces: V. G. hominis ſemiebrii, qui conſiderare nequit, quid agat; aut moribundi, quem cogunt omnia dicere pro libitu; vel etiam fœminæ, quæ ſe non obligat, niſi quia conſtringitur, & ſolo metu mariti. *Socii furum* ſunt, ſi celent teſtamenta, aliaſque partes neceſſarias

ceſſarias ad probationem juſtæ cauſæ alicujus, aut terminationem litis, &c. ſi partibus non bene exponant obligationem, quam contrahunt, antequàm adigant ad ſignandum. Communis mechanicus, pauper ruſticus, ac imbecillis fœmina non callent juris terminos. Neſciunt, quid ſit: *In ſolidum: Unus pro omnibus.* Quid ſit, *Retroceſſio & Renuntiatio Senatûs-conſulti Velleiani*: tenentur illis explicare, & dicere, ad quid ſe obligent: alioquin fures ſunt, aut ſocii furum.

XVI. Socii furum ſunt, proximo moventes lites injuſtas, & ad illas alios excitantes, ex ſcintilla tantam excitantes flammam, ut integras familias in cineres dent, ſæpè uſque ad tertiam generationem. Quærat aliquis veſtrùm à Lyrano, inſigni SS. Litterarum Interprete, cur Deus Exod. 15. 27. filiis Iſraël, venientibus in Elim, dederit 12. fontes: *Venerunt in Elim, ubi erant* 12. *fontes.* Quærat ab eo, cur 12. & non pauciores aut plures? Reſpondebit illicò: *Ne ex communi hauſtu diſſenſio oriretur inter tribus.* Diſſenſio ex hauſtu aquæ?

Exod. 15. 27.

Lyranus.

Ita, ita: & hoc hodie videre eſt, quidem in tanta amaritudine animi, ut invicem non ſolùm odio habeant, inſidias ſtruant, ſed conſumere velle videantur: juxta illud Jacobi 4. Verſ. 2. *Litigatis, & belligeratis*; ad quæ verba Richardus à ſancto Victore Lib. 1. de Eruditione Cap. 5. *Jam zelum animarum habetis, & contentionem in vobis: occiditis, & zelatis: litigatis, & belligeratis.* Undè *hæc tam ſæva crudelitas, & ferri duritia in vobis?* Ex hoc ſanè, quia *Litigatis.* Undè meritò Spiritus ſanctus, illos nominat *Homines perverſos*: *Homo perverſus ſuſcitat lites*; ſed ſciant perverſi, adeòque abominandi fures iſti, & ſocii furum, ſe præter graviſſimum peccatum mortale, quod continuò patrant, dum lites injuſtas movent, aut ad illas alios excitant, ſecundùm Theologos, teneri reſarcire omnes expenſas, quas pars adverſa impendit; non ſolùm quas judex taxat, ſed quas pars adverſa in litem expendit. Similibus litigantibus, belligerantibus; meliùs dixero, bombardizantibus, ſatis dixi.

Jacobi 4. 2.

Richardus à S. Vict.

Prov. 16, 28.

FERIA

FERIA IV. DOMINICÆ IV. ADVENTUS

De Participatione, octavo Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Oſtenditur fures, & ſocios furum, omneſque participantes rei alienæ teneri non tantùm reſtituere injuſtè ablata, aut injuſtè retenta, ſed etiam omnes proventus, & omnia lucra inde provenientia, nec non proximo ſatisfacere pro omni damno illato. Hæc reſtitutio eſt de neceſſitate ſalutis: ſine illa non agitur pœnitentia, ſed fingitur.

I. Judices, Deus vos iterùm alloquitur: *Quod juſtum eſt judicate, ita parvum audietis ut magnum.* Juſtitiæ habete rationem, non perſonarum: nolite cauſas divitum pulchri-facere, eaſque coloribus ornare, nec cauſas pauperis negligere, alioquin cogar vos ſocios furum dicere, ob venatorias dilationes partem habituros in damnis & præjudiciis, quæ inde pauperes patiuntur. Videte quid faciatis, ne diligentes munera, ſequentes retributiones de vobis dicatur: *Judices tui infideles ſocii furum*, quia *Diligunt munera* ad ſubverſionem juſtitiæ. Memores ſemper eſtote verborum, quæ heri ad vos habuit S. Auguſtinus. M.P. Auguſtinus: *Væ vobis, ô judices, Væ vobis, in æternum, quia non eſt in vobis veritas, non miſericordia, non pietas, non juſtitia, non ſcientia Dei. Regnat in vobis acceptio perſonarum, non eſt veritas in vobis. O patres pauperum, verè non patres, ſed prædones!* Non patres, ſed fures & ſocii furum. Quod Auguſtinus de injuſtis judicibus, idem ego de Advocatis, Procuratoribus, Notariis aliiſque Cauſidicis, qui corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis; uti & de moventibus proximo lites injuſtas, & ad illas alios excitantibus. Fures ſeu ſocii furum, habeo hodie verbum magni momenti ad vos. Illud non exponam niſi priùs ſalutatâ Virgine Matre. *Ave gratiâ plena.*

II. Erraret turpiter qui putaret præter heri nominatos, non alios dari ſocios furum! illorum infinitus eſt numerus: ſi omnes numerarem, horæ deficerent. Fures & ſocii furum, habeo hodie verbum ad vos. Neſcitis ergò (præterquàm quòd participes ſitis omnium peccatorum, quæ ex veſtra participatione rei alienæ orta ſunt) teneri vos ad reſtitutionem, nec ſalvari vos poſſe niſi illam feceritis? Hoc hodie vobis oſtendam.

III. Socii furum ne putetis reſtitutionem ſe habere ſolummodò per modum pœnitentiæ à Confeſſariis injunctæ, quaſi verò in manu

illorum eſſet illam aut minuere aut
tollere ad placitum: Non, non,
NN. reſtitutio ſecundùm Theologos
eſt indiſpenſabilis actus juſtitiæ,
præceptus lege divinâ, ita D. Tho-
D. Thomas. mas 2.2. Q.62. Art.2. *Id reſtituere,
quòd injuſtè ablatum eſt, eſt de ne-
ceſſitate ſalutis*, ſic ut niſi hoc ad-
impleatur, nec Eccleſia, nec Epiſ-
copus, nec ipſe Papa vos abſolve-
re poſſit. Audiatur magnus Doctor
S. Gregorius, in Decret. Gratiani
Part. 2. de Pœnit. Diſtin. 6. Can.
S. Gregorius. *falſas. Qui bona alteriùs injuſtè
detinet, agnoſcat ſe veram pœniten-
tiam non poſſe peragere, per quam
ad æternam vitam pervenire valeat,
niſi bona, quæ injuſtè abſtulit, re-
ſtituat.* D. Gregorio adſtipulatur
Magnus Auguſtinus Epiſt. 54. ad
S. Auguſtinus. Macedonium: *Si res aliena prop-
ter quàm peccatum eſt, cum reddi
poſſit, non redditur, non agitur pæ-
nitentia, ſed fingitur. Si autem ve-
raciter agitur, non remittetur pecca-
tum, niſi reſtituatur ablatum.* In
eandem ſententiam abit Eccleſiæ
Apis Mell. Bern. Epiſt. 77. ad Hu-
gonem de S. Victore: *Nullâ illi
S. Bernardus. pœnitentiâ remittitur peccatum, ſi
cùm poſſit non reſtituat ablatum*: &
ratio eſt manifeſta, quia qui non
reſtituunt cùm poteſt, pluris ipſi ſunt
bona, quàm Deus: adeòque non eſt
diſpoſitus, ut à Deo veniam impe-
tret; nec dici poteſt verè & effica-
citer relinquere peccatum, qui non
obediendo legi Dei ſemper cla-
Matth. 18. 28. manti: *Redde quod debes*, illud a-
ctualiter committit. Infelicitas magna
eſt, dum magnus peccator mo-
ritur inconfeſſus: major illa eſt,
dum fur, aut ſocius furum, confite-
tur, & non reſtituendo quod ab-
ſtulit, privatur fructu confeſſionis.
Dicat illi Confeſſarius: *Abſolvo te*,
non ſolvuntur, ſed duplicantur vin-
cula ejus, Deo ex altô aliam ſen-
tentiam pronuntiante: *Ligatis ma-* Matth. 22. 13.
*nibus & pedibus projicite eum in te-
nebras exteriores.* Matth. 22. 13.
Hinc D. Thom. ut ſuprà: *Cùm* D. Thomas.
*ſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſa-
lutis, conſequens eſt, quòd reſtituere,
id quod injuſtè ablatum eſt alicui, ſit
de neceſſitate ſalutis.* A quibuſvis fla-
gitiis, quantumvis gravibus, &
reſervatis, unus aliquis, ſaltem Vi-
carius Chriſti, abſolvere poteſt,
at verò à reſtitutione immunem
reddere, nullius eſt poteſtatis,
quidquid egerit, abſque hoc ſalvari
non poteſt. Non datur medium;
oportet vel reſtituere vel damnari.
Impoſſibile eſt ut ſalvetur non ad-
implens reſtitutionem, reſarciendo
damnum proximo illatum. Publi-
centur Indulgentiæ plenariæ, ſit
annus Jubilæi, permittat Deus per
manus Sacerdotum diſpenſari theſ-
aurum ſanguinis ſui pretioſi, arbi-
tros faciat miniſtros ſuos & pleni-
potentiarios, ut fœdus & pacem
ineant cum peccatoribus, eiſque
dimittant omnes injurias ſibi illa-
tas, at injurias proximo per inju-
ſtitiam illatas non item, niſi factâ
priùs ſatisfactione, quam proximus
poteſt prætendere. Rationem dat
D. Thomas in 4. Diſt. 15. Q. 1. Art. 5. S. Thomas.
Sacerdos non habet ullam faculta-
tem in ſatisfactionem homini debi-
tam, quia non eſt Vicarius homi-
nis, ſed Dei: Undè ſi quis ex voto
deberet Deo aliquam ſummam de-
nariorum, poſſet tollere iſtam ob-
liga-

ligationem, in eo diſpenſando vel permutando in opus minùs grave; at ſi talis ſumma deberetur proximo, non habet ſacerdos poteſtatem ullam ſolvendi iſtum nodum, cogitur quòd debet, reſtituere. Plus dico: Mors ipſa, diſſolvens nodum indiſſolubilem matrimonii, reſtitutionis faciendæ diſſolvere nequit, undè ſi quis veſtrûm moreretur, & virtute divinâ reſuſcitaretur, non teneretur ultrà vinculo matrimoniali, quia vinculum iſtud ſolummodò ligat uſque ad mortem, obſtrictus tamen maneret ſolvere omnia debita, quia vinculum reſtitutionis eſt indiſſolubile, & ipſo mortis brachio fortius. Quare, ſi quis indies ſacrificio miſſæ decenter interſit, & omni feriâ ſextâ pane & aquâ ſe maceret, corpus aſſiduo cilicio domet, ſacram ſinaxim indies frequentet, lautas eleëmoſynas in pauperes effundat, pœnitentias, qualeſcumque etiam poſſibiles faciat, niſi aliena reddantur, lavabit Æthiopem. Dubitatis?

IV. 3. Reg. 21. 19. Naboth ob negatam Regi Achab vineam à falſis teſtibus juſſu Jezabel accuſatus, lapidatur. Quo mortuo locuta eſt ad Achab Jezabel: ſurge & poſſide vineam Naboth; quod cùm audiſſet Achab ſurrexit, & deſcendebat in vineam Naboth, ut poſſideret eam, cui obviam factus, ſanctiſſimus Pater meus Elias ex parte Dei locutus eſt ad eum (3. Reg. 21. 19.) dicens: Hæc dicit Dominus: *Occidiſti, inſuper & poſſediſti*, ſubjungens: *Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* Cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit dimiſſo capite, & factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbitem: (Verſ. 19.) *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me?* & tamen miſerè periit ut habetur verſu 34. & 37. Manſit Achab injuſtus poſſeſſor vineæ Naboth annis tribus, nullâ factâ reſtitutione, quid mirum quod per pœnitentiam ſuam non evadat manus mortis? *Qui bona alteriùs injuſtè detinet, agnoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam pervenire valeat, niſi bona, quæ injuſtè abſtulit, reſtituat.* Qui aliena tollit, & non reſtituit, à ſe tollit media ſalutis conſequendæ. Quidni homo reſtituat aliena, cùm ipſæ creaturæ inanimatæ faciant reſtitutionem? inquit D. Chryſoſtomus Hom. ad Pop. (S. Chryſoſtomus.) *Audiant hæc avari & aliena concupiſcentes, & diei & noctis æqualitatem imitentur. Dies nocti cedit nec alienos fines invadit.* Reſtitutionis faciendæ exemplum etiam nox dedit in Chriſti reſurrectione, quando Sol manicavit ad tres horas: (Marc. 16. 2.) *Et valdè manè una Sabbatorum.* D. Chryſologus Serm. in die Paſchæ: *Sol ut manè faceret, manicavit;* &c. *Sol feſtinus, ante lucanus illuxit.* (S. Chryſologus.) Quia in morte Chriſti tres horas ſubtraxerat, reſtituit diei ablatam lucem in die paſchæ: *Ut reſtituat nox horas, quas terror Dominicæ Paſſionis invaſerat.* Etiam infernus reſtitutionem fecit: dum *Captivos,*

quos habebat reddidit. Deus ipſe in mundi exordio, ut formaret mulierem tulit coſtam de Adam, licèt tolleret quod ſuum erat, tamen reſtituere volens: *Replevit carnem pro ea.* Si Deus reſtituat & quidem de ſuo, quomodò obſtringitur homo injuſtè retinens aliena? Dicat Oleaſter quod ſentit: *Reſtitutionem faciendam eſſe docet locus iſte.*

Gen. 2. 21.

Oleaſter.

V. Quis non miretur Deum, qui *Appendit tribus digitis molem terræ* Iſaiæ 40. 12. tribus cruci affixum clavis? Quis non obſtupeſcat, Factorem univerſi in ligno maledicto ſaturari opprobriis? Motorem cœlorum in Crucis lecto ſine motu eſſe? Cur hæc omnia paſſus eſt Filius Dei? Dicat ipſe per os Davidis Pſalm. 68. 5. *Quæ non rapui tunc exolvebam*: Commiſerat Adam furtum, Deo aſſimilari volens, reſtitutionem facturus, non erat ſolvendo, unde ut condigna fieret Patri reſtitutio, & ut omnibus faciendæ reſtitutionis documentum daret, Filius Dei tamquàm fur ſuſpenſus eſt in Cruce, ita Doctor Seraphicus de 7. Pec. *Quia Adam noluit reſtituere, oportuit quòd Deus ſuſpenderetur in furca Crucis.*

Iſaiæ 40. 12.

Pſalm 68. 5.

VI. Scio te excuſationes prætexere; quòd numquàm furatus ſis: ſit ita, an ideò excuſandus à reſtitutione? loquatur pro me Doctor Angelicus, 2. 2. Q. 62. Art. 7. *Non modò qui aliena rapuerunt, ſed qui etiam injuſtæ acceptionis aliquo modo cauſa fuerunt, reſtituere tenentur*: addam ego, non modò qui aliena rapuerunt, ſed qui etiam aliena detinent, & qui proximo damnum inferunt, reſtituere tenentur. Non ſolùm fures, ſed & ſocii furum. Cauſidici, videte an nullam cauſam injuſtam defenderitis, juſtamve vi vel fraude eviceritis, protraxeritis, aut etiam incuriâ vel imperitiâ neglexeritis, an non ad iniquas ſtipulationes partes induxeritis, ad ſententiam ex æquo ferendam pretium acceperitis, de quota evictæ litis pacti ſitis, è quibus, ſi quid vobis emolumenti, ſi quid clienti aut alteri detrimenti accidit, communi Doctorum ſuffragio ad reſtitutionem tenemini. Quotquot eſtis, qui aliena detinetis, proximo veſtro quocumque modo damnum intuliſtis, aut ad inferendum concurriſtis, iterùm dico, vos omnes ad reſtitutionem teneri: *Nolite decipere animas veſtras*, nec putetis ſufficere, quòd habeatis voluntatem reſtituendi; fures eſtis, ſi hîc & nunc, dum poteſtis, non reſtituitis, ne indignemini mihi quòd tam apertè loquar.

D. Thomas.

Jerem. 37. 8.

VII. Doctor Angelicus 2. 2. Q. 62. Art. 8. ad 1. docet præceptum reſtitutionis partim eſſe affirmativum, partim negativum; partim dicit *Redde*, partim *Ne retineas*. Unde non ſolùm obligat ad reſtituendum, ſed ad ſtatim reſtituendum, conſequenter licèt habeatis intentionem reſtituendi, niſi reſtituatis, quaſi furamini de novo, & furtum veſtrum eſt furtum permanens: *Non multum intereſt quoad periculum animæ detinere injuſtè ac invadere alienum.* Sic clamant SS. Canones Conc. Lat. ſub Innoc. 3. Cap. 39. ſed altiùs D. Antoninus: *Qui detinet alienum contra voluntatem, moratur in peccato,*

Conc. Lat.

S. Antoninus Part. 1. Tit. 15. Cap. 4. §. 13.

cato, & ſic ſemper auget peccatum. & quoties menti occurrit, ſe detinere alienum, & proponit retinere & non reddere, toties peccat mortaliter. Non dicit Deus ſolvite quæ debetis, ſed ſolvite veſperi, non exſpectetis craſtinum.
Levit 19 13 *Non morabitur opus mercenarii uſque*
Deut. 24. 14. *manè*, & alibi: *Eadem die reddes ei pretium laboris ſui.* Non ſufficit propoſitum reſtituendi malè acquiſita, reſtitutio debet fieri indilatè, quantùm moraliter poſſibile eſt, alioquin iſtâ iniquâ dilatione continuò additur peccatum peccato, ſaltem quoties occurrit opportunitas reſtituendi & negligitur. Habent peccata cætera certam menſuram malitiæ, furtum autem creſcit ſemper.

VIII. Non ultrà peccat homicida, dum gladium in vaginam mittit, & pœnitet. Non ultrà carnalis, dum malo conſortio dorſum vertit, & ſic de cæteris, in quibus quidem culpa vivit, quamdiu non deletur S. Exomologi, at ideò non creſcit continuò; in furto autem non item; furtum peccatum eſt, quod creſcit ſemper, & licèt fur actu non furetur, furari tamen non deſinit, injuſtè retinendo quæ injuſtè rapuit, ad minùs toties quoties occurrit obligatio ſatisfaciendi. Super hac veritate vos teſtes volo, dum veſtras appello conſcientias.

IX. Taurum S. Epiſcopi Medardi malignus quidam furtim in exteras abducere partes præſumpſerat, & ne ab aliquo inſequentium deprehenderetur, tintinnabulum, quod de collo dependebat, præreptum multo gramine obſtruxit. Cùm autem nemine inſequente in propria veniſſet, & jam bonum alienum ſui juris eſſe exiſtimaret, in tintinnabulum illud rediit ſonitus, adeò ut ubicumque eſſet repoſitum, & jugiter ſonaret, & circumquaque audiretur. Abditum ſæpiùs in cubiculis, in ſcrinio vel arca frequentiùs reconditum, ſemper tamen, & ubique, ſonitu ſuo, latronis illius declamabat flagitium. Audiebant vicini, & mirabantur, quid tamen res prætenderet neſcientes, magnum aliquid deſignari arbitrabantur. Tandem fraudulentus latro, ſuâ diu tortus conſcientiâ, cùm jam coram Deo ſe tanto miraculo indicatum pertimeſceret, ſuperfuſus lacrymis culpam agnovit, & S. Medardo, quod malignè defraudaverat, ſuppliciter reſtituit, & obmutuit tintinnabulum. Fures & Socii furum qualem diu noctuque ſonitum edant bona injuſtè ablata & detenta, contra iniquam veſtram detentionem clamantia, veſtra novit conſcientia, licèt non audiatur ab aliis; clamat iſta & vociferatur nefas eſſe ex alieno diteſcere, clamat inceſſanter per remorſus continuos: *Redde quod debes.* Auderetis negare? abdite tintinnabulum ut vultis, ſonabit jugiter donec per reſtitutionem os obſtruatis.

X. Dicet fortè aliquis veſtrûm, non poſſum modò reſtituere; Itane? non potes modò? *O divitem menda-* Eccli. 25. 4.
cem! meliùs dixeris nolo. *Si dixeris:* Prov. 24 12.
vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit. Proverb. 24. 12: Vindictam ſumpturus ob illatam injuriam, ſtatim invenis modum vindicandi te, nec dicis: *Non poſſum*: Ut epuleris quotidie ſplendidè, *potes*, ut reſtituendo aliena ſaluti animæ conſulas, *non potes*: Sit ita, peto à te an acquieſ-

acquieſcas pauperi debitori tuo, reſpondenti tibi: *Non poſſum* ſolvere, potiori tamen jure ſe excuſanti quàm tu? & tamen non admittis ſimilem loquendi modum tamquam validum, ſed, ſi hæc non habeat, ſanguinem dare conſtringis, apparitoribus obruis, bona ejus fiſco addicis, ut ei vix ſtramen reſtet, in quo dormiat. Numquid hoc eſt in manu tenere ſtateram doloſam quam abominatur Dominus? *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum*: tantâ tenacitate detinere, quæ aliis debes, & quæ debentur tibi tantâ extorquere crudelitate? *Pondus æquum voluntas ejus.* Quid reſpondes ad hæc? video quod velles adhuc aliquid dicere: eloquere audacter quidquid habes tuam in excuſationem.

Prov. 11. 1.

Ibidem.

XI. Debebone ergò imminuere ſtatum meum, reformare domum, menſam, veſtes, &c. quibus ſolebam ſplendeſcere? debes neceſſariò: ſi ſtatum & familiam manu-tenere non poſſis abſque injuſtitia (conditio enim innocentis præferenda eſt conditioni culpabili) menſa tua, uſque ad delitias prodiga, ſit parcior, veſtis modeſtior, domus veſtræ, domus ſint, non palatia; quæ in convivia, in luſum, in pompas, expendis, redde eis, quorum bona detines. Sed, inquies, non potero abſque aliquali mei infamatione; ſalvo honorem tuum ut potes, non impedio; ſed ſalva animam tuam, quæ tibi debet eſſe charior, quam honor & reputatio: reſtitutio enim eſt de neceſſitate ſalutis, ſed & hoc addo non ſolùm teneri te reſtituere omnia, quæ abſtuliſti, aut injuſtè detinuiſti, ſed & omnes fructus, & omnia emolumenta, quibus ex bonis alienis gaviſus es, damnumque proximo illatum. Hoc Angelicè docet Doctor Angelicus de uſuris Cap. 20. in Princip. Tom. 4. *Non tantùm ſunt reſtituenda ablata, vel injuſtè accepta; ſed etiam omnes proventus, & omnia lucra ex his provenientia, ſunt reſtituenda.* Nec non ſatisfaciendum eſt pro omni damno, quod proximus paſſus eſt ex dilata poſſibili tua ſolutione, aut injuſtâ detentione. Audi argumentum quod te conſtringit

XII. Furti damnique illati lex Dei erat Exod. 22. ℣. 1. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove reſtituet & quatuor oves pro una ove.* Hanc Dei legem explicans Angelicus ait: *Poteſt dici ſecundum Gloſſam, quod bos habet quinque utilitates: quia immolatur, arat, paſcit carnibus, lac dat & corium, etiam diverſis uſibus miniſtrat, & ideo pro uno bove quinque boves reddebantur. Ovis etiam habet quatuor utilitates, quia immolatur, paſcit, lac dat, & lanam miniſtrat.* A fortiori teneris tu invaſor, & bonorum alienorum injuſte detentor, proximo ſatisfacere pro omni damno, quod intuliſti. Reſtituam, inquies, dum commoditatem habuero. Non tremis dum iſta profers? Exod. 22. 1. D. Thom. 1. 2. Q. 105. A. 2. ad 9.

XIII. Lucæ 19. Ad Zachæum divertit Salvator, cui ille: *Ecce Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Zachæus non ſolùm promittebat, ſed ſatisfaciebat, non ait; dabo medietatem bonorum, & reſtituam quadruplum, ſed *Do* & *Reddo.* Dicis Confeſſario tuo *Reddam, Reſtituam,* ſed avelli nequis cum Lucæ 19.

animæ tuæ periculo: quomodo enim poſt tantam dilationem, lucrum ceſſans, damnum emergens, lacrymas, anguſtias, extremam pauperiem toleratam compenſabis? Quam piè & prudenter hoc appendit ſancta Regina Hedwigis? cum Vladiſlaus Rex Poloniæ commeatum exercitui ſuo à Capitulo Greſnenſi poſtulâſſet nec impetrâſſet, more barbaro bona fiſco addixit: à S. uxore reprehenſus, illicò omnia reſtituit: at ſagax Regina ſubjecit: *Pignora quidem reddemus agreſtibus, cæterum lacrymas eorum quis reddet?* Quis famem? Quis miſerias? quis damna reſtituet? ob hanc cauſam quidam tradunt legem illam à Deo latam Levit. 5. *Ipſumque quod intulit damni reſtituet & quintam partem ponet ſuprà.* Ubi Cornelius: quinta pars in compenſationem cedit injuriæ, quam præter damnum irrogavit. At verò, ſi, ut rectè Navarra, cum aliis Juriſtis apud Leſſium de Jure & Juſtitia Lib. 2. Cap 9. Dub. 23. docent. *Cicatricem hominis liberi pecuniâ compenſari non poſſe.* Certè eorum lacrymis ac anguſtiis non erit ſolvendo, niſi lacrymas pœnitentiæ inſuper refuderit. Dices te reſtitutionem facturum in morte? O ſtultam reſolutionem! Tranſeo, quod repentina mors invadere te poſſit, omitto quod hæredes fortè non adimplebunt ultimam voluntatem tuam, ſed demus quod omnia ſuccedent ad votum, quid iſta proderunt: inquit Magnus Auguſtinus Epiſt. 54. ad Macedonium. *Si res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit non redditur, non agitur pœnitentia ſed fingitur.* Pœnitentia tua fortè erit theatralis, confeſſio larvata, confeſſio mendax non placens, ſed ad iracundiam provocans Deum.

Toletus. | Levit. 5. 16. | Navarra. Leſſius. | S. Auguſt.

XIV. Matt. 27. 3. Videns Judas qui fur erat, & Magiſtrum ſuum pro triginta argenteis vendiderat, videns inquam, quod Jeſus damnatus eſſet: *Pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, dicens: Peccavi tradens ſanguinem juſtum & projectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Sed ſerò facti ſui pœnituit eum; fuit enim Pœnitentia coacta crucians ſtimulis conſcientiæ & gravitate peccati, ac deſperabunda, undè laqueo ſe ſuſpendit. Pœnituit eũ & confeſſus eſt, & reſtituit pecuniam malè acquiſitam, tamen tanta fuit iniquitas, ut ipſa pœnitentia, confeſſio ac reſtitutio eſſent nova crimina ex deſperatione. Undè rectè D. Chryſoſt. Serm. 4. de Paſſione in fine. *Ubi pœnitentia feſtinavit ad partum, ibi incidit in æternum & ſine reparatione naufragium.* Dexterâ reſtituit pecuniam malè acquiſitam, dum ſiniſtrâ portat laqueum quo ſe ſuſpendat. Audiant hæc fures, & ſocii furum, qui bona aliena poſſidentes aut participantes dicunt: Reddam, reſtiruã in fine vitæ tunc ſcilicet, quando non poterunt avelli: differunt cum Juda dum ſeriùs, dũ pupilli & viduæ inediâ conſumpti. Certè res magna, nõ ultrà devorare pauperem, dum contriti ſunt dentes, ad rodendam ſubſtantiam ejus, res magna reſtitutionem differre in tempus illud, quo ne ipſas quidem eleëmoſynas, in tempus illud dilatas, laudat D. Baſilius Hom. in Divi *Heu miſer tunc liberalis cum hominibus eris, cùm ampliùs, cum hominibus non ages.* Scio eleëmoſynas locum ſupplere

Matt. 27. 3. | D. Chryſoſt. | S. Baſilius.

plere reſtitutionis, dum ſcilicet; non cognoſcitur Dominus rei ablatæ, aut non ſuperſunt hæredes, at ſi noveris illum, cui damnum intuliſti, non proderunt tibi etiam largiſſimæ eleëmoſynæ, licèt cum Zachæo, de quo ante, dimidium bonorum in pauperes expenderes, non exonerares conſcientiam: illi enim non ſat erat dicere Chriſto:
Lucæ 19. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*, ſed adjunxit expreſſis terminis: *Et ſi quid aliquem*
S.Auguſt. *defraudavi reddo quadruplum.* Audiendus ad rem noſtram Auguſtiſſimus Auguſtinus Serm. 19. de Verbis Apoſt. Cap. 4. "Sed aït mihi „raptor rerum alienarum: Ego „vinctis in carcere victum mitto, „nudos veſtio, peregrinos ſuſcipio. „Dare te putas? tollere noli, & diſti. Cui dederis, gaudet: cui abſtuleris, plorat: quem duorum „iſtorum exauditurus eſt Dominus? dicis ei, cui dederis, gratias „age, quia accepiſti: & alter tibi ex „alia parte dicit: ego gemo, cui „abſtuliſti: & penè totum tenuiſti, „: & exiguum illud dediſti. Si ergò „quod alteri abſtuliſti, egentibus „dediſſes, nec talia opera diligit „Deus. Dicit tibi Deus: Stulte, „juſſi ut dares, ſed non de alieno. „Si habes, da de tuo, ſi non habes „quod des, de tuo meliùs nulli dabis, „quàm alteros ſpoliabis. Ita Auguſtinus. Iterum peto cum Auguſtino: *Quem duorum exauditurus eſt Dominus?* An vocem, virtute eleëmoſynæ, miſericordiam petentis, an juſtitiam clamantis? Certè ſi obligatio juſtitiæ ſit præferenda charitati, citiùs exaudietur damna paſſus contra te clamans, quam ob liberalitatem pro te intercedens. Facilè quis in fine vitæ per Dei gratiam à cæteris peccatis recedet, reſtituere autem aliena quaſi miraculum dico.

XV. 1. Reg. 17. Davidi prælia turo adversùs Philiſthæum dicit Rex Saul: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare adversùs eum, quia* 1. Reg. 17. 33.
puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua, at David: *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis & perſequebar eos, & percutiebam eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum & ſuffocabam, interficiebamque eos, nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus, erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis.* De illo loquitur Eccleſ. 47. *Cum leonibus luſit quaſi* Eccli. 47. 3.
cum agnis. O miram potentiam! Prov. 30. 31.
Numquid leo fortiſſimus beſtiarum? numquid ad rugitum ejus quiſque timet? *Leo rugiet, quis non timebit?* Amos 3. 8.
Numquid *ad nullius pavebit adventum?* & tamen *cum leonibus luſit, quaſi cum agnis.* Bellum autem aggreſſurus contra Philiſthæum ait: *Dominus, qui eripuit me de manu leonis & de manus urſi, ipſe me liberabit de manu Philiſthæi hujus*, tollenſque baculum quem ſemper habebat in manu ſua, eligenſque quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & mittens in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam in manu tollens, proceſſit ad Philiſthæum; *Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem ad te venio in*

nomine

nomine Domini exercituum, mittenſque manum in peram tulit unum lapidem & fundâ ejecit & circumducens percuſſit Philiſthæum. Pandit nunc Doctor Seraphicus latens myſterium Dom. 1. Quadrag. *Invenitur qui leonem ſuperbiæ & urſum carnis vincit, ſed ſi quis uſuras, rapinas, & qualibet injuſta bona habeat reſtituere; tunc quaſi gigantem invadit, quem vincere non poteſt, niſi ductorem habeat Spiritum ſanctum.* Quaſi miraculum foret, ſalvari fures aut ſocios furum, ob difficultatem faciendæ reſtitutionis. De divitibus avaris loquitur Sophonias Cap. 1. 11. *Diſperierunt involuti argento.* Infans pannis involutus, manus pedeſque ita ligatos habet, ut ex omnibus corporis membris nullum movere poſſit præter caput, ita & illi diſperiunt & moriuntur *Involuti argento* manus, quibus reſtituant, habent ligatas, ſolùm moventes caput, quo indicant ſe nolle reſtituere. Hujus rei teſtem audiamus S. Antoninum 2. P. Summæ Cap. 7. §. 3.

S. Bonav. — Sophonias. — S. Antoninus.

XVI. Uſurarius, ut refert ille, de ampliſſimis fortunis utrique filio proſpexerat, ad extrema deductus, Confeſſario peccata ſua aperiens, intellexit ſibi occluſum ſalutis aditum, niſi injuſtè poſſeſſa reſtitueret; ad reſtituendum hortabantur eum filii, periculum animæ ejus pertimeſcentes. At ille nec viri religioſi monitis, nec filiorum piis lacrymis movebatur, conſtanti & infracto animo id unum objiciens, ſi moriar, filiis meis in hoſpitali, ſummo cum decore, moriendum erit: ſi ſupervivam, mihi oſtiatim mendicandum erit. Ad hæc ſenior, curam omnem pro me, mi pater, ſepone, miſerere animæ tuæ placens Deo, eumque placa alienorum reſtitutione: at ille increpans filium, tacere eum juſſit, dicens: Miſericordiam Dei magnam eſſe, qui ad tantam neceſſitatem neminem compelli vult, atque inter has voces ſordidam animam efflavit. Hic inter fratres orta eſt contentio, altero alterum excitante, ne quid ex bonis relictis contingerent, ſed omnia ſuo legitimo domino reſtituerent, verum altero bonis inhiante, & relictorum bonorum poſſeſſionem intrante, natu-major portionem ſuam in pauperes diſtribuens, ſpreto ſeculo, religionem intravit. Interea frater ejus germanus genio indulgens, mala parta prodigere cœpit, dum, immaturâ morte præoccupatus, interiit. Ut fratris mortem alter inaudiit, poſt fuſas pro anima preces, ò horrendum viſu ſpectaculum! terra dehiſcente, parentem cum fratre æternis flammis adjudicatum vidit, atque has execrandas blaſphemias intonantem audivit: Maledicta hora, quâ te genui! Ter maledicte fili, cui, ut fluxas divitias congregarem, mihi æterni incendii flammas cumulavi. Quàm bene ad rem noſtram D. Leo Papa Serm. 6. *Fœnus pecuniæ, funus eſt animæ.* Unum è duobus: aut reſtitutio, aut damnatio. Patres & Matres audite hæc, & contremiſcite: Adeòne vilis vobis anima eſt, ut illam æter-

S. Leo Papa.

nùm damnetis, pro filiis hæredibus veſtris? Audite loquentem vobis Salvianum veſtri miſerantem ad Eccl. Lib. 3. *Infeliciſſimi hominum cogitatis, quàm bene alii poſt vos vivant, & non cogitatis, quàm malè ipſi moriamini.* Non ſecùs ac Judas proditor, de quo Drogo Hoſtienſis de Sacram. *Ecce infelix qualiter excæcatus eſt; maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire: denarios in templo, ſeipſum laqueo addixit: amabat hæredes ſuos, qui ejuſdem denarios inde colligerent.* Judas pœnitentiâ ductus eſt, & in manu ejus erat crimen à ſe repellere, tamen adeò obcæcatus erat, ut de crimine depellendo nihil curaret, ſed tantùm de pecunia diſponenda ſtuduerit: pluris quàm animam æſtimavit aurum, nam animam æternis cruciatibus addixit, pecuniam templi ſacrario collocavit, Achitophelem Abſalonis conſiliarium imitans, qui *Abiit in domum ſuam, & in civitatem ſuam, & diſpoſitâ domo ſuâ ſuſpenſus interiit.* Majus illi erat ſtudium de domo ſua, quàm de anima ſua. Vult enim quod domus ſua ſit ſalva & integra in hæredum manibus; animam verò ſuam æternæ damnationi in gehennalibus flammis committit. *Amabat hæredes ſuos, qui eoſdem denarios inde colligerent.* Parentes, quis vos docuit tam viles habere animas veſtras, ut alios affluere faciatis delitiis temporaneis, & tradatis vos urendos ignibus ſempiternis? An inimiciſſimus mortaliuṁ magìs vobis nocere poſſet? *Omnis inimicitia morte diſſolvitur, ſed vos contra vos ita agitis, ut inimicitias veſtras nec poſt mortem evadatis.* Animas veſtras æternùm damnando. Cum Habacuc loquor Cap. 2. *Væ ei, qui multiplicat non ſua! Uſquequò & aggravat contra ſe denſum lutum?* Auditis? *Contra ſe*: non dicit contra alios, ſed *contra ſe*: & vos amore crudeli ut bene ſit aliis, vos ipſos perditis? Iterum ad vos Salvianus: *O infelix ac miſeranda conditio boni ſui, aliis preparare beatitudinem, ſibi afflictionem, aliis gaudia, ſibi lacrymas, aliis voluptatem brevem, ſibi ignem perennem.* Tam ſtulti eſtis, ut pro filiis æternùm damnari velitis, qui nec ad quadrantem horæ pro vobis vellent candelæ flammulam ſubire? Audite, & aliquando ſapite

Salvianus. Drogo Hoſt. Habacuc. Salvianus.

XVII. Homo alienorum appetitor, ad extrema vitæ redactus, & cum morte reluctans, à Confeſſario ſeriò monitus de confeſſione inſtituenda, de ea nihil audire volebat; quare hoc ſalutari ſtratagemate uſus eſt. Medicum adornavit, qui, ut verè conclamatum erat, quo ſpem longioris vitæ, ad quam unicè anhelabat, moribundo injiceret perfectiſſimum remedium, ſi adipe ex aliquo filiorum, aut ſanguine propinquo, ſe inungeret, præſcripſit. Ad has voces reſpirare cœpit æger, convocatiſque filiis beneficia præſtita & præſtanda proponere, ab iiſque flagitare guttam unam aut alteram adipis non denegarent, ut vitâ longiori donarent patrem. Eum in finem cereus accenſus, cujus flammulæ nunc unus, nunc alter filiorum, digitum in-

inſeruit, at nemo illorum tantillo tempore detinere potuit, quo vel gutta diffiueret, quod ut vidit Confeſſarius, ſic paucis infirmũ aggreſſus eſt: Fierine poteſt, ut tu filiis tuis tantam hæreditatem transſcribas, & te ipſum æternis incendiis tradas? cùm illi nec tantillo temporis ſpatio digitum pro te aduri ſinant, tu pro illis te totum, corpus & animam, in omnem æternitatem in horrendos gehennæ cruciatus conjicies? quâ brevi exhortatione ita motus eſt, ut quidquid injuſtè acquiſiêrat, ſuis dominis reſtituens, ſalutem æternam conſecutus ſit. Quid ad hoc patres & matres? Sinite Salvianum pauca iterum vobis verba dare: *Amate, non obſiſtimus, amate filios veſtros, ſed tamen ſecundo à vobis gradu. Ita ipſos diligite, ne vos ipſos odiſſe videamini. Inconſultus namque ac ſtultus eſt, alterius memor, ſui immemor.* Si tamen amor & non potiùs odium magnum, barbarum, hoſtile, dicam diabolicum. Quis amorem dixerit ditare hæredes ex bonis alienis, quæ ſecundùm Eccleſ. 5. Sunt *Divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui?* Illaqueantes conſcientiam hæredum, ſcientium ſe non poſſe tutâ conſcientiâ poſſidere injuſtè acquiſita? ut reſtituant valdè difficilè, ſi non reſtituant, actum eſt de anima. Quis non videt, quòd ſimilibus bonis, hæredibus veſtris damnationem procuretis? Parricidæ eſtis non patres, inimici non amici; *Non enim poteſt ab bonum proficere, quod congregatur de malo,* inquit Chryſoſtomus Hom. 38. Operis Imperf. NN. mei utinam poſſem in vobis tam ſanctum hodie excitare horrorem à bonis alienis, quantum ſuo tempore Mediolani expertus eſt Magnus Auguſtinus.

Salvianus. Eccleſ. 5.12. S. Chryſoſt.

XVIII. De Verbis Apoſtoli Serm. 19. Cap. 7. narrat Auguſtiſſimus Pater. "Dicam quod fecerat „pauperrimus homo. Nobis apud „Mediolanum conſtitutis tam pau„per, ut proſcholos eſſet gramma„tici, ſed planè Chriſtianus, quam„vis ille eſſet paganus grammati„cus, melior ad velum, quàm ad „cathedram, invenit ſacculum, niſi „fortè me numerus fallit, cum ſo„lidis fermè ducentis: memor le„gis propoſuit pitacium publicè: „Qui ſolidos perdidit, veniat ad „locum illum, & quærat hominem „illum, ille, qui plangens circum„quaque vagabatur, invento & „lecto pitacio venit ad hominem, „& ne fortè quæreret alienum, „quæſivit ſigna, interrogavit ſac„culi qualitatem, ſigillum & ſo„lidorum etiam numerum. Et cum „illi omnia fideliter reſpondiſſet, „reddidit quod invenerat. Ille au„tem repletus gaudio, & quærens „vicem rependere, tamquam deci„mas obtulit ſolidos viginti, qui „noluit accipere, obtulit vel „decem, noluit accipere, ſaltem „rogavit vel quinque accipere, no„luit ille: ſtomachabundus homo „projecit ſacculum. Nihil perdidi „ait: ſi non vis à me aliquid acci„pere, nec ego aliquid perdidi. „Quale certamen, fratres mei, quale „certamen, qualis pugna, qualis „Conflictus! theatrum mundus,

S. Auguſt.

„ſpectator Deus! Victus tandem „ille, quod offerebatur accepit, „continuò totum pauperibus ero„gavit, unum ſolidum in domum „ſuam non remiſit. Ita Auguſti„nus.„ Eſt ad propoſitum quod graphicè, ut ſolet, ſcribit Origenes: *Multi putant ſe ſine peccato eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere: ſed diſcant peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quid inventum non reddam. Si nempe Dominum norint, aut inveſtigare detrectent*: quia ut Theologi docent, non minùs illicitum & injuſtum eſt retinere alienum, quàm ab eo accipere. Si quis tamen poſt diligentem inquiſitionem, rei inventæ Dominum conſequi non poſſit, etſi communior ſententia in pauperes, vel in cauſas pias erogandum doceat; cum aliis tamen nonnullis Leſſius probabilè aſſerit eum rem inventam ſibi aſſervare poſſe, quod jure naturæ fiat occupantis ſicut theſaurus & alia quæ nullius ſunt. Si tanta de inventis moveatur difficultas; quanta erit de injuſtè ablatis & retentis?

Origenes.

Leſſius de jure & juſt. Lib 2. Cap 14 Dub. 7.

XIX. Matthæi 22. Phariſæi volentes Jeſum capere in ſermone, quærunt ab eo: Quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari an non? Jeſus cognitâ nequitia eorum, ait illis: *Oſtendite mihi numiſma cenſûs.* Matt. 22. Quo cognito dicebat: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Origenes ex his verbis altiſſimum pandit myſterium. Primò ait: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*: deinde: *Quæ ſunt Dei Deo.* Nemo poteſt reddere Deo, quæ Dei ſunt, niſi priùs reddiderit proximo, quæ proximi ſunt. Do verba ejus: *Non enim poſſumus reddere Deo quæ ſua ſunt, niſi priùs univerſam malitiam depoſuerimus.* Qui habet aures audiendi audiat.

FERIA V. DOMINICÆ IV. ADVENTUS

De Peccatis Alienis.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Sunt fures, & ſocii furum, ad altioris ordinis reſtitutionem obſtricti, latrones ſcilicet animarum, qui novem modis animas rapiunt de manu Dei, tradentes eas in manus inimici. Docet hic Sermo, quomodò illa reſtitutio ſit facienda.

I. Socii furum, iterùm dico vobis cum Auguſtino: *Si res aliena, cùm reddi poſſit, non reſtituatur, pænitentia non agitur, ſed fingitur.* Licèt confiteremini millies, nec ipſe Pontifex vos abſolvet, niſi fiat reſtitutio: *Non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur*

S. Auguſtinus.

tur ablatum. Ne putetis mihi ſatisfactum iri, dicendo, quòd bonæ voluntatis ſitis reſtituendi: quia, ut dixi, dico, & dicam ſemper: Si non reſtituatis, dum poteſtis, peccatum veſtrum eſt fluens cauterium, peccatum continuum, quoties furtum veſtrum menti occurrit, & res aliena non redditur. Fortè iterùm replicabitis: Ergòne oportebit mutare ſtatum noſtrum, aut nos ipſos infamare? Iterùm vos judices volo, & peto: Cui id potiùs competat, innocenti, vel reo? An conditio innocentis non ſit præferenda conditioni culpabilis? Salvate honorem veſtrum, ut poteſtis, non impedio: ſed ſalvate animas veſtras. Vos linquo, fures rerum temporalium; ſunt alii fures, & ſocii furum, ad altioris ordinis reſtitutionem obſtricti. De illis dicturus, implorabo opem Virginis Matris: *Ave Maria.*

II. Fures ergò, & ſocii furum (de quibus hodie) ſunt fures, & latrones animarum, qui pravo ſuo Conſilio, iniquâ Juſſione, aut ſcandalo, perverſo Conſenſu, Irritatione diabolicâ, Laudatione fraudulentâ, Reticentiâ culpæ alienæ, Conniventiâ damnabili, Participatione rei alienæ, & ſatanicâ Defenſione, animas, pretioſo Chriſti Sanguine redemptas, rapiunt de manu ejus, tradentes eas in manus inimici. De animarum reſtitutione, Deo ab illis facienda, ago hodie, dum attentas aures veſtras requiro. Auſpice Deo incipio.

III. Quærit Doctor Subtilis in 4. Diſt. 15. Q. 3. *Utrum damnificans alium in bonis perſonæ, ſcilicet corporis vel animæ, teneatur reſtituere, ad hoc ut poſſit verè pœnitere.* Scotus.
Circa damna animæ illata, ſupponit: quòd *Aliquis poteſt alium indirectè damnificare, inducendo eum ad peccatum & actus vitioſos, quibus virtutes corrumpuntur, & vitia generantur, & iſta inductio poteſt eſſe multiplex, ſcilicet conſulendo, perſuadendo, & rogando.* His ſuppoſitis, quæſtioni à ſe objectæ reſpondet affirmativè. *De iſto dico, quòd tenetur modo ſibi poſſibili reſtituere damnum.* Fundat rationem ſuam ſuper ſententiam Magni Auguſtini affirmantis: *Bona virtutum ſunt maxima:* Lib. 1. Ret. Cap. 9. *Ergò* infert Scotus, *plus ſecundùm juſtitiam tenetur ad reſtituendum tale bonum, quantùm poſſibile eſt.* Et meritò: *Multùm enim damna morum à damnis temporalium diſtant*, docente D. Gregorio. Si ergò, qui proximo in temporalibus damna infert, ad temporalium reſtitutionem teneatur, quidni qui animam fratris ſui ad peccatum inducendo, gratiæ divinæ theſauris privat, & æternæ damnationi ſubjicit, ad reſtitutionem teneretur? Exigeret fortè à me aliquis, quomodò hæc reſtitutio ſit facienda? Reſpondeo: cum contrariorum eadem ſit diſciplina; ſi conſilio diabolico alicui homicidium conſulueris; alterum, ob illatam injuriam ad vindictam induxeris; alienam conjugem precibus in libidinoſam tuam traxeris voluntatem, ſi docueris alium virginibus violentas manus inferre; dico cum D. ſubtili te ad reſtitutionem teneri: *Inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam & ad actus virtuoſos.*

S. Auguſtinus.
S. Gregorius.

tuoſos. Si ſola perſuaſio non ſufficiat, inquit idem Doctor, quia faciliùs eſt pervertere animas, quàm ad pœnitentiam reducere, teneris tùm alienis, tum propriis precibus (ſalvo ſemper periculo revelandi peccatum occultum) procurare converſionem ejus, quem traxeris in ruinam. In hanc Scoti ſententiam abeunt SS. Auguſtinus, Doctor Angelicus & alii apud S. Bernardinum Art. 1. Cap. 1. Tandem concludit

S. Bernardus. Scotus: *Ex hoc patet quantum periculum eſt alium ſolicitare, & inducere ad peccatum*, addit rationem: *Quia vix poteſt dignè reſtituere, cum voluntatem illam, alleſtam ad peccatum, vix poſſit perſuaſionibus, & aliis multis viis reducere ad virtutem.* Et tamen aut reſtituendum aut ardendum. Audite, & exhorreſcite, quæ lege divinâ ſancita ſunt. Exod. 12. & Levit. 24.

IV. Exodi 21. 33. Condit Deus

Exod. 21. 33. legem: *Si quis aperuerit ciſternam & non operuerit eam, cecideritq; bos aut aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum.* Tantane Deo cura eſt jumentorum, ut, ſi bos aut aſinus in ciſternam ceciderit, à Domino ciſternæ, illam non aperiente, reddi velut pretium jumentorum? Itane? tremor comprehendit me: ſi enim pretium jumenti reddi volebat Dominus, quid dicendum erit de animabus ad imaginem Dei creatis, pretioſo ejus redemptis ſanguine, de animabus adeò pretioſis, ut teſte D. Gre-

S. Gregorius. gor. Hom. 4. in Ezech. *Nec totus mundus ſit juſtum animæ pretium?* ſuo econtrà ſecundùm D. Ambroſium: *Exiguus ſit totus mundus pro unius animæ diſpendio.* Quomodò reddit pretium animæ, qui aperit ciſternam, & non operit? qui petra ſcandali eſt, ad quam animæ alliſæ in peccati barrathrum ruunt? quantùm rependere debebit ille, qui foſſam aperuit & non obſtruxit? Audiat ille Deum loquentem

S. Ambroſius de bona Mor. Cap. 5.

V. Levit. 24. *Qui percuſſerit animal reddet vicarium, id eſt animam pro anima.* Qui conſiliis juſſione, &c. percuſſerit non animal, ſed animam: *Reddet vicariam, id eſt animam pro anima:* qui ad mortem percuſſerit, illi pro ablata à Deo anima, altera æquivalens reddenda eſt, omnes enim æquali pretio à Chriſto emptæ ſunt; ſi autem plures percuſſerit, plures ad Deum convertere ſatagat. *Reſtitutio, Reſtitutio, Animam pro anima, Animam pro anima.* Alioquin *Aduſtionem pro aduſtione.* Ignem pro igne! Quid ſi talis anima in infauſto illo peccati ſtatu moriatur, qualem tunc Deo debebit reſtitutionem? Homicida, qui occidit patrem-familias, tenetur filiis orphanis omnia ſuſtentationis adjumenta reſtituere, quæ à patre, ſi mortuus non eſſet, expectare poterant; & in tali caſu ſolet vir prudens attentè judicare quot annis occiſus veroſimiliter ſuperviсturus fuiſſet; hoc ſuppoſito, vide occiſor animarum, quæ tu tenearis reddere Deo & proximo, pro tanta animarum ſtrage? Ubi ſufficientem pro tantis damnis reparandis inventurus es ſolutionem: Si reddenda ſit anima pro anima? Finge animo tuo talem animam, aut propter primum peccatum

Levit. 24.

catum

catum perire; aut propter alia, quæ in conſequentiam primi peccati, committere perrexit, in tali caſu eſt lucrum ceſſans & damnum emergens quaſi infinitum gloriæ Dei: quia ſi anima illa non fuiſſet damnata, non blaſphemâſſet aut odiſſet Deum in æternum, econtrà Deum laudâſſet & amâſſet per omnes ſeculorum myriades. Cogita ergò quâ ratione omnia illata divinæ gloriæ damna reparare, totumque lucrum ceſſans compenſare poteris, non ob unam ſed fortè centenas animas causâ tuâ damnatas? Dum hîc tempus eſt reſtitutionis faciendæ: do tibi unum præeuntem te Prophetam Regium, quem ſi ſecutus es peccantem, ſequere pœnitentem.

VI. 2. Reg. 12. Induxerat ille ad peccandum ſecum uxorem Uriæ. Ex illo adulterio tot ſecuta ſunt ſcandala, ut nuntiet illi Deus per
2. Reg. 12. Nathan Prophetam: *Blaſphemare feciſti nomen meum in Gentibus.* Peccaverat item peccato Juſſionis, mandans Uriam occidi, ut vel ſic tegerentur ſordes ejus. Tandèm factì pœnitens & lacrymis ſuperfuſus, audire meruit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum à te.* Quid tunc ille? de peccatis propriis remiſſis utcumque ſecurus, pro Alienis ſummè anxius promittit ſe ſatisfacturum Deo & reſtituturum *Animam pro anima.* Ex ſcandalo ab ipſo dato audaciores facti erant iniqui, & homicidium ejus averterat non paucos idololatras à ſua converſione; undè ait Pſalm. 50. *Docebo iniquos*
Pſalm. 50. *vias tuas & impii ad te convertentur.* Docebo pœnitentiâ meâ, docebo verbis, docebo ſcriptis, docebo illos vias miſericordiæ tuæ & reducam eos ad te, Deus meus. Si multos ſcandalizaverim; ſi blaſphemare eos fecerim nomen tuum; ſi multos ad peccandum induxerim; ſi multis cauſa damnationis extiterim, reſtituam *Animam pro anima. Docebo vias tuas & impii ad te convertentur* non dicit: convertam impios, ſed *Convertentur.* Prædicator docet, Deus convertit. N. te alloquor & iterùm dico, ſi ſecutus es peccantem ſequere pœnitentem. Si ſcandaloſâ vitâ tuâ blaſphemare feciſti nomen Domini, ſi alios ad peccandum induxeris, redde Deo *Animam pro anima.* Dic cum Davide: *Docebo iniquos vias tuas*; fac ut impii ad Deum convertantur, pulſa cœlum precibus, doce impios vias Domini: averte eos à viis ſuis peſſimis. Si latro animarum fuiſti, redde *Animam pro anima.* Alius te latro modum docebit.

VII. Lucæ 23. Pendebat Chriſtus medius inter latrones, quorum unus, ſecundùm Proſperum: *Cùm aliquamdiu blaſphemâſſet in Jeſum* Lucæ 23.
Chriſtum, repentè eſt mutatus, & dixit: Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. Explicat Latronis verba Drogo Oſtienſ. Serm. de Paſſ. Domini. *Memento* Cont. Collat.
mei. Cujus mei? Mei inquam, Cap. 14.
tam indigni, tam peccatoris. Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt, confundor oculos meos ad te levare. Tibi ſoli peccavi, tu ſolus potes à peccato meo me mundare. Malum coram te feci, latro ſum animæ meæ. Homicidium

micidium feci: memento mei, miſerere mei, meritò in hanc miſeriam deveni; & ſtatim audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Et ubi *Alii*, inquit D. Cyprianus, *latrocinio vitam perdunt, hic latrocinio vitam rapuit ſempiternam. O Beatum latronem!* At quia non ſolùm proprium, ſed multarum fuerat latro animarum, Deo reſtitutionem facturus, blaſphemantem collegam ſuum convertere conatur, increpans eum: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali fecit.* Quid agis, Collega? Quid cogitas? Quid dicis? Morti vicinus es, & necdum provides tibi, ut blaſphemare pergas? Quòd quis vivens & ſanus, malè operetur, triſte eſt: at quòd etiam moriens, triſtiſſimum. Talpa, quæ ſemper cæca, oculos aperit, dum moritur; aperi in bonum tuum oculos mentis tuæ; ſi corpora noſtra fecerunt, animæ non fecerunt. Nos quidem juſtè condemnamur: *Nam digna factis recipimus*: Hic verò, qui medius noſtrûm pendet, innocens eſt, nec in eo unquàm inventa eſt vel umbra culpæ: Agnus eſt immaculatus, qui offertur in ſalutem noſtram. Deum time Collega: nunc tempus eſt: tempus eſt, quo veniam petamus: illam ego peto; & tu, cur non idipſum facis? Si ſocius fuiſti in malitia, cur renuis eſſe in pœnitentia? Auguſta eſt Divina miſericordia, & non limitatur anguſtiâ temporis: tantò magis eluceſcet, quantò nos nequiores ſumus. Magnus Auguſtinus, in

S. Cyprianus b. Serm. de ... er.

ſtuporem datus ſuper hac reſtitutione Serm. 13. de Tempore, exclamat: [b] *Quis non admiretur, & compungatur? Non ſolùm enim, quòd in ipſo erat, ſed & ea, quæ circa ipſum erant, relinquens, de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus, & corripiens.* Cur, ô bone Latro, ſocium latronem alloqueris, ea in te, qua de tua ſalute debebas eſſe ſolicitus? Cur excellentiſſimum vitæ tempus conſumis cum ſocio iniquo, & peccatore? Juxta te habes Deum tuum, Salvatorem tuum; cur vicinum Deum pertranſiens, feſtinas ad remotum ſocium latrocinii? D. Chryſoſtomus Hom. de Cruce & Latrone, dicit, quòd non ſolùm non advertebat mentem ad cruciatus, quos patiebatur, ſed omnibus ſuis relictis, res alterius curabat, ut & illum ex errore eriperet, & magiſter ejus in cruce fieret: *Suas neceſſitates prætermittens, aliorum utilitatem cogitabat, & magiſter pendebat in Cruce: & ſanis perſuaſionibus alium invitabat ad vitam*, ut redderet Deo *Animam pro anima.* Egregium profectò ſpectaculum; latronem videre, manibus pedibuſque crucis patibulo clavis affixum, totoque corpore ſanguine reſperſum, linguam, quam ſolùm liberam habebat, adhibere, non ad poſtulandum auxilium pro ſui liberatione, ſed ad zelandum animæ alienæ ſalutem, ad defendendum Dei, opprobriis & contumeliis ſaturati, honorem, nec non ad exprobrandam omnibus injuſtitiam, dicendo: *Hic autem nihil mali fecit.* Sic reſtituens Deo animas, pro tot animabus, quas indubiè

S. Auguſtinus.

S. Chryſoſtomus.

indubiè ſcandalizaverat, & ad peccatum induxerat; undè, licèt malum latronem non converterit, veroſimile tamen eſt, quòd verbá ejus multos ad Chriſtum traxerint, ex iis, *Qui revertebantur percutientes pectora ſua.* Et quot millenos latrones uſque in præſentem diem putatis ad Deum converſos, per hanc boni latronis converſionem, ejuſque confeſſionem? O inſignem reſtitutionem! Latrones animarum, qui Conſilio, Juſſione, Conſenſu, Irritatione, &c. tot animas occidiſtis, & à Deo avertiſtis: Reſtitutionem, reſtitutionem clamo: illam diſcite ab hoc ſancto Latrone: docete illos vias Domini, orate pro eis, & reducite ad Deum. Si fortè pigeat latronem ſequi

VIII. Quærat aliquis veſtrûm à S. Gregorio cur Doctor Gentium 1. Cor. 15. dicat ſe plus omnibus laboráſſe, reſpondebit illicò, ſcribens in Pſalm. 50. *Qui priùs perſecutor exſtitit, plus omnibus laboravit,* plures ante converſionem animas ſeduxerat, hinc plus omnibus laboravit, ut reddat *Animá pro anima:* dicam animas pro anima, pro una ſeducta centenas, & centenas alias. Idipſum eſt quod ſtimulavit Auguſtinos, Cyprianos, Juſtinos, fidei quondam magnos impugnatores, animarumque ſeductores, ut in fidei defenſionem ſe totos impenderent & in lucrum animarum, ſcriptis ſuis, Eccleſiam illuſtrarent; ſic reſtituentes Deo *Animam pro anima.* Unus pro omnibus loquatur Auguſtinus. Dei miſericordiâ converſus à vita ſua peſſima, Lib. Medit. Cap. 3. attendens ad multitudinem animarum, quæ ipſo inſtigante & adhortante perierant, ingemiſcens exclamat; *Quot mortalium ignorantes peccare docui, nolentes delinquere perſuaſi, reſiſtentes coëgi, volentibus conſenſi,* &c. NN. Dicat unuſquiſque noſtrûm cum Auguſtino, ſed ingemiſcens dicat: *Quot mortalium ignorantes peccare docui, nolentes delinquere perſuaſi, reſiſtentes coëgi, volentibus conſenſi,* &c. & dum hæc in corde dicit, cogitet ſeriò de reſtitutione facienda, de reddenda anima pro anima, ne alioqui, Deus in extremo judicii die, de manu ejus omnes illas requirat ipſo Auguſtino teſtante de Honeſt. Mulier. Cap. 2. *Illorum animæ, quæ pereunt, ab illis in die judicii requirendæ ſunt, qui illis exemplum perditionis oſtendunt.* Audiant hæc mulieres, quæ laquei factæ ſunt, ad capiendos viros, & ſeriò cogitent de reſtitutione facienda animarum, quibus exemplum perditionis oſtenderunt: Si & ipſæ à me modum quærant, dabit illum peccatrix, omnibus nota

IX. Lucæ 7. Invitaverat Chriſtum Phariſæus: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quòd Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti,* &c. Non eſt verbum, quod ſuum non habeat pondus: *Et ecce mulier:* cur non nominatur? Reſpondet pro me S. Antonius de Padua: *Non ponitur hic nomen, quia peccatores, quamdiu ſunt in peccato, de libro Domini ſunt deleti. In civitate;* non domi abſcondita, non tecta tenebris, ſed vaga

S. Gregorius. S. Auguſtinus. S. Auguſtinus. S. Auguſtinus. Lucæ 7. S. Antonius de Padua

per plateas populatæ civitatis, in publicis conſortiis, in conſpectu ſolis: *Peccatrix*: odibilis Deo, abominabilis Angelis, ſcandaloſa juvenibus, periculoſa ſenibus, opprobrioſa domeſticis, infamis civibus, venenoſa bonis, familiaris dæmonibus, omnibus mala, ſuis
S.Chryſologus. pejor, peſſima ſibi, *Sicque*, inquit D. Chryſologus Serm.93. *jam non peccatrix ſolùm, ſed ipſius civitatis facta fuerat ipſa peccatum.* Nec mirum, ut ait D. Gregorius Hom.33.
S. Gregorius. in Evang. quia *Septem dæmonia Maria habuit, quæ univerſis vitiis plena fuit.* Peccatrix illa, facta pœnitens, *Ut cognovit*, ſcandala à ſe data; *Ut cognovit* irreparabile damnum, quod ſibi, familiæ, proximo, toti attulerat civitati: *Ut cognovit*, ſcandalizantem obligari, non ſolùm ad reddendam Deo animam ſuam, verùm etiam animas
Verſ.37. ſcandalizatas: *Ut cognovit, quòd accubuiſſet in domo Phariſæi*, abjectis ſeculi pompis, ſpreto omni reſpectu humano, dolore tacta intrin-
Verſ.38. ſecùs, *Stans retrò ſecùs pedes ejus*: ſed cur Divinam faciem declinat? Dicat D. Chryſologus Serm. 93.
S. Chryſologus. *Reus animus poſt tergum ſtat ad veniam, quia per culpam novit ſe vultûs fiduciam perdidiſſe.* Et tamen
S. Chryſologus. inquit Chryſologus: *Faciem, quam declinavit, invenit*; proſtrata ad
Ibidem. Chriſti pedes, *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat.* Sinite NN. me inter-
Joan 20. 13 rogare Magdalenam: *Mulier, quid ploras?* Non exſpecto reſponſum, Sciò, ſcio cur ploret: plorat, ut ſpongiâ, & aquâ lacrymarum, animæ maculas deleat, plorat, ut ignem divini furoris extinguat; plorat, ut iſtâ S. aquâ conſpurcatam animam, oculis divinis formoſam reddat; plorat, & ideò maximè, & plorare non deſinet, dum vivent oculi, quia in Deum peccavit; plorat, quia ſerò nimis cognovit Dominum ſuum, & peccata, in ipſum commiſſa; plorat, quia ingratiſſima extitit Creatori, & potiſſimam vitæ partem tranſegit laſciviendo; plorat, quia oculi ejus non cuſtodierunt legem Domini; plorat, quia tot animas ſeduxit, & perdidit; & ideò pedes Domini
Capillis capitis ſui tergebat: ut ſicut Eſther.14. 2.
Regina Eſter, Deum placatura, *Omnia loca, in quibus antè lætari conſueverat, crinium laceratione compleret.* Magdalena, memor quot Sampſon crinibus ſuis Philiſthæos extinxiſſet, recordabatur quot ipſa
capillis ſuis animas illaqueâſſet, & Judic.16. 19.
ideò non moratur, donec à Philiſtæis raderentur, ſed illa ipſa raſit, & pedes ejus terſit. Quaſi diceret, Deus meus, capillis meis crudelior extiti in Juventutem Hebræam, quàm Sampſon in Gentem Philiſthæam: in illis latebat corrumpendæ juventutis potiſſima virtus mea: illas abraſi, ut unà maledictam illam fortitudinem amittam, quâ tot animas traxi in ruinam, &c. Quàm dif-
ferunt hi mei capilli, à capillis Ha- Dan 14. 35.
bacuc Prophetæ, dum apprehendit eum Angelus, & portavit capillo capitis ſui, ut daret prandium ſuum Danieli in lacu leonum exiſtenti! Quot ego animas capillis his furata ſum, & miſi in lacum infernalem! Ad hoc ſpectaculum commota ſunt viſcera miſericordis Dei noſtri,

dixitque illi: *Mulier, dimittuntur tibi peccata tua; vade in pace.* Acceptat Magdalena veniam, non pacem. Pace veſtrâ, pacem nolo, ſed bellum: bellum cum carne mea, in qua tot animas perdidi, ut *Animam pro anima* reddam: antra, deſerta, ſpeluncas, cilicia, diſciplinas, ſpinas pungentes, catenas eligo, ut Deo animas reſtituam. Vigintiſeptem annorum erat, dum converſa eſt: anno cum medio ſcholaris Chriſti facta eſt: duobus annis Jeroſolymis magiſtra naſcentis Eccleſiæ extitit: quinque annis Marſilienſium Apoſtola: trigeſimo ſexto ætatis anno ſpeluncam ingreſſa, Deo per annos 30. pœnitentiâ ſuâ animas reſtitutura. NN. Verbum jam habeo ad vos: Magdalenam peccatricem, pœnitentem vidiſtis, & Apoſtolam factam, ut Deo redderet *Animam pro anima*: non unam, aut alteram, ſed millenas: data à vobis ſcandala ſcitis, quot animas Conſilio, Juſſione, &c. in ruinam dederitis cognoſcitis; quando proſtratos vos videbo ad pedes Domini, illos lacrymis veſtris rigantes, & capillis veſtris, quibus animas illaqueâſtis, tergentes, ut vel ſic *Animam pro anima* reddatis? Audite, non me, ſed Doctorem Seraphicum Sup. Cap. 17. Lucæ: *Scandalizans obligatur non ſolùm ad reddendam animam ſuam verùm etiam animam ſcandalizatam*; abſit, ut tantam à vobis reſtitutionem exigam, quantam Magdalena dedit: ſequimini ſaltem Apoſtoli monitum. — S. Bonav.

Rom 6. 19. — X. Rom.6.19. *Sicuti exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ.* Audiſtis verba: *Sicuti exhibuiſtis, ita exhibete?* Quid juſtius, inquit Euſ. Emiſſ. Hom. 10. *Qui cum plurimorum deſtructione ſe perdidit, cum plurimorum ædificatione ſe redimat.* Dico vobis cum Davide Pſalm. 4. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Si peccata veſtra ſolummodò commiſſa ſint *In cordibus* veſtris, permitto vobis pœnitentiam privatam: *In cubilibus veſtris compungimini*: ibi effundite lacrymas, ibi macerate carnes veſtras, ibi compuncti reconciliamini Deo; ſi autem alios ad peccandum induxeritis, peccando publicè, *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ.* Condignam Deo facientes reſtitutionem. Habetis martyrem hac in parte vos præcedentem. — Euſ. Emiſſ. — Pſalm 4.

XI. Ruffino teſte Lib. 11. Cap. 23. ad Hiſtor. Euſebii: Invictus martyr Uſtazanes à fide apoſtatando ſcandalizaverat Chriſtianos Perſiæ, motus verbis S. Simeonis Seulecenſium Epiſcopi ad fidem reverſus eſt, & ob illam ſub Sapore Rege martyrio affectus. Servierit venerabilis ſenex ille Regi, quem ab infantia educaverat, undè in extremis, hanc ab eo gratiam poſtulavit, ut in ſono tubæ publicaretur in populo, quòd non ob delictum aliquod, ſed ob fidei confeſſionem mortem ſubiret. Dic mihi Uſtazanes, quid animum movit, ut moriturus hanc peteres gratiam? non ultra interrogemus, Scandalizaverat populum, fidem — Ruffinus.

negando, pro illa moriens, Deo reſtitutionem fecit. *Siquidem cogitavit*, inquit Ruffinus, *quod ſicut quando timore perterritus ſolem adorabat, multis Chriſtianis metum injecerat, ita etiam non pauciores ad ſui animi magnitudinem & conſtantiam imitandam incitaret, ſi modò intelligerent pro Chriſtiana religione trucidatum eſſe*. Ne pro facienda Deo reſtitutione, pro tot peccatis Alienis martyrium, aut graviſſima quæque videar a vobis expoſtulare, & ne ullus ſit vobis excuſationis prætextus, audite Eccleſiaſticum

Ruffinus.

XII. Cap. 29. *Recupera proximum ſecundum virtutem tuam*, omnes indifferenter alloquitur, ſenes, juvenes, viros, mulieres, nobiles, ignobiles, divites, pauperes, omnes, omnes; quiſquis es eccleſiaſticus, aut ſecularis: *Recupera proximum ſecundùm virtutem tuam*. Si proximum quandoque in malum induxeris, *Recupera proximum*. Conare avertere à malo, & reducere ad meliorem frugem ſecundùm *Virtutem tuam*, non ſecundùm virtutem aliorum ſed tuam, ſecundùm tua talenta, ſecundùm ſtatum tuum. Non vult Eccleſiaſticus omnes Concionatores eſſe, non omnes Doctores, Non, non, *Recupera ſecundùm virtutem tuam*. Undè, inquit D. Gregorius Hom. 6. *Nemo dicat admonere non ſufficio, adhortari idoneus non ſum, quantum potes, exhibe*. Dum agitur in converſatione de Deo offendendo graviter, de inſidiis ſtruendis pudicitiæ cujuſdam, de vindicta ſumenda, de texanda fraude quadam; cur, quæſo, non poſſes (non dico ut phinees impios ſtricto vindicare gladio) delinquentem ſuaviter cum dexteritate, monere vel avertere à malo, & ſic animam illam lucrari? ſi dives ſis, & multas fortè honeſtas filias in tuam traxeris libidinem, cur pauperi filiæ non poſſes ſubvenire aperiendo illi clave aureâ portam monaſterii, quod, ut Deo ſerviat, ingredi cupit, alioqui fortè incurſura, manendo in ſeculo, periculum animæ? Sic reddere Deo *Animam pro anima*. Vos patres & matres appello, qui malo exemplo, Irritatione, Conniventiâ, & Subticentiâ culpæ ad damnationem prolium veſtrarum concurriſtis, reſtitutionem à vobis exigit Deus: reddi ſibi vult *Animam pro anima*: facite ſecundùm virtutem veſtram, bonâ educatione, fovete pietatem & Dei timorem in filiis veſtris, ut à Deo vocati ad ſtatum Eccleſiaſticum aut religionem, non ſolùm proprias, ſed multorum animas ſalvent: & ſic Deo reddatis *Animas pro anima*. Paradoxum fortè videbitur quod dico, ſed rogo, audite me.

Eccli. 29.

S. Gregorius.

XIII. Noviſtis Annam in SS. Paginis adeò famoſam. 1. Reg. 1. Illa diu ſterilis, & ob æmulæ ſuæ phenennæ improperia triſtis, poſt multa jejunia, lacrymas multas, fuſaſque ad Deum preces votum vovit Domino dicens: *Domine ſi dederis ſervæ tuæ ſexum virilem dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus*. Factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, quem ablactatum juxta votum ſuum obtulit Domino in gratiarum actionem dicens: *Sterilis peperit*

1. Reg. 1. ℣. 11.

2. Reg. 2. ℣.

peperit plurimos: Quæro quomodò hoc verum ſit, cùm pro tunc ſolùm pepererit Samuelem? Dantur ergò plurimi in uno Samuele? Quis dubi-
Eutymius. tat, inquit Eutymius: *Unus juſtus qualis erat Samuel, fuit inſtar multorum.* Quis enim numeret omnes, quos talis juſtus reddidit juſtos? Ecce modum, patres & matres, reddendi Deo *Animas pro anima.* Sed ſi nec parentes ſitis, nec judices, neque ſuperiores &c. & tamen partem habeatis non parvam in Peccatis Alienis, poteſtis, ut debetis, *Animam pro animâ* reddere & Deo reſtitutionem facere.

XIV. Non legiſtis Catholicam Jacobi Epiſtolam C. 5. in illa aſſignat Apoſtolus medium efficaciſſimũ pro
Jacobi 5. converſione peccatorũ: *Orate pro invicem ut ſalvemini.* Et bene: expertus enim loqui poteſt, qui ille Saulo factus eſt Paulus, non prædicationibus fervidis, ſed ferventibus Stephani precibus. Ex Manichæo factus eſt
S. Auguſtin. Magnus Auguſtinus Sol Eccleſiæ, non frequentibus exhortationibus, ſed Monicæ precibus & lacrymis. Quis veſtrûm, qui Conſilio, Iuſſione, Conſenſu, cæteriſq; peccatis Alienis animas perdidit, hoc modo non poſſet reddere Deo *Animam pro anima*? Si ſubinde flagelletis vos, flagellate pro converſione peccatorum; ſi legatis roſarium, dirigite in illorum converſionem; ſi audiatis Miſſæ ſacrificium, offerte pro illorum converſione: Orate pro eis ut ſalventur, & reddideritis Deo *Animam pro anima.* Si jejunatis, dirigite jejunium veſtrum in bonum illorum, inducite eos ad audiendũ verbum Dei, confitendum, communicandum: &, quod maximum, præcedite illos bono exemplo; ſi ſcandalizâſtis, ædificate, quia, teſte D. Bernardo, *Validior* S. Bernardus.
eſt vox operis quam oris. Sic mandabitis illis bene agere; hoc eſt enim loqui cum illo imperio, quod à Tito requiſivit Paulus Cap. 2. *Loquere cum omni imperio.* Sicut, malo exemplo multos juſſiſtis peccare, ita & bono exemplo loquamini cum omni imperio, ſic eos; qui non credunt verbo, per converſationem veſtram lucrabimini, juxta illud
2. Petri 3. *Conſiderantes in timore caſtam* 2. Petri 3.
converſationem veſtram. Et reddetis *Animas pro anima.* Si ſecùs feceritis, Væ vobis.

XV. Berengarius unus ex primis Hæreſiarchis, quos mundus vidit, in fine vitæ (pœnitens tamen) clamabat altâ voce. *Væ mihi: Væ mihi; me peccantem vidiſtis, pœnitentem non vidiſtis.* Quot, fortè noſtrûm gravati peccatis Alienis in extremis clamabunt: *Me peccantem vidiſtis, pœnitentem non vidiſtis.* Scandalizavi multos, & non abſtuli lapides offenſionis: viderunt multi publicas ignominias meas. & non viderunt publicam pœnitentiam meam. *Peccantem vidiſtis, pœnitentem non vidiſtis.* Quàm multi me peccantem noverunt, quàm pauci pœnitentem! quot bonos, malo meo exemplo, præcipites dedi in malum! quot perverſos in malo confirmavi & defendi, qui inde facti ſunt pejores! quot animæ periêre, & mei causâ modò torquentur pœnis æternis? *Peccantem me vidiſtis.* Sed, quando deploravi tantam ruinam? quando conatus ſum reducere malos ad ſtatum priſtinum? eoſque retrahere à præ-

 cipitio

cipitio profundiori? quomodò tantas Creatori meo daturus ſum ſatiſfactiones, quantæ fuerunt offenſæ? quomodò tot Deo animas lucrari potero, quot ob mala mea exempla periêrunt, & tamẽ necdum *Pœnitentem me vidiſtis*. Frons meretricia facta eſt mihi. Peccat Adam, & præ rubore abſcondit ſe; peccat Magdalena & ſtat ſecus pedes Domini: peccat Petrus & lacrymis vultum tegit. Peccat Judas & inter tenebras noctis celat proditionem. Peccat diabolus & ponit ſedem ſuam in tenebroſo aquilone, & ego pejor omni impio, omni exuto pudore, etiam nolentes me videre, ad videndum coëgi. *Peccantem me vidiſtis*. Sed quis me plorantem vidit, uti Adam ploravit? quis genas meas præ lacrymis excavatas vidit, quales Petrus habuit? quis me Chriſti pedes lacrymis abluentem conſpexit, cum Magdalena? *Peccantem me vidiſtis, plorantem pœnitentem non vidiſtis*. Furantem me vidiſtis, non bona peritura, ſed animas de manu Redemptoris, & tradentem eas in manus diaboli inimici ejus, *Peccantem me vidiſtis*. Sed heu, quomodo reſarcire potero tanta damna? ſi furer bona aliena, poſſum reſtituere, ſi honorem proximi, poſſum revocare, quod malè dixi, ſi aliquem vitâ privem, reſurget denuò ad vitam; ſed animas mei cauſam perditas æternùm damnatas, quo pretio, quo auro, quo ſanguine, quâ vitâ, poſſum redimere? *Pœnitentem non vidiſtis*. Quid ergò aliud reſtat, quàm *Animam pro anima*? Quid dico *Animam pro anima*? Si tot alienas animas perdiderim, & unicam tantùm habeam perdendam, neceſſe eſt, ut perditio illa ſit æquivalens perditioni tot animarum: quid ergò reſtat niſi ut, cum multi peccare me viderint *Peccantem me vidiſtis*, condignum me videant pœnitentem, *& Animam pro anima* reſtituentem, ut ſecurus in extremis dicere poſſim: *Peccantem me vidiſtis, pœnitentem vidiſtis*. Et ſic hîc factâ debitâ pœnitentiâ & reſtitutione, exſpectare poſſim ſpe Chriſtianâ vitam æternam. Fiat, Fiat.

FERIA

FERIA VI. DOMINICÆ IV. ADVENTUS

De Defenſione, nono Peccato Alieno.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

Nonum Peccatum Alienum, inter alia graviſſimum, eſt *Defenſio.* Illud incurrunt omnes, qui proximum in malo defendunt, fovent & protegunt, fiuntque omnium malorum rei, quæ ab illis, quos fovent aut defendunt, perpetrantur.

I. UT ergò heri vidimus, prima & potiſſima reſtitutio Deo facienda, eſt reſtitutio animarum, ad quam obligantur omnes, qui pravo Conſilio, iniquâ Juſſione, cæteriſque peccatis Alienis animas rapiunt de manu Dei, eaſq; tradunt diabolo, inimico ejus capitali. Has omnes, quantùm poſſunt, tenentur reſtituere, ad hoc ut poſſint verè pœnitere: ſi enim, proximo in temporalibus damna inferens, ad temporalium reſtitutionẽ teneatur, quidni, qui animâ proximi ſui, ad peccatum inducendo, Divinæ gratiæ theſauris privat, ad reſtitutionem obligabitur? Reſtitutio illa facienda eſt, inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam & ad actus virtuoſos, & precibus converſionem ejus procurando. Quod ſi talis anima in infauſto illo ſtatu moriatur, tunc oportet (omni modo poſſibili) reddere Deo animam pro anima. Sic David fecit, qui propter adulterium & homicidium blaſphemare fecerat nomen Dei in Gentibus; dolens enim ſe tot animas occidiſſe, dicebat Deo: *Docebo iniquos vias tuas; & impii ad te convertentur.* Pſal. 50. Quaſi diceret, docebo pœnitentiâ meâ, docebo verbis, docebo ſcriptis, docebo eos omni modo vias miſericordiæ tuæ, & reducam illos ad te Deus meus. Sic egit bonus latro, qui, pendens in cruce, blaſphemantem collegam ſuum convertere conatus eſt, & veroſimiliter converſione & adhortatione ſuâ etiam multos ex illis convertit, qui: *Revertebantur percutientes pectora ſua,* Lucæ 23. 48. idque ut ſic redderet Deo animam pro anima. Sic Magdalena fecit, quæ, *Ut cognovit,* ſe vitâ ſuâ malâ tot animas ſcandalizâſſe, Lucæ 7. ut redderet Deo animam pro anima, per annos triginta-novem adeò incredibilem egit pœnitentiam, ut domus Dei, ſcilicet Eccleſia adhuc in præſentem diem repleta ſit ex odore iſtius ſalutaris unguenti, in quem odorem milleni & milleni peccatores cucurrerunt, & adhuc indies currunt. NN. qui peccatis Alienis animas ſcandalizâſtis, iterùm clamo reſtitutionem; Animam pro anima. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ,* condignam Deo facientes reſtitutionem; ne ullus vobis prætextus ſit excuſationis, dico cum

Eccle-

qui tanquam Rhetores diaboli cauſas iniquas in ſe ſuſcipiunt, defendendunt, & tanquam ſanguiſugæ (ut ſuprà diximus) convertunt: *In amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſinthium*, veluti accipitres, qui videntur velle alias aves alis ſuis protegere & defendere, cùm tamen aliud non intendant, quàm prædari & devorare; contra quos Spiritus ſanctus clamat Iſaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Et Cap. 20. *Væ qui condunt leges iniquas, ut opprimerent in judicio pauperes.* Tales ſunt parentes, qui dum alteruter eorum, delinquentes proles punit, inſurgunt in invicem etiam ad ipſa uſque verbera, domum replentes maledictis. Tales ſunt qui de filiorum nequitiis conquerentes vicinos laceſſunt, & contumeliis afficiunt, ſicque illos non ſolùm in nequitiis detinent, ſed & fovent & animant tanquam diaboli cooperatores fideliſſimi. Quàm vivis illos coloribus depingit Propheta patiens

Amos 6. 13.

Iſaiæ 5.

Cap. 20.

IV. Job Cap. 40. ubi de Behemoth, qui (juxta græcos Patres, Origenem, Olimpiodorum, Gregorium Naz. Athanaſium, Dydimum in catena, & ex latinis ſanctum & Magnum Auguſtinum Lib. 11. de Civitate Dei Cap. 15. Gregorium ad hunc locum) figuram refert diaboli, inter alia ſic loquitur: *Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus. Protegunt umbræ umbram ejus.* Omnia iſta nobis innuunt myſteria non modica. Quid eſt imprimis, quod diabolus calamos quærat ad cubandum? quòd aliud nihil, quàm diverticula quærat, & latebras ſectetur, in quibus ſomnos captet; præcipuè tamen conquirit calami umbram, in qua requieſcat, quia nimirum, inani foliorum ſonitu arundines abblandiuntur, & ſomnos conciliant. Senſu autem morali aſſentatores & iniqui defenſores calami ſunt, qui vel levi auræ cedunt, modò in illam, modò in contrariam partem inflectuntur, prout mollis aura adſpiraverit. Hæ autem arundines dum inani motu agitant ſe, diabolum ad ſomnum & quietē trahunt, ita ut diabolus, quamquam tenere dicatur omnium iniquorum corda, in aliorum tamen peccatorum præcordiis vigilet tantùm, in animis verò defenſorum, & alios in peccatis ſuis foventium ac animantium, dormiat quietè: quia dum adeſt iniquus perverſitatis defenſor, non habet diabolus quod agat, atque adeò quàm optimè dormire, requieſcere, ac in utramque aurem ſtertere poteſt: quia ſecurus degit, quod tunc nemo facilè animas rapiet de manu ejus: *Protegunt* enim *umbræ umbram ejus.* Quod fit, quando impius, alterius impii peccata defendit. *Umbra diaboli*, inquit Purpuratus Ugo, *dicitur quilibet peccator, qui dum imitationi iniquitatis ejus inſervit, quaſi ab ejus corpore imaginis ſpeciem trahit.* Diabolus per ſe, & ſuos, umbras multiplicat, ut peccator feliciter delinquat, umbram delicti & temeritatem facinorum patrocinio ſeu umbrâ excuſationis abſcondens, & protegens. *Et ſic fit* (teſte D. Gregorio Lib. 33. Mor. Cap. 6. ad hunc locum) *ut ſumma criminum, cùm defenditur, augeatur.* Audiant hæc umbræ protegentes umbram Behemoth qui dormire eum faciunt: *In locis humentibus.*

Job 40. 16.

Ugo Card.

S. Gregorius.

bus. In iis ſcilicet, quos in peccatis carnalibus fovent & detinent, dicentes non eſſe tam grave peccatum, ſed humanam tantùm fragilitatem. Undè fit, quod per illud vitium diabolus in cordibus eorum dominetur: *Per loca* enim *humentia*, inquit Iſidorus
S. Iſidorus. Hiſpal. Lib. 2. Sent. Cap. 39. *Carnis demonſtratur luxuria*. Umbram diaboli protegunt patres-familias, qui ſervos & ancillas indies turpia exercentes, ob quæſtum temporalem ab illis provenientem, in domibus ſuis retinent, non ſecùs ac illi, de quibus
Act. 16. 16. V. Act. 16. Aſcendentibus Paulo & Silâ ad orationem, obviat puella quædam habens ſpiritum pythonem, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divinando futura & occulta; miſertus Paulus iſtius miſeræ puellæ à dæmone vexatæ, ab illa dæmonium ejicit; cùm autem Domini puellæ vidiſſent eam liberatam, velut umbræ Behemoth protegentes umbram ejus, furibundè indignati inſurgunt in Paulum, comprehendentes & accuſantes eum tanquam civitatis perturbatorem. Non erat ergò eis horribile ac terribile, dæmonem habere, ſimulq; cum illo habitare? minimè: quia puella magnum quæſtum præſtabat dominis ſuis divinando, & ideò protegunt illi, ſeu diaboli umbræ, umbram ejus, dolentes quod exiret ab eis ſpes quæſtûs eorum; lucri cupiditate maximè detinebantur, & affectabant per diabolum multós bonorum quæſtus facere, & ideò ſecum diabolum habere, eumque colere magis volebant, quàm ſuis temporalibus proventibus privari. Ita Theophilactus
Theophilactus. ibi: *Volebant puellam dæmone correptam eſſe, ut quæſtum faceret. Vide illos, nec dæmonem quidem curantes atque morantes, ſed unum duntaxat pecuniæ ſtudium ſpectantes.* Tales enim inveniri in Chriſtianiſmo protegentes umbrâ diaboli, defendentes & foventes peccatores in ſordibus ſuis, idque ob quæſtum modicum, quorum domus verè dici poſſet, ut habet Eccleſiaſticus Eccli. 29.
29. *Domus protegens turpitudinem*: hoc triſte & maximè dolendum. Tales ſunt qui domos ſuas elocant meretricibus; tales ſunt caupones, qui ob lucrum aliquod, in domos ſuas recipiunt mulieres ſordidas, ac corporis ſui quæſtum facientes, tenentes pro illis parata cubicula, eaſque ibi protegentes ac defendentes: Sciant hi omnes ſe coram Deo omnium peccatorum, quæ fiunt, reos eſſe, ac pro illis in judicio rationem reddituros.

VI. Umbram diaboli protegunt, qui malefactores in domos ſuas in alium finem recipiunt & defendunt, quam Rahab exploratores. Joſue 2.
Cap. mittit duos exploratores in abſcondito, qui conſiderent terram urbemque Jericho, hi pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt apud eam. Cùm nuntiatum eſſet Regi, quod de filiis Iſraël ingreſſi eſſent domum ejus per noctem, ut explorarent terram, miſit Rex ad eam, ut viros educeret. At ſagaciſſima mulier, abſcondit illos dicens, fateor venerunt ad me, ſed neſciebam unde eſſent: cùmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, perſequimini citò, & comprehendetis eos, quos interim illa aſcendere fecit in ſolarium domûs ſuæ

ſuæ operiens eos ſtipulâ lini, quæ ibi
erat. Agnoſco, & veneror hîc latens
myſterium. Ad vos venio Umbræ
Behemoth, qui fures & latro-
nes, aliosque malefactores ad vos
confugientes, tanquam ad prote-
ctores & defenſores ſuos, recipi-
tis, ut eorum correctionem im-
pediatis, furta eorum ſalvetis, in
illis participantes, ſicque illos in fur-
tis & malefactis ſuis fovetis & nu-
tritis. Ad vos venio lenones, qui alie-
nas uxores ſeducitis, & in domibus
veſtris abſconditis, propter lucrum
temporale, quæſtui diaboli exponen-
tes, & dum maritis earum nuntiatur
uxores ſuas apud vos latere, aut idip-
ſum uxoribus dicitur de maritis,
mendaciis mendacia ſuperaddentes,
ut meliùs ſalvetis eos, fatemini qui-
dem ob negotia modicùm apud vos
fuiſſe, ſed ſtatim abîiſſe, ſcientes
vehementiorem eſſe ad fallendum
vim, dum veritas mendacio adjungi-
tur, & interim latent in cubiculis
veſtris, ubi mœchus pellicem alit &
adultera adulterum. Rahab explo-
ratores abſcondendo, corpora ſalva-
vit, vos, illos abſcondendo, animas
damnatis. Sed neſcitis omnia iſta ad-
ulteria ad computum veſtrum nota-
ri? & pro omnibus à vobis redden-
dam eſſe rationem? Si neſciatis,
audite ergò S. Nilum in Biblioth.
S. Nilus. Pat. Tom. 5. P. 2. *Ne patrocineris
malis: ipſos enim ad mala provocas, tu
verò contaminaris peccati communione.*

VII. Umbram diaboli protegunt,
qui timoratum aliquem ad nocen-
dum proximo in bonis, fama, etiam
vita, illum ad hoc incitant, ſuam
protectionem addicentes & promit-
tentes, quòd ab omni vexa per ipſos
redimetur, ſed infeliciori ſucceſſu,
quàm Jacob habuit cum Rebecca.
Gen. 27. Benedicturus Iſaac filium
ſuum primogenitum, dicit ad Eſau:
Sume arma tua, pharetram, & arcum, Gen. 27. 3. 4.
*& egredere foras: cùmque venatu aliquid
apprehenderis, fac mihi inde pulmen-
tum, ſicut velle me nôſti, & affer ut co-
medam & benedicat tibi anima mea,
antequam moriar.* Quod cùm audîſſet
Rebecca, & ille abiiſſet in agrum,
ut juſſionem patris impleret, ait
Jacob filio ſuo: *Acquieſce fili mi* Verſ 8.
conſiliis meis, præripiam fratri tuo
Eſau benedictionem, jam jam illi à
patre promiſſam, & impertiar tibi,
affer mihi duos hædos optimos ut faciam Verſ. 9. 10.
*ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter
veſcitur, quas cùm intuleris & comede-
rit, benedicat tibi priuſquam moriatur;*
cui ille: *Nôſti* mater *quod Eſau fra-* Verſ. 11. 12.
*ter meus homo piloſus ſit & ego lenis, ſi
attrectaverit me pater meus, & ſenſerit,* Verſ. 13.
*timeo me putet me ſibi voluiſſe illudere,
&* *inducat ſuper me maledictionem pro
benedictione.* Tunc illa: *In me ſit iſta
maledictio, fili mi, tantùm audi vocem
meam, & pergens affer, quæ dixi.* Ut di-
ctum, ſic factum, & fratri benedictio-
nem ſurripuit. Pondero verba: *In
me ſit iſta maledictio.* Non quod Re-
becca verè pro filio voluerit excipe-
re patris maledictionem & punitio-
nem, ut vult S. Chryſoſtomus, ſed S. Chryſoſt.
ita loquitur, quia ſecura erat de felici
eventu: ſciebat enim Deum ita pro-
miſiſſe Gen. 25. 23. quaſi diceret:
fruſtra times iram patris; illius nul-
lum eſt periculum, ego ſpondeo; imò
ſi hæres & dubitas, ego omnem iram
in me excipiam, ita Theodoretus.
Hæc ultrà non tango, quia myſteria
ſunt. Pſeudo-apoſtoli diaboli, ad

vos meus eſt ſermo, ad vos qui unum in alterum incitatis, ut invicem lædant in fama, bonis, litem indicant, invicem perdant, & quia timorati ſunt, nec Deum offendere volunt, timentes maledici à Deo & hominibus, illos animatis, dicentes: *In me ſit illa maledictio*, ego vos defendam, dabo vobis dexteram, manutenebo vos, non eſt quod timeatis, protegam vos, & tantùm efficitis veſtrâ protectione, ut inducatis ſuper eos, loco benedictionis, maledictionem. An ſuper eos tantùm? imò & maximè ſuper vos: quia, ut rectè Cardinalis Ugo ſuper Cap. 3. Job.

Ugo Card. *Defendere peccatum, eſt peccatum peccato ſociare.*

VIII. Et quot peccata peccatis, pravâ ejuſmodi culpæ alienæ Defenſione non ſociant? Certè volunt quod malum illud, quod jam peractum eſt, ſine ulla prorſus retractatione, ita in ſe permaneat: ſicque multoties & reparationem damni, & reſtitutionem honoris, & injuriarum condonationem, & capitalis odii depoſitionem, & ſcandali amotionem, ac omne quod intuitu peccatoris, occaſione præcedentis peccati ſæpiſſimè in præcepto eſt, ab illo avertunt, impedientes ſuâ culpabili protectione ne quidquam horum executioni mandetur; idque per hoc, quod, actus pravos Juſtificantes, delinquentem, implicitè ſaltem, ſi non explicitè doceant, quod nihil eorum reſpectu ipſius neceſſarium ſit, ſi quidem bene omnia fecit, & jure tantùm ſuo uſus eſt, ut ipſi defendendo ſuſtinent. Porrò qui jure tantùm ſuo uſus eſt, ille ad nihil prædictorum omnium tenetur, cùm nulli injuriam fecerit, ergò ex mente & voluntate eorum probatur ab illis omnibus legibus immunis. In quam ſententiam, ubi reus poſt ipſos abierit prout, in talibus non infrequenter fit: en tunc completam per pravâ defenſionem omnium iſtarum culpabilium omiſſionum causâ. Nec ibi ſiſtit peſſimorum patronorum malitia, ſed adhuc alia peccata peccatis ſociant, dum ratione nefarii ſui patrocinii, omne divini & humani reſpectûs ac timoris frenum penitùs diſrumpentes, ejuſmodi delinquentibus animos addunt ad quaſcumque libertates, & audacias: ne quid dicam de illo, quod ab omni prava culpæ alienæ Defenſione eſt prorſùs inſeparabile: nimirum quod tales defenſores lumen vultûs Dei, quod ſuper ipſos ſignatum eſt, omninò contemnentes, os quaſi in cœlum ponant, &, ac ſi Deo ipſo rem melius penetrarent, legem prohibentem condemnent, aut ſaltem in caſu, cui patrocinantur, veluti non obligantem de medio ſublatam velint, imò quantùm in ſe eſt, æternæ veritatis Judicia, quæ malefactores iſtos propter ſuas tranſgreſſiones reos mortis agunt, de falſitate & iniquitate reddant ſuſpecta, ſerpentis inſtar contra divinam ſententiam pronuntiantes: *Nequaquam moriemini*, ſiquidem juxta noſtram defenſionem non malè, ſed omninò bene feciſtis. Et hoc tuebimur, quidquid Deus & conſcientia in contrarium aſſiduè clamitent: pergite vos tantùm. Quis ad talia horribilia non obſtupeſcat? & interim ſic res in veritate ſe habet, ſi penitiùs introſpiciatur; & ſi quis tunc

forte

fortè ex adverſo Chriſtianâ liberta-te, & fraternâ ſimul charitate plenus occurrat, qui actûs ſui malitiam, & inde reſultantem obligationem peccatori perſuadere conetur: contra hunc non tam ratione, quàm indignatione, deſpectu, & vilipendio ipſius perſonæ adhuc ſæpiſſimè inſurgent, dicentes id, quod habetur Thren. 3. ℣. 37. *Quis eſt iſte, qui dixit ut fieret, Domino non jubente.* Sicque omni ex parte patet, quàm verum ſit, quod *Defendere peccatum ſit peccatum peccato ſociare*, & diaboli umbram, umbrâ protegere?

Thren. 3. 37.

IX. Hoc interim tunc maximè præſtant, quando defenſione ſuâ impediunt correctionem malorum, taleſque in malis fovent, in hoc ſimiles Benjamitis. Judicum 19. Vir Levites acceperat uxorem de Bethlehem Juda, quæ relicto marito reverſa eſt in domum patris ſui, quam ſecutus Levita voluit reconciliari ei & ſecum reducere, quod cum factum eſſet, ipsâ Gabaonitæ, qui Tribus erant Benjamin, prodigioſâ libidine totâ nocte abuſi ſunt, dimittentes eam manè. At illa veniens ad oſtium domûs ubi maritus erat, ibi corruit: quam, cùm Levites videret mortuã, tulit & impoſuit aſino, reverſuſque eſt in domum ſuam, & arripiens gladium, cadaver uxoris in duodecim partes & fruſta concidit, miſitq; in omnes terminos Iſraël, conclamantibus omnibus, quod nunquam res talis facta eſſet in Iſraël, ex eo die quo aſcenderant patres eorum de Ægypto, ſubdens: *Ferte ſententiam & in commune decernite quid facto opus ſit.* Volentes filii Iſraël pro honore Dei tantum ſcelus ulciſci, miſerunt nuncios ad omnem Tribum Benjamin, qui dicerent; *Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines de Gaba, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, & auferatur malum de Iſraël. Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum.* Sed econtrà, ut ferrent illis auxilium contra univerſum populum Iſraël dimicârunt, at ſucceſſu infelici; quia tandem percuſſit eos Dominus in conſpectu filiorum Iſraël, & civitatem illorum à viris uſque ad jumenta gladio percuſſerunt filii Iſraël, cunctaſque urbes & viculos Benjamin vorax flamma conſumpſit. Hinc diſcant pſeudo-apoſtoli diaboli, protegentes umbram ejus, qualia eos maneant in hac & altera vita, qui innocentes condemnant, & iniquos defendunt, ſicque illos in furtis & latrociniis detinent.

Iud. 19. 29. 30.

Verſ. 12.

X. Joannes 11. Caïphas, cum eſſet Pontifex anni illius collegit concilium adversùs Jeſum, vix ſederant, clamatur: *Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit?* Si permittimus pedem figere, venient Romani & tollent locum noſtrum & Gentem, & miſeræ ſubdemur ſervituti. Caiphas, antequam verba, multa dat ſuſpiria, oculos in cœlum levat, gemit, complicat manus, tandem exclamans: Viri habetis jus, niſi malo imminenti opportunum apponatur remedium, filios noſtros, ſubſtantiam, regnum, libertatem, ipſum etiam ſacratum templum, omnia amittemus. Nemo veſtrûm ignorat, quomodo totus mundus abeat poſt eum, quotque ipſi applaudant, nutibus ejus obediatur, verba ejus habeantur quaſi oracula; Quid inde

Joann. 11. 47.

expectandum, niſi quod plebs ipſi coronam offerat & dominetur nobis? Bene dicitis, & fundatè loquimini, unde neceſſarium judico ut vita ejus ſacrificetur pro bono publico: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat.* Et illi ſententiæ accedunt omnes (erant enim 72. congregati) uno ſolo Nicodemo, viro juſto, his verbis ſe opponente: Quod attinet Jeſum Nazarenùm, cum ſit homo ſanctus, plenus prodigiis & miraculis, à quo respublica noſtra non niſi magna beneficia recepit, non video quomodò condemnari poſſet inauditus, fiat illi proceſſus, citetur, audiantur teſtes, & detur locus defenſioni, tunc ſi dignus morte inveniatur, moriatur: ſed quod homo innocens morte moriatur, non conſentio. Applauſit tamen Caiphas volentibus mortem Chriſti, ſpreto Nicodemo, ſolo juſto Chriſti defenſore, ſicque per hoc Caiphas omnes ita defendit & fovit in malo, ut omnes condeſcenderint in mortem Chriſti, & tandē conditum ſit decretum in favorem iniquiſſimi Barrabæ latronis, & fulminata injuſtiſſima ſententia contra innocentiſſimum Jeſum. Sed quid ex hac iniquiſſima defenſione ſecutum? præterquam quod Caiphas iniquâ ſuâ defenſione reus factus ſit omnium peccatorum, divinâ diſpoſitione factum eſt, inquit Magnus Auguſtinus, quod venerint Romani & tulerint locum eorum & Gentem. S. Auguſt. *Temporalia*, inquit, *perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt, nam & Romani poſt Domini Paſſionem & glorificationem, tulerunt eis locum & Gentem, expugnando & transferendo.* Utinam ſaperent, & hæc intelligerent Umbræ diaboli hi, inquā qui innocentes condemnant, & ob lucrū temporale iniquos in ſua iniquitate protegunt, ne, dū temporalia perdere timent, & vitam æternam non cogitant, utrumq; amittant, utpote ſecundùm D. Gregorium Lib. 26. Mor. Cap. 2. participes omnium peccatorum, quæ per defenſionem eorum tolerantur. Do verba ejus: *Scelera peccantium, tantò majora incrementa percipiunt, quantò per defenſionem potentium diu inulta tolerantur.* D. Gregorius. Attendant, ne ab ipſis malignis defenſoribus ſuis, idipſum eis contingat, quod olim cuidam latroni.

XI. Percuſſerat ille fœdus cum inferno, & cum diabolo pactum fecerat, ut in omnibus furtis & latrociniis defenderet eum, ne in manus Judicis incideret; contigit quod ob dicta crimina captus ſit, patibulo infallibiliter adjudicandus, unde conqueri cœpit quod ab infernali defenſore ſuo eluſus eſſet; illicò apparet ei prætenſus defenſor, dans illi thecam Judici tradendam, dum ad tribunal traheretur, ſubdens bono interim animo eſſet, quòd indubiè ad thecæ apertionem è carcere liberaretur. Sic factum: credebat judex magnum ſe in theca theſaurum reperturum, quo hic reus à patibulo redimeretur, at illâ apertâ bonum, ſolidum, & bene connexum laqueum invenit. O inſignem defenſórem! Tunc Judex ad latronem; laqueus ille tibi mittitur, cui ille: non mihi, ſed tibi illum diabolus mittit, & facta eſt contentio inter eos, cujus eſſet laqueus; ſi meum

foret hunc nodum ſolvendo in ſententiam Salamonis abirem. *Nec tibi nec illi, ſed dividatur.* Scindite per medium, & de uno duo laquei fiant, quibus uterque ſuſpendatur; fur quia furatus eſt; & judex quia juſtitiæ pedes amputavit. Vera ſunt quæ dico NN. ſed ne auditorũ aures offendam, loquor de judicio in ſpatiis imaginariis, ſeu de tribunali ſomniatæ rei-publicæ, non Platonicæ: vera inquã ſunt, quia frequenter magis morte dignus eſt judex condemnans dum aurum non ſplendet, quam reus condemnatus, adeoque ob munera iniquos defendens, major eſt latro, & altiori patibulo dignior, quam fur illi adjudicatus; quæ quamquam hîc rarò fiant, timendum tamen ne Deus, poſt hanc vitam ſimiles defenſores & clientes in furca infernali eodem ſuſpendat laqueo.

XII. Super omnes protegunt umbram diaboli, qui Dei honorem conculcantes, mandata ejus tranſgredientes fovent & defendunt, de quibus Numero VIII. qui dicunt malum bonum, & bonum malum, qui carnalibus inſordeſcentes abſinthium in ſaccharum convertunt, qui peccata non ponderant pondere ſanctuarii, ſed pondere publico, mortalia pro fragilitatibus ſeu venialibus venditantes, ut complices ſuas faciliùs in ſordibus detineant. Audiant illi (ſi illis adhuc aures cordis ſint) S. Gregorium Eccleſiæ Doctorem Lib. 33. Mor. Cap. 4. *Tantò ſe apertiores Dei hoſtes exhibent, quantò ſunt patroni vitiorum.* S. Gregorius. & ibidem: *Contra Deum ſuis defenſionibus pugnat, qui ea, quæ diſplicent, defendendo, multiplicat.* Quid magis diabolicum, quàm negare quod Deus affirmat, quam levia dicere quæ Deus æternâ morte digna buccinat? Quidni in eos fulminet horrendum *Væ* toties in SS. Paginis ingeminatum: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum!* Væ qui juſtificatis impium! Væ in Scriptura interitum ſignificat, tum præſentem, tum æternum, quaſi diceret, & præſens & æterna damnatio manet omnes dicentes bonum malum, & malum bonum, nec non omnes juſtificantes & defendentes impios. Formo argumentum.

XIII. Iſaiæ 3. de impudenti populo ſuo conqueritur Deus. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt: Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala:* in æternum duratura. Iſaiæ 3. 9. Quodnam obſecro, peccatum illud, quod quaſi Sodomiticum dicitur? Loquatur M. P. Auguſtinus in Pſal. 58. *Eſt quædam iniquitas, quam qui operatur, non poteſt fieri ut miſereatur illi Deus. Ipſa eſt defenſio peccatorum.* S. Auguſt. Loquitur Magnus Doctor juxta illud Pauli Apoſtoli Hebr. 6. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti &c. & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam.* Heb. 6. 4. *Impoſſibile?* Dicunt tamen Theologi nunquam negari gratiam ſufficientem: ſi illa det *Poſſe* converti, quomodo ergò *Impoſſibile iterum renovari ad pœnitentiam?* mitigat rigorem S. Textûs Doctor Angelicus & intelligit ly, *Impoſſibile* moraliter, quaſi diceret Apoſtolus quia *Difficile*: *Qui poſt gratiam cadit in peccatum, difficile reſurgit ad bonum.* D. Tho. Aqu. Ita M. P. Auguſtinus

nus dum dicit fieri non poſſe ut miſereatur illi Deus, qui defendit peccata ſua, vult dicere quod *difficile* illi miſerebitur Deus. Jam argumentor: ſi non poteſt fieri ut miſereatur illi Deus, qui defendit peccata propria, quomodo miſerebitur illi Deus, qui defendit peccata Aliena? ego illum duplici inferno dignum cenſeo. Unde, ſi conſulere velitis animabus veſtris rogo vos omnes cùm D. Ambroſio Lib. 2. Offic. Cap. 4. *Ne defendas improbum.* D. Ambroſ.

XIV. NN. mei, cùm ad finem properemus, ſtate tantiſper, & ſinite me pro coronide circa hactenus dicta paucis vos interrogare. Audiſtis hoc ſacratiſſimo tempore Adventuali Prophetâ Regiũ, virum alioquin ſecundùm cor Dei, anxium & timore plenum circa peccata occulta & aliena oraſſe Deum: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* An hic ſanctus timor corda veſtra perculerit, novit ille, qui ſolus corda novit. Petiſtis ſubinde à Deo cum Davide, ut labes, quas perſpicaciſſimus ejus oculus videt in vobis, & ipſi non videtis, miſericordiſſimâ ſuâ bonitate purget, & *Occulta dedecoris*, gratiâ ſuâ diluat? rogâſtis ſubinde Deum, ut involutum librum conſcientiarum veſtrarum, ſcriptum intùs & foris, peccatis internis & externis plenum, expandat coram vobis, non ſolùm pro peccatis occultis ſoliciti, ſed etiam pro peccatis ignorantiæ, quæ vos perdere poſſunt in æternam damnationem? eò quod illa potueritis & debueritis ſcire, ſed rebelles lumini, aut ſciendi incuriâ, aut diſcendi deſidiâ aut verecundiâ inquirendi vos latent etiam volentes? Neque ſolùm pro his anxii, ſed ſignanter pro Alienis; Dixiſtiſne aliquoties cum Davide: *Ab Alienis parce ſervo tuo*? Cogitaſtis vel ſemel cum M. P. Auguſtino: *Quot mortalium ignorantes peccare docui,* S Auguſtinus. *nolentes delinquere perſuaſi, reſiſtentes coëgi, volentibus conſenſi*? quoties cooperati fueritis diabolo, eique arma ſubminiſtraveritis quibus cœlo bellum indixit facti adjutores ejus & inſtrumenta ad perdendas animas? Quot animas pravo & diabolico conſilio & malâ perſuaſione, ſeduxeritis? Quoties ſpretâ lege Evangelicâ, legiſlatori peſſimo, de *Cathedra peſtilentiæ* leges peſſimas condenti, adhæſeritis tanquam ejus coadjutores, non tam ſubditis veſtris, quàm aliis mandantes illas ſervari, non ſolùm verbo, ſed opere, & maximè ſcandalis à vobis datis eos ad peccandum impellentes? Fortè dicetis, nùnquam vos leges iniquas condidiſſe, nec coram proximo turpia exercuiſſe aut aliquem ſcandalizâſſe, ſed iterum vobis ob oculos pono Paulinam ad Rom. *Non ſolùm digni ſunt morte, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Rom. 1. 16. Conſenſiſtis cùm approbaſtis, & errorem foviſtis, & cum omnibus peccantibus peccâſtis. Sed cùm inter novem peccata Aliena unum ſit, quod propriè vocatur diabolicum, ſcilicet *Irritatio*, rogo vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, obteſtorque, ne filii Dei Altiſſimi, ingenitæ nobilitatis veſtræ obliti, adeò dejiciatis vos, ut Chriſtiano nomine inſigniti, *Satanæ* dici, & eſſe velitis, irritantes proximum ad malum, quod proprium

prium diabolorum eſt. Et ſi hactenùs irritatione diabolicâ alios peccare feceetis, nolite ſaltem impoſterùm eò malitię devenire, ut, eos laudando vel adulando, in malo perſeverent. Non enim poteſtis diabolo gratius præſtare beneficium, nec majorem Deo inferre injuriam; quia: *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, exacerbavit Dominum peccator.* Sicque vos reos æternæ damnationis, ob ea quæ approbatis, conſtituitis, majorem ſæpè incurrentes damnationem quam ipſi delinquentes. Siccine ergò vos, qui Chriſtiani eſtis, adulationibus & laudibus veſtris malos in peccatis fovere velletis, tanquàm alienæ damnationis inſtrumenta, ubi ſcitis quòd unicuique mandavit Deus de proximo ſuo, & correctio fraterna ita ſit ſub præcepto, ut ſi neglexeritis eum corrigere, pejores eo facti ſitis qui peccavit, incurrentes peccatum Alienũ: *Subticentia culpæ alienæ?* Nolite, nolite animas perdere ſed lucrari, ne, omittentes lucrari animam fratris delinquentis, damnetis & propriam, quia tot animas occiditis, quot ad mortem ire tepidi ac tacentes videtis. Audite hæc Principes Judices, Magiſtratus & Superiores, qui maleficis & iniquis connivetis, & eos impunè abire permittitis. Audite & retinete ſemper verba Dei
Eccli. 8. Eccli. 8. *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Et ſcitote vos omnium furtorum, latrociniorum ac malorum, quæ illi maligni iterùm committunt coram Deo, reos eſſe: per impunitatem enim impiorum malitia convaleſcit, per hanc in ſuis ſtercoribus miſeri computreſcunt: & facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti; quin imo vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit. Et ſi hæc vos non moveant, moveant ſaltem verba Jeremiæ 48.
Dei Jeremiæ 48. *Maledictus qui prohibet gladium à ſanguine.* Audiant me patres & matres nimiùm conniventes cum prolibus ſuis, ideoque non parentes, ſed parricidis immaniores & ſceleratiores, non parentes ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filii, quorum filii colligunt ligna, patres ſuccendunt ignem, & matres conſpergunt adipem. Attendite parentes & videte, ne poſt hanc vitam conquerantur contra vos filii veſtri, & ne vindictam clament contra vos: Non nos perdidimus, perdidit nos paterna perfidia, parentes ſenſimus parricidas, conniventiâ eorum factum eſt, quòd æternùm damnemur. Iudices ſpirituales, qui ad Dei tribunal ſedetis, ubi de animarum ſalute agitur, & vos attendite, poſiti enim eſtis à Deo: *Quaſi rationem pro animabus reddituri.* Videte, ne in pœnitentibus nimiùm conniveatis, aut in eos nimiùm ſæviatis, videte ne vobis imputetur, quòd gladium Petri rubigo conſumat. Cùm latrone nihil ſit ſceleſtius, & vir probus mallet vitam finire quàm furto ſtigmate inuri, attendite NN. ne de hac urbe veſtra N. verificentur verba Iſaiæ 1.
Iſaiæ 1. *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicii, juſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ: principes tui, ſocii furum* participantes rei Alienæ. Fures ſunt aut ſaltem ſocii furum qui auferunt violentum

 abſque

abſque manu, fures ſunt aut ſocii furum, judices diligentes munera, ſequentes retributiones, pupillo non judicantes; Advocati, Procuratores, Notarii, qui corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Fures aut ſocii furum ſunt, quotquot aliena detinent. Sed ſciant hi omnes ad reſtitutionem ſe teneri, quæ ita eſt de neceſſitate ſalutis, ut nec Epiſcopus, nec ipſe Papa abſolvere eos poſſit. At cùm de animarum reſtitutione ſit ſermo noſter Conſiliarii diaboli, legum diabolicarum conditores, iiſdem conſentientes, Irritatores, Adulatores, Reticentes culpas Alienas, Conniventes, Participantes rei alienæ, pravi Defenſores, fures & latrones animarum, qui pravo veſtro Conſilio, iniquâ Juſſione aut ſcandalo, perverſo Conſenſu, Irritatione diabolicâ, Adulatione fraudulentâ, Reticentiâ culpæ alienæ, Conniventiâ damnabili, Participatione rei alienæ, & ſatanicâ Defenſione animas prætioſo Chriſti Sanguine redemptas, rapuiſtis de manu Dei eaſq; tradidiſtis in manus inimici, Iterũ clamo, Reſtitutionem, reſtitutionem. *Animam pro anima.* Alioquin: *Aduſtionem pro aduſtione*, Ignem pro igne. Modum reſtitutionis faciendæ herì oſtendi, unde non eſt quod illum repetam: hoc ſolùm rogo, ut, indies veſperi conſcientias veſtras examinantes, cum Magno Auguſtino ſeriò dicatis Deo: *Ab occultis meis munda me Domine: & ab Alienis parce ſervo tuo. Delicta mea inquinant me: delicta aliena affligunt me: ab illis munda me, ab his parce.* Aut ſimpliciter cum Davide: Ab occultis meis munda me, & ab Alienis parce ſervo tuo. *Dicat omnis populus.* Amen. S. Auguſtin.

IN FESTO
NATIVITATIS D.N.J.C.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

I. HOdie Verbum Patris, tamquàm ſponſus procedit de utero glorioſiſſimæ Virginis, in quo naturam humanam in ſponſam aſſumpſerat, illam in Unitatem ſuæ Perſonæ copulans: ut, ſicut ex ſponſa fit una caro, ſic Deus & homo unã ſola eſſet Perſona, ab æqualitate Patris egrediens, non quidem, quòd illam perderet, ſed quòd à ſummo cœlo egreſſio ejus: quia, quam priùs non habebat, mortalitatem noſtram induit, ut veſtiat nos immortalitate ſuâ. Hodie *Summus omnium, factus eſt imus omnium.* Hodie *Venit univerſalis Conditor, & Creator omnium ad creaturam: venit Deus & homo ad homines, & propter homines.* Hodie *Venit juſtus ad nos peccatores, ut ex peccatoribus juſtos faceret: pius venit ad impios, ut nos faceret pios; humilis venit ad ſuperbos, ut nos humiliaret; venit Salvator ad perditos, ut nos in æternum ſalvaret.* Hodie natus eſt, S. Bernardus S. Auguſt.

eſt, à quo agnoſcunt Angeli reparationem, homines redemptionem, dæmones deſtructionem, juſti gratiam, peccatores veniam, pœnitentes gaudium, cœli gloriam, terra pacem. In hoc ſacratiſſimo Myſterio latet reparatio mundi, ſalus hominis, reſtauratio Angelorum, clades ſatanæ, deſtructio peccati, ruina inferni, inſtitutio Eccleſiæ, vocatio Gentium. Hinc non miror,
Iſaiæ 9. 6. quòd Deus Incarnandus ab Evangelico Propheta dicatur: *Admirabilis; Vocabitur nomen ejus: Admirabilis*. Myſterium inauditum, prodigium mirabile, paradoxum incredibile; Deus & homo, ſublimitas & profundum, lætitia & triſtitia, beatitudo & paſſio, Creator & creatura, Divinitas & humanitas, æternitas & tempus, felicitas & miſeria, gloria & ignominia, honor & infamia, innocentia & condemnatio, libertas & ſervitus, divitiæ & paupertas, virtus & infirmitas, immenſitas & terminus, impaſſibilitas & paſſio, immortalitas & mors. Quis unquam audivit talia?
Iſaiæ 53. 1. *Quis credidit auditui noſtro? Audite, & obſtupeſcite, & admiramini.* Sublimitas deprimitur in profundum, longitudo abbreviatur, latitudo reſtringitur, lætitia contriſtatur, beatitudo patitur, Creator unitur creaturæ, infinitus terminatur, Dominus fit ſervus, Monarcha ſubditus, immortalis mortalis, Verbum Divinum infans; *Quis credidit?* Æternitas mutatur, fortitudo tremit, gloria obſcuratur, Majeſtas ſubjicitur, potentia regitur, opulentia depauperatur, Verbum eſt ſine verbo, aqua ſitit, eſca famet, ſalus patitur, vita moritur. *Quis audivit talia mirabilia? Vocabitur nomen ejus: Admirabilis*; adeò *Admirabilis*, ut ſit ſimul homo & Deus: ut ſit infans, ſciat tamen omnia: faſciis involutus, & tamen liget mare & ventos: ſupra vile fœnum jacens, &
tamen *Sedet ſuper Cherubim*: in ſta- Pſal 98. 1.
bulo manens, & *Cœli cœlorum te capere* 3 Reg. 8. 27.
non poſſunt: indiget calido brutorum alitu, & Dominus eſt omnium:
pauco lacte paſcitur, *Et implet omne* Pſal. 144 16.
animal benedictione: vagit in cunis infans & cœlum replet gaudio: non
ſubſiſtit pedibus, *Et appendit tribus* Iſaiæ 40 12.
digitis molem terræ: neſcit formare verba, & eſt eſſentialiter Verbum: habet Virginem Matrem, habet & Deum Patrem: ſubjacet miſeriis humanis, & Angelos facit æternùm felices: verus ex carne homo, ſed Perſona non diſtincta à Verbo: Verbum caro factum eſt. *Quis credidit auditui noſtro? Audite, & obſtupeſcite, & admiramini.* Quis audivit talia mirabilia? Unus hîc pro multis
audiatur D. Cyprianus: *In cæteris* S.Cyprianus
mirabilibus mihi aliqua ſatisfaciunt rationes; hic me totus complectitur ſtupor. de Nat.Chr.
Dicat nunc Propheta Regius fiduciâ magnâ: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* Dicamus & nos NN. hodie dies admirationis eſt; hodie impletur vaticinium Iſaiæ
30. *Erunt oculi tui videntes preceptorem tuum; & aures tuæ audient verbum*, Iſaiæ 30 20.
docens legem Evangelicam, & ex peccatoribus nos juſtos faciens. Eſt primum punctum. Sed ò novæ admirationis monſtrum! Divinum hoc Verbum fit hodie à multis in ſignum cui contradicitur. Homo, pro quo Deus factus homo, mavult de Synagoga eſſe ſatanæ, quàm ſe ſub-

mittere legibus Verbi incarnati. Erit ſecundum. Attendite, videbitis & audietis mirabilia hodie.

II. Antequàm Verbum Patris incarnaretur non erat res parva, reſpondere quæſtioni objectæ à Jobo
Job 28. 12. Propheta Cap. 28. *Sapientia ubi invenitur, & quis eſt locus intelligentiæ?*
Verſ. 21. Non erat, qui aſſequeretur: *Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium*; ſolus Deus noverat habitationem ejus, & vias perveniendi ad eam;
Verſ. 23. *Deus intelligit viam ejus, & novit locum illius.* Verum eſt, dixerat Deus
Eccli. 1. 5. in lege veteri: *Fons ſapientiæ, verbum Dei in excelſis*: ſed abſconditus erat fons ille in ſinu Patris, neque ex illo haurire quis poterat, niſi altæ Intelligentiæ, & Spiritus ſublimes: *Fons*
Zachar. 13. 1. ille hodie patet *domui David, & habitantibus Jeruſalem*; audite Mellea
S. Bernardus. Melliflui verba: *Ecce jam trahitur de occultis velata Sapientia*; trahitur à Patre in ſtabulum Bethlehemiticum, qui poſuit Verbum in cathedra præſepii, ut Divinam æternamque revelet Sapientiam; ad hanc Sapientiam univerſa totius univerſi obmuteſcit ſapientia. Hîc hæret Grammaticus, & capere neſcit, quomodò verbum totum activum, à quo omnis natura producta eſt, à quo facta ſunt omnia, ita fiat paſſivum, ut
1. Petr. 2. 21. nullus magis ſit paſſus: *Paſſus eſt pro nobis.* Hîc ſtupet Rhetor, intelligere neſcius, quomodò idem nobilis & ignobilis, dives & pauper: *Simul*
Pſal. 48. 3. *in unum pauper & dives*: juſtus & peccator: *In ſimilitudinem carnis peccati.* Hîc miratur Logicus, videns quòd Inferior prædicetur de ſuo Superiore, homo ſcilicet de Deo, per communicationem idiomatum, ita ut verum ſit dicere: *Deus eſt homo.* Rom. 8. 3.
Miratur Philoſophus, dum videt illud, quod natura non patitur, ſcilicet quòd finito termino includatur infinitum, quòd in humana carne reperiatur Deus. Miratur hîc Geometra, dum videt menſuram majorem, concludi in minore: hoc eſt, in utero Mariæ Deum immenſum. Miratur, quòd æternus, factus ſit temporalis, quòd infinitus finiatur, quòd immenſus reſtringatur, & quòd figura univerſalis & ſphærica, poſita ſit in quadro: finaliter, neſcit menſurare abbreviatum Verbum. Hîc miratur Legis-peritus, videns innocentem crucifixum, & reum mortis liberatum. Hîc miratur Medicus, videns communem infirmitatem tantâ medicinarum varietate curari non poſſe, ſolâ tamen Paſſione, ac Sanguine Salvatoris morbos omnium noſtrûm auferri: *Cujus livore ſanati ſumus.* Iſaiæ 53. 5.
Hîc obſtupeſcit Arithmeticus, quia cernit incomprehenſibilem inter mortales numerari, concipere nequiens, qualiter Verbum hoc incarnatum ſit unum & diverſum: unum in Perſona, in natura diſcretum; compoſitum ſimul & ſimplex, ſalvâ ſemper ſimplicitate Perſonæ in diſcretione naturarum. Hîc hæret Muſicus, neſcius hanc concordare armoniam, quæ ex duobus planè diverſis faciat unum tantùm, manente integrâ & ſalvâ naturâ, & proprietate utriuſque. Hîc in ſtuporem datur Aſtrologus, dum videt naſcentem ſolem, tam densâ nube tectum, nec obſcurari, nec eclypſim pati. Hîc hæret Theologus, dum videt quòd Deus ſole lucidior, luce ipſâ fœcundior, omni ente ſuperior,

ſuperior, & indefectibili vitâ à ſemetipſo fruens, factus homo, ad mortem tendat: comprehendere neſcit, quomodò ſecundùm animam comprehenſor, viator ſit ſecundùm corpus: tribus digitis appendat molem terræ, ſuſtineri tamen debeat ab aliis: dirumpat cœlum, deſcendendo in mundum, & clauſtra Virginea non frangantur; comprehendere neſcit, quomodò Deus noſter ita ſit æternus, ut æternitas ejus nullo tempore menſuretur: & tamen hodie ſubjiciatur tempori.

Luc. 2. 15. III. *Tranſeamus ergò uſque Bethlehem, & videamus Verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis*; tranſeamus, *Ut poſſimus comprehendere, quæ ſit longitudo, & latitudo, & ſublimitas, & profundum* (Ephes. 3. 18.) æternæ Sapientiæ: *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Deus bone! Quæ latitudo in præſepio! Quæ longitudo in infante! Quæ ſublimitas in ſtabulo! Solùm hîc invenimus profundum, videntes Deum redactum ad centrum omnis depreſſionis. D. Greg. Naz. Serm. 1. (S. Greg. Naz.) de Annunc. loquens de ſtabulo, ait: « Thronus reverâ hîc erat Cherubi-„cus. Quid ſtabulum cum throno „Cherubico? Stabulum, locus eſt „animalium, ratione expertium, „rudium, & ſtolidorum; Cherubim „autem, idem eſt, ac *Plenitudo ſcien-„tiæ*; nempè ex quo ſpelæum hoc „elegit Verbum Divinum, ex ſtabu-„lo in cathedram mutatum eſt; ex „quo docens Puſio Doctor, ipſa „animalia, qualia ſunt bos & aſinus, „cognitionem Dei hauſerunt, & „ſtabulum in gymnaſium cœleſtis „Magiſterii eſt converſum. Huc „Magi, Chaldæorum ſapientiſſimi, „ad diſcendū accurrunt longinquis „itineribus, nec tanti Doctoris „erubeſcunt fieri diſcipuli. Hîc do-„cetur vera Theologia." Ita ille. Meritò nunc exclamet D. Thom. à Villa-Nova (D. Thomas à Villa-Nova.): *O magna cathedra præſepium iſtud, in quo reſidet Divina Sapientia, Magiſter orbis, totum ibi legitur Evangelium* in uno Verbo NN. eramus & nos aliquando inſipientes: ut ergò meliùs caperemus, non conſtringit nos audire longos diſcurſus, aut multos libros pervolvere, unum tantùm nobis Verbum proponit, inquit Aug. Tractat. 2. in Joannem; *Verbum Patris doctrina ſtabilis: Verbum, non ſonantis per ſyllabam, ſed permanentis cum Patre.* (S. Auguſtinus.) Magnum quidem & adorabile Verbum, ſed *Verbum abbreviatum in carne*, ut carnalis homo, qui, niſi quod carnale eſt, capit, hoc Verbum per verbum capere poſſet. Quàm melleis verbis de hoc Verbo abbreviato loquitur Mellifluus Serm. de Nativit. (S. Bernardus.) *Si nihil præter carnem carnalis homo novit audire, ecce Verbum caro factum eſt: audiat illud, vel in carne carnaliter, ut ita dixerim prædicatum.* Ut ſciant omnes, Verbum illud abbreviatum, in carne etiam ab indoctis & ſimplicibus percipi poſſe, primos hujus divinæ ſcholæ Diſcipulos, non divites voluit, non doctos, non Philoſophos, ſed paſtores ſimplices, & indoctos: quia *Intellectum dat parvulis.* Pſal. 118. 130.

IV. Lucæ 2. Cùm impleti eſſent dies Mariæ ut pareret, & peperiſſet Filium ſuum, & pannis eum involviſſet, reclinâſſetque eum in præſepio, quia non erat ei locus in diver-

 ſorio,

ſorio, Angelus Domini venit ad paſtores, agentes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, & ait: *Evangelizo vobis gaudium magnum: quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus. Hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Invenietis Filium Dei Altiſſimi, Verbum Patris, Divinam, æternamque Sapientiam, & in ſignum veritatis, *Invenietis ibi infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*; & ecce: *Venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem, cognoverunt de verbo.* O rem miram! Notate verba: *Videntes* tenerum infantem ſupra fœnum, inter bovem & aſinum, præ frigore vagientem, poſitum in præſepio, *Videntes* hanc S. Humanitatem: *Videntes cognoverunt.* Ad hoc ſpectaculum ſtupet cœlum, mirantur Spiritus Angelici, ſupremæ Intelligentiæ, *Videntes* de Verbo, quod hactenus hauſerant ex ſinu Patris, in tam vili cathedra deprædicari altiorem doctrinam, quàm ipſi perceperant. Audite cœleſtem Sponſam omnes Angelicos ſpiritus ad hoc ſtabulum invitantem

Lucæ 2, 10.

V. Cant. 3, 11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius.* Quæro, cur ſponſa illos non invitet ad coronam, quâ coronavit eum Pater, cùm illa ſit glorioſior? *Pater*, ut inquit Guilielmus Pariſ: *coronavit eum ante omnem diem*; coronavit Divinitate in die æterno generationis ejus; Mater autem coronavit eum in die deſponſationis illius, dum, concipiens Verbum, humanitate coronavit; ſi diadema Patris ſit Divinitas, infinitè excedens illud, quo coronavit eum Mater, cur ergò non invitantur Spiritus Angelici, qui ſunt *Filiæ Sion*, ad videndum potiùs Patris, quàm Matris diadema? Quia hoc ipſis mirabilius videtur, quàm illud. Quod Pater æternus fœcundo ſuo intellectu generet Verbum, in quo plenitudo Divinitatis inhabitat: *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*: Col. 2. 9. hoc aliqualiter concipere poſſunt: quia ſciunt, quòd Deus infinitus non poſſit generare, niſi Filium infinitum, æqualiter unum in eſſentia, & diſtinctum in Perſona, cùm non poſſit ſeipſum generare; licèt hoc illis ſit incomprehenſibile, & altiſſima abyſſus, non eſt tamen novum; quòd è ſinu illo Paterno ſe Verbum manifeſtet, ſtupent quidem: ſed quòd Deus homo fiat, infinitus finitus, æternus temporalis, Verbum ex Patre natum, iterùm naſcatur in utero Virginis, in forma ſervi, & ille ipſe Unigenitus, qui è ſinu Patris docuerat adeò ſublimes ſpiritus, modò in ſtabulo, ex cathedra præſepii, fiat Magiſter ſimplicium, prodigia ſunt, ſuper quibus non eſt, quòd ſolùm Propheta Regius omnes inclamet: *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram*; ſed & Sponſa cœleſtis Angelicos ſpiritus: *Egredimini.*

Cant. 3.

Guilielmus Pariſienſis.

Coll. 2. 9.

Pſal. 45. 9.

VI. Quid? Deus in ſtabulo, *Quia non erat ei locus in diverſorio?* *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*, tremit præ frigore? *Quem cœlum, & cœli cœlorum capere non poſſunt*, exigui ſtabuli ambitu continetur? qui

Lucæ 2. 7.

Pſ. 103

3. Reg. 8. 27.

Pſal. 103. 2. qui *Amictus lumine ſicut veſtimento*, non habet, undè nudum ejus corpuſculum tegatur? 3. Reg. 8. extructo templo, orbis miraculo, pro quo ædificando reliquerat David Salomoni 100000. auri talenta, & mille millium, & ſeptemdecim talenta argenti, præter ingens metalli & ferri pondus, exclamat Salomon, quaſi pudore ſuffuſus: *Ergone putandum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper* 3. Reg. 8. 27. *terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* Quid modò diceres Salomon, ſi non in templo tuo, quod eſt in Jeruſalem, ſed in ſtabulo Deum incarnatum videres? S. Thomas à Villa-Nova ſtupore plenus, quaſi ipſis vidiſſet oculis, deſcribit locum, & partum: *Intrat Virgo Regia domicilium, paleis, &* S. Thomas à Villa-Nova. *animalium ſtercore ſordidatum, domunculamque, vento & frigori perviam, gratanter inhabitat. Non ibi ſella, non lectus, non menſa, non ignis, non denique alia ſuppellex, præter humile præſepium, paſcendis animalibus aptum, in quo reclinavit eum.* Quaſi Matri compatiens, infantulum alloquitur: *Hæc, ſunt bone Jeſu, partûs ſolatia, quæ Matri puerperæ præparas? hæ deliciæ, hæc ampla palatia, hic miniſtrantium apparatus?* Hæc promiſſio, illi ab Angelo facta: *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob?* In ſtabulo poneris, qui contines mundum? Jaces in præſepio, & ſuper te mugiunt animalia, qui in nubibus tonas? Dicebas ipſe Iſaiæ 66. *Cœlum ſedes mea;* Iſaiæ 66. 1. *terra autem ſcabellum pedum meorum;* & nunc aliam ſedem, aliud ſcabellum non habes, quàm vile præſepium, & quidem inter bruta fœtida, inter aſinum & bovem, jacens ſupra fœnum? Deus ſupra fœnum? Horret animus vel ſolo cogitatu.

VII. Gen. 31. Jubente Deo, revertitur Jacob ad patrios lares cum Rachele uxore ſua, totaque familia; at illa furata erat idola patris. Audit Laban abiiſſe Jacob cum ſuis; illum inſequitur, & comprehenſum in monte Galaad objurgat, cur ita abiiſſet: ipſique exprobrat inter alia: *Cur furatus es deos meos?* Quibus auditis, ait Jacob: Quid? Furti me Gen. 31. 30. arguis? *Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus no-* Verſ. 32. *ſtris. Scrutare;* neſciebat enim, quòd Rachel furata eſſet idola, quæ, Labano omnia perſcrutante, abſconderat idola *Subter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper:* ſicque ſcrutantem om- Verſ. 34. ne tentorium, & nihil invenientem, eluſit: perſuadens ſibi, quòd pater numquam credere potuiſſet, idola ſua ſubtus ſtramenta cameli latitare, in loco tam vili, & abjecto jacere, quæ tamen ſolummodò erant ſimulacra dæmoniorum. Et Deus verus, Verbum Patris, unigenitus Dei Filius homo factus, & vix natus, jacet nudus ſupra ſtramenta? Et quidem inter bruta, inter bovem & aſinum? *Quis credidit auditui noſtro? Audite,* Rom. 10. 16. *& admiramini & obſtupeſcite.*

VIII. Gen. 8. Mandante Deo, ingreditur Noë, Sem, Cham, & Japheth filii ejus, & uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eis in arcam, & omne animal ſecundum genus ſuum, univerſaque jumenta in genere ſuo, &c. D. Chryſ. quaſi unà cum illis intrâſſet arcam, omniaque conſiderâſſet, unum præ omnibus

nibus miratur: *Ego virtutem juſti admiror, quando conſidero, quomodò potuerit verſari in medio beſtiarum.* Dico ergo iterùm cum D. Cypriano: *In cæteris mirabilibus mihi aliquæ ſatisfaciunt rationes, hîc me totus complectitur ſtupor, quando conſidero, quomodò* Verbum Patris, æterna Sapientia, *potuerit verſari in medio beſtiarum.* Ugo tamen Victorinus videtur aliqualem dare velle rationem, dum ſic loquitur: *Ponitur Dei Sapientia inter bovem & aſinum, ut erudiret rudem, moveret tardum: rudem ſenſu, tardum intellectu.* Ugo Vict. Preſſiùs D. Bern. Serm. 3. de Nativ. ſibi interroganti reſpondens: *Quid ergò ſtabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet ſeculi vanitatem.* S.Bernard. Indubiè, quod eructant, hauſerunt ex Apoſtolo Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo.* Tit. 2, 11.

IX. Quàm ſunt nobis mutata tempora! Quomodò ſecula ferrea converſa ſunt in aurea! In lege veteri mittebatur homo, ut exemplum ſumeret ab ipſis beſtiis: *Vade ad formicam, ô piger;* Proverb. 6. 6. Vade inquiebat Deus: Vade, piger in opere ſalutis tuæ, diſce à formica tibi providere pro æternitate, antequàm tempus tranſeat.: *Interroga jumenta, & docebunt te; & volatilia cæli, & indicabunt tibi.* Job 12. 7. Vade ad jumenta, & diſce ab eis gratitudinem, ſervitutem, & ſubjectionem Domino debitam, qui paſcit te, & implet omni benedictione: diſce à volatilibus cœli, non jacere in luto, à Deo creatus, ut ſupra ſtellas te ſubleves. Diſce ab ipſis vermiculis, in patientia ſufferre quamcumque injuriam, qui culpâ tuâ ipſis factus es vilior. Quid? Terra ipſa, de qua formatus es, ſufficienter docebit te, non ſuperbire, neque vindicare, licèt pedibus conculceris: *Loquere terræ, & reſpondebit tibi.* Verſ. 8. Hæc erant exemplaria, à Deo homini propoſita, quæ imitaretur; at modò omnium eſt mutata facies; Deus factus homo, elinguis licèt infans, modò dicit: *Diſcite à me.* Matt. 11. 29. Dominus infinitæ Majeſtatis humanâ carne ſe veſtit, ut ſit exemplum ſenſibile, conſequenter planum, & proportionatum, ut exaretur à rudi ſua & inculta creatura. *Ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.* Iſaiæ 25. 6. Sicque teſte D. Ambroſio Serm. 5. de Nat. ad illa verba Gen. 5. *Ad imaginem Dei factus eſt homo: Ecce in hac die, mutatâ vice, factus eſt Deus ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ut totùs noſter fieret.* S. Ambroſius. Quis modò non videat adimpleta, quæ Prophetice dicta ſunt?

X. Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum?* Iſaiæ 7. 14. Si umquam, modò audiendus eſt Melleus Bern. Serm. 3. de Nat. *O Sapientia, quæ de occultis traheris! O verè incarnata, & velata Sapientia! & tamen, Fratres, ipſe eſt, promiſſus olim parvulus, ſciens reprobare malum, & eligere bonum. Naſciturus Dei Filius, cujus in arbitrio erat, quodcumque vellet, elegit quod moleſtius eſt, præſertim parvulo, & pauperis Matris Filio, quæ vix pannos habebat ad involvendum, præſepe ad reclinandum. Non eſt tale judium mundi: aut iſte fallitur, aut mundus errat; ſed Divinam falli impoſſibile eſt Sapientiam. Chriſtus, qui non fallitur, eligit,* S. Bernardus. quod

quod carni moleſtius eſt; id ergò meliùs, id utiliùs, id potiùs eligendum ...... Malum ergò voluptas corporis, bonum ergò afflictio eſt, ſiquidem & hanc eligit, & illam reprobat puer ſapiens. Dicat mihi aliquis, cur inter alios titulos, & nomina, quibus Iſaias Chriſtum prædicit nominandum, ipſum vocet: *Conſiliarium? Vocabitur nomen ejus: Admirabilis, Conſiliarius?* Si infans naſcitur, quomodò *Conſiliarius?* Jam in præſepio conſilia Evangelica prædicat, non verbo, ſed opere, ex præſepis ſuggeſtu, quibus & mundi leges damnat, & illis contraria humanis inſtillat pectoribus: *Cœpit ab ea hora, quâ mundo apparere voluit, priùs facere, quàm docere altiſſimam paupertatem, rerum omnium abdicationem, ſic ut ei non eſſent panni, niſi viles, non ſua, ſed aliena ædes, non amicorum, non conſanguineorum, non conducti ſtabuli, determinati hoſpitii, ſed loci vagi atque communis, ut non crederetur natus alicui priùs, ſed communis omnibus factus, & totum diceretur eſſe Divinum, ubi nihil apparet humanum.* Ita Caſſianus Lib. 1. Cap. 1. Sed magis nervosè D. Chryſ. Hom. de Nat. *Clamat præſepe, & condemnat ſuperba ædificia, palatia inſana, domos tot ſumptibus erectas, quibus tamen ad breve tempus, ſcilicet, tamquam in diverſorio, manendum. Clamant ſtragulæ ex fœno, clamat præſepe, & ſugillant eburneos lectos, plumeos, & molles. Clamant panni, invehunturque in ſericas veſtes; vociferantur infantis lacrymæ, riſus, tripudia, &c. lac, quo infans nutritur, opipara & opulenta, ac lautiſſima convivia.* Et tamen, proh dolor! malunt multi Chriſtiani de Synagoga diaboli ſeductoris eſſe, veſtigia ejus ſequi, quàm nati Salvatoris conſilia, & juſſa exequi, facti inimici Crucis Chriſti, non ſolùm non ſequentes exemplum Præceptoris ſui, ſed aliud ſibi conſtituentes exemplar, cui adeò aſſimilantur in vita, quantùm aſſimilatur filius patri; ſic ut de illis dici poſſit: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Hoc plorans deplorat Bern. Serm. 4. de Nat. ad verba Luc. 2. *Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem, pannis involutum, & poſitum in præſepio;* Altè prædicantem ſimplicitatem Chriſtianam, & damnantem ſeculi faſtum. *In ſignum,* inquit mellifluus, *poſiti ſunt panni tui, Domine Jeſu, ſed in ſignum, cui à multis hodie contradicitur.* Panni tuī poſiti ſunt in ſignum humilitatis tuæ, ſed à multis in ſignum contradictionis: quia ab ipſis Chriſtianis, filiis tuis, ſequacibus tuis, indies illis contradicitur, purpuram & byſſum illis præferentibus. Æterna Sapientia eligit ſtabulum, eligit præſepe, eligit, quod moleſtius eſt, & homines *Voluptatum magìs amatores, quàm Dei,* ſuperbè ſapiunt, divitiis inhiant, carnalia quærunt, & Chriſto, de cathedra præſepii prædicanti, *Dixerunt: Recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

Iſaiæ 9. 6. — Caſſianus. — S. Chryſoſt. — Joann. 8. 44. — S. Bernardus. — 2. Timot. 3. 4. — Job 21. 14.

XI. Duas ſcientias docuit Chriſtus in ſtabulo; unam ſpeculativam, qualis eſt ipſa Incarnatio, &c. aliam practicam, qualis eſt animæ ſalus, acquirenda per obſervantiam lectionum ejus, per imitationem humilitatis, & paupertatis ejus. Prima ſcientia, quæ eſt ſcientia finis, facilè admittitur; ſecunda autem, quæ eſt ſcientia mediorum, *Scientia viarum,* non item; econtrà, dicunt: *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Quæ injuria

major inferri poſſet Divinæ Sapientiæ, quàm nolle illi credere? Dicere viro honeſto: *Mentiris*, maxima injuria eſt. Idipſum dicunt Chriſto non verbo, ſed opere, illi omnes Chriſtiani, qui ſequuntur vitanda, & vitant ſequenda, pleni iniquitate, opere reprobantes ſcientiam ſalutis, ob quam Filius Dei venit in mundum: *Ad dandam ſcientiam ſalutis*: præferentes cathedram peſtilentiæ, de qua hauriunt ſcientiam, Divinæ totaliter oppoſitam. Excandeſcens hîc Magnus Auguſtinus, exclamat: *Ut quid igitur Deus factus homo, ſi non corrigitur homo?* Quid juvàt ſpeculativè credere Deum Incarnatum, ſi idipſum practicè non credam? Loquatur pro me Origenes: *Quid mihi prodeſt, ſi in illa tantum carne, quam de Maria ſuſcepit, dicam veniſſe Chriſtum, & non oſtendam etiam in hac carne mea, quòd venerit?* Hoc non eſt credere Incarnationem, ſed deſtruere.

Lucæ 1. 77.

S Auguſt.

Origenes.

XII. Peto, cur Deus ſit factus homo? aut quid Incarnatione, & morte ſuâ intenderit? Tollere peccata mundi; iſto ſigno diſtinctivo eum cognitum fecit Præcurſor ejus, dicens: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*; ecce victima, quæ deſtruet peccatum mundi. Dicit peccatum in genere, quia non venit Chriſtus auferre hoc, vel illud peccatum in particulari tantùm, ſed quidquid participat malitiâ peccati: *Tollit peccata mundi*, ita ut teſtante Iſaiâ 17. deſtructio peccati ſit unicus fructus ab ipſo intentus: *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus*. Iſte eſt ſcopus, in quem Deus Incarnatus unicè dirigit omnes cogitationes, omnes actiones, promiſſiones; proteſtationes omnes, omnes labores, totam denique vitam & mortem deſtruere, auferre, & relegare de animabus noſtris iniquitatem; undè ſequitur manifeſtè, quòd quis peccans, quantùm in ipſo eſt, primarium effectum redemptionis noſtræ impediat, & deſtruat quidquid in iſtum finem fecit Verbum Incarnatum. Idipſum aſſerit Propheta Regius Pſal. 10. 3. *Quoniam, quæ perfeciſti, deſtruxerunt*; quod, eodem teſtante, exprobrant Deo Patri inimici ejus.

Ioan. 1. 29.

Iſaiæ 27. 9.

Pſal. 10. 3.

XIII. Pſal. 88. *Exprobraverunt inimici tui, exprobraverunt inimici tui commutationem Chriſti tui*; diaboli infernales rident, & eludunt Filium tuum: *Exprobraverunt commutationem Chriſti tui*, quòd ſtultam adeò, & inauditam commutationem tractet cum genere humano, ut ille, quem laudant aſtra matutina, in cœlum ſuum, viliſſimum præſepium eligat, in aulicos, bovem & aſinum, naſcatur ut parvulus in ſtabulo ſuper ſtramenta; quòd cognoſcat bos & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem eum non cognoſcat; imò poſt tantum Incarnationis beneficium, malint homines eſſe de Synagoga ſatanæ, quàm divini Præceptoris doctrinam ſequi. Ego illos cum S. Leone Papa alloquor Serm. 9. *O miſeri, qui non intelligunt quem ſequantur, cujus ſervituti ſe ſubjiciunt, & quantò ampliùs ei ſervierint, tantò majora tormenta ab eo ſuſcipient*. Quàm durum, quàm ſenſibile unigenito Dei Filio, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo*, videre ſe ab ingrato homine relin-

Pſal. 88. 52.

S. Leo Papa.

relinqui! Quàm glorioſum diabolo, ruinam noſtram & præcipitium quærenti, videre plures ſe Chriſto habere ſequaces! Ne ſpeculari, aut exaggerare me putetis, teſtetur hoc & pro me loquatur Doctor Mellifluus Bern. ad Fratres in eremo. Narrat ſe quâdam vice audiiſſe diabolum Crucifixo improperantem

S. Bernardus. hæc verba: *Ego nec crucem pertuli, nec alapas accepi, nec mortem ſuſtinui, & multos ſodales habeo; tu autem, Chriſte, tales mihi ſodales demonſtra.* Non ſum crucifixus, nec paſſus pro aliquo: plures tamen habeo, qui me ſequuntur, quàm te; plures malunt de mea eſſe Synagoga, quàm tuam frequentare ſcholam: *Tu autem, Chriſte, tales, & tot mihi ſodales demonſtra.* NN. mei, cogitate, qualis tunc fuerit Chriſti dolor: quàm penetrans jaculum; audire ſibi à dæmone improperari dolores, Paſ-

S. Leo. ſionem, & mortem ſuam. *O miſeri, qui non intelligunt, quem ſequantur.* Si hîc aliquis noſtrûm foret de numero illorum, qui malunt eſſe de Synagoga ſatanæ, audiat ille, quomodò in ipſum ſuum pandat aculeum Eccleſiæ Apis Mellea D. Bernardus: *Contra te clamat ſtabulum, clamat præſepe, clamant lacrymæ, clamant panni.*

XIV. Peto modò à vobis NN. mei: Numquid meritò pronunciat S. Aug. quòd infidelis peccando infernum mereatur, ſed Chriſtianus non ſolùm mereatur infernum, ſed ut pro eo creetur novus, in illo incomparabiliter crudelioribus torquendus pœnis? Habet peccatum Chriſtiani circumſtantiam, ſupra peccatum ipſius Luciferi: ſcilicet quòd fiat contra Incarnationem, exempla, doctrinam, & ipſam mortem Redemptoris. Gratia data Lucifero, & coapoſtatis ejus, non habuit pretium, Chriſti tinctum Sanguine, quod habuit gratia nobis data 1. Pet.

1. 2. *In aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti, gratia vobis, & pax multiplicetur.* 1. Petri 1. 2.

Si Apoſtolus, Philoſophos antiquos declaret inexcuſabiles, quia, edocti in ſchola naturæ, non glorificaverunt Deum, quem cognoverant ut Auctorem naturæ, *Ita ut ſint inexcuſabiles, quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt:* qualem nos Chriſtiani in die illo tremendo producere poterimus excuſationem? Nos, nos, qui edocti in ſchola fidei, confitentes Deum, qui, ut ſalvos nos faceret, factus eſt homo, pejus illũ tractamus ipſis barbaris? NN. mei dum adhuc tempus eſt, Rom. 1. 20

XV. *Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus Verbum.* Loquor cum Davide Pſal. 68. *Videant pauperes, & lætentur;* videant Dei Filium, natum in ſtabulo, pannis involutum, poſitum in præſepio, ad extremum paupertatis redactum: *Videant, & lætentur,* quòd in paupertate ſua, fratres & ſocii ſint Chriſti: *Videant humiles, & lætentur;* videant adeò humiliatum Deum, ut aſſumpſerit formam ſervi: *Videant* Deum inter bruta, *& lætentur,* quòd in humilitate, imitatores ſint Chriſti: *Videant* virgines, *& lætentur:* *Videant* Chriſtum ex caſtiſſima Virgine natum, ut Sponſum virginum, *& lætentur,* quòd ſponſæ ſint Chriſti: *Videant* peccatores contriti corde, *Videant,* quantùm à Chriſto amentur, qui, ut illos in priſtinum ſtatum reſtituat, non dubitavit aſſumere Lucæ 2. 15. Pſal. 68. 33.

abſque manu, fures ſunt aut ſocii furum, judices diligentes munera, ſequentes retributiones, pupillo non judicantes; Advocati, Procuratores, Notarii, qui corrupti & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. Fures aut ſocii furum ſunt, quotquot aliena detinent. Sed ſciant hi omnes ad reſtitutionem ſe teneri, quæ ita eſt de neceſſitate ſalutis, ut nec Epiſcopus, nec ipſe Papa abſolvere eos poſſit. At cùm de animarum reſtitutione ſit ſermo noſter Conſiliarii diaboli, legum diabolicarum conditores, iiſdem conſentientes, Irritatores, Adulatores, Reticentes culpas Alienas, Conniventes, Participantes rei alienæ, pravi Defenſores, fures & latrones animarum, qui pravo veſtro Conſilio, iniquâ Juſſione aut ſcandalo, perverſo Conſenſu, Irritatione diabolicâ, Adulatione fraudulentâ, Reticentiâ culpæ alienæ, Conniventiâ damnabili, Participatione rei alienæ, & ſatanicâ Defenſione animas pretioſo Chriſti Sanguine redemptas, rapuiſtis de manu Dei eaſq; tradidiſtis in manus inimici, Iterū clamo, Reſtitutionem, reſtitutionem. *Animam pro anima.* Alioquin: *Adustionem pro adustione,* Ignem pro igne. Modum reſtitutionis faciendæ herì oſtendi, unde non eſt quod illum repetam: hoc ſolùm rogo, ut, indies, veſperi conſcientias veſtras examinantes, cum Magno Auguſtino ſeriò dicatis Deo: *Ab occultis meis munda me Domine: & ab Alienis parce ſervo tuo. Delicta mea inquinant me: delicta aliena affligunt me: ab illis munda me, ab his parce.* Aut ſimpliciter cum Davide: Ab occultis meis munda me, & ab Alienis parce ſervo tuo. *Dicat omnis populus.* Amen. S. Auguſtin.

IN FESTO

NATIVITATIS D. N. J. C.

Ab Alienis parce ſervo tuo. Pſal. 18.

I. HOdie Verbum Patris, tamquàm ſponſus procedit de utero glorioſiſſimæ Virginis, in quo naturam humanam in ſponſam aſſumpſerat, illam in Unitatem ſuæ Perſonæ copulans: ut, ſicut ex ſponſa fit una caro, ſic Deus & homo una ſola eſſet Perſona, ab æqualitate Patris egrediens, non quidem, quòd illam perderet, ſed quòd à ſummo cœlo egreſſio ejus: quia, quam priùs non habebat, mortalitatem noſtram induit, ut veſtiat nos immortalitate ſuâ. Hodie *Summus omnium, factus eſt imus omnium.* Hodie *Venit univerſalis Conditor, & Creator omnium ad creaturam: venit Deus & homo ad homines, & propter homines.* Hodie *Venit juſtus ad nos peccatores, ut ex peccatoribus juſtos faceret: pius venit ad impios, ut nos faceret pios; humilis venit ad ſuperbos, ut nos humiliaret; venit Salvator ad perditos, ut nos in æternum ſalvaret.* Hodie natus eſt, S. Bernardus S. Auguſt.

eſt, à quo agnoſcunt Angeli reparationem, homines redemptionem, dæmones deſtructionem, juſti gratiam, peccatores veniam, pœnitentes gaudium, cœli gloriam, terra pacem. In hoc ſacratiſſimo Myſterio latet reparatio mundi, ſalus hominis, reſtauratio Angelorum, clades ſatanæ, deſtructio peccati, ruina inferni, inſtitutio Eccleſiæ, vocatio Gentium. Hinc non miror, [Iſaiæ 9. 6.] quòd Deus Incarnandus ab Evangelico Propheta dicatur: *Admirabilis; Vocabitur nomen ejus: Admirabilis.* Myſterium inauditum, prodigium mirabile, paradoxum incredibile: Deus & homo, ſublimitas & profundum, lætitia & triſtitia, beatitudo & paſſio, Creator & creatura, Divinitas & humanitas, æternitas & tempus, felicitas & miſeria, gloria & ignominia, honor & infamia, innocentia & condemnatio, libertas & ſervitus, divitiæ & paupertas, virtus & infirmitas, immenſitas & terminus, impaſſibilitas & paſſio, immortalitas & mors. Quis unquam [Iſaiæ 53. 1.] audivit talia? *Quis credidit auditui noſtro? Audite, & obſtupeſcite, & admiramini.* Sublimitas deprimitur in profundum, longitudo abbreviatur, latitudo reſtringitur, lætitia contriſtatur, beatitudo patitur, Creator unitur creaturæ, infinitus terminatur, Dominus fit ſervus, Monarcha ſubditus, immortalis mortalis, Verbum Divinum infans; *Quis credidit?* Æternitas mutatur, fortitudo tremit, gloria obſcuratur, Majeſtas ſubjicitur, potentia regitur, opulentia depauperatur, Verbum eſt ſine verbo, aqua ſitit, eſca famet, ſalus patitur, vita moritur. *Quis audivit* talia mirabilia? *Vocabitur nomen ejus: Admirabilis;* adeò *Admirabilis,* ut ſit ſimul homo & Deus: ut ſit infans, ſciat tamen omnia: faſciis involutus, & tamen liget mare & ventos: ſupra vile fœnum jacens, & tamen *Sedet ſuper Cherubim:* in ſta- [Pſal. 98. 1.] bulo manens, & *Cœli cælorum te capere non poſſunt:* [3 Reg. 8. 27.] indiget calido brutorum alitu, & Dominus eſt omnium: pauco lacte paſcitur, *Et implet omne* [Pſal. 144 16.] *animal benedictione:* vagit in cunis infans & cœlum [im]plet gaudio: non ſubſiſtit pedibus, *Et appendit tribus* [Iſaiæ 40 12.] *digitis molem terræ:* neſcit formare verba, & eſt eſſentialiter Verbum: habet Virginem Matrem, habet & Deum Patrem: ſubjacet miſeriis humanis, & Angelos facit æternùm felices: verus ex carne homo, ſed Perſona non diſtincta à Verbo: Verbum caro factum eſt. *Quis credidit auditui noſtro? Audite, & obſtupeſcite, & admiramini.* Quis audivit talia mirabilia? Unus hic pro multis audiatur D. Cyprianus: *In cæteris* [S. Cyprianus de Nat. Chr.] *mirabilibus mihi aliqua ſatisfaciunt rationes: hic me totus complectitur ſtupor.* Dicat nunc Propheta Regius fiduciâ magnâ: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* Dicamus & nos NN. hodie dies admirationis eſt; hodie impletur vaticinium Iſaiæ 30. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum,* [Iſaiæ 30 20.] docens legem Evangelicam, & ex peccatoribus nos juſtos faciens. Eſt primum punctum. Sed ò novæ admirationis monſtrum! Divinum hoc Verbum fit hodie à multis in ſignum cui contradicitur. Homo, prò quo Deus factus homo, mavult de Synagoga eſſe ſatanæ, quàm ſe ſub-

ſuperior, & indefectibili vitâ à ſemetipſo fruens, factus homo, ad mortem tendat: comprehendere neſcit, quomodò ſecundùm animam comprehenſor, viator ſit ſecundùm corpus: tribus digitis appendat molem terræ, ſuſtineri tamen debeat ab aliis: dirumpat cœlum, deſcendendo in mundum, & clauſtra Virginea non frangantur; comprehendere neſcit, quomodò Deus noſter ita ſit æternus, ut æternitas ejus nullo tempore menſuretur: & tamen hodie ſubjiciatur tempori.

Luc. 2. 15. III. *Tranſeamus ergò uſque Bethlehem, & videamus Verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis*; tranſeamus, *Ut poſſimus comprehendere, quæ ſit longitudo, & latitudo, & ſublimitas, & profundum* æternæ Sapientiæ: *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* (Ephes. 3. 18.) Deus bone! Quæ latitudo in præſepio! Quæ longitudo in infante! Quæ ſublimitas in ſtabulo! Solùm hic invenimus profundum, videntes Deum redactum ad centrum omnis depreſſionis. D. Greg. Naz. Serm. 1. de Annunc. loquens de ſtabulo, ait: (S. Greg. Naz.) "Thronus reverà hic erat Cherubicus. Quid ſtabulum cum throno Cherubico? Stabulum, locus eſt animalium, ratione expertium, rudium, & ſtolidorum; Cherubim autem, idem eſt, ac *Plenitudo ſcientiæ*; nempè ex quo ſpelæum hoc elegit Verbum Divinum, ex ſtabulo in cathedram mutatum eſt; ex quo docens Puſio Doctor, ipſa animalia, qualia ſunt bos & aſinus, cognitionem Dei hauſerunt, & ſtabulum in gymnaſium cœleſtis Magiſterii eſt converſum. Huc Magi, Chaldæorum ſapientiſſimi, ad diſcendū accurrunt longinquis itineribus, nec tanti Doctoris erubeſcunt fieri diſcipuli. Hic docetur vera Theologia." Ita ille. Meritò nunc exclamet D. Thom. à Villa-Nova: *O magna cathedra præſepium iſtud, in quo reſidet Divina Sapientia, Magiſter orbis, totum ibi legitur Evangelium* in uno Verbo NN. eramus & nos aliquando inſipientes: ut ergò meliùs caperemus, non conſtringit nos audire longos diſcurſus, aut multos libros pervolvere, unum tantùm nobis Verbum proponit, inquit Aug. Tractat. 2. in Joannem: *Verbum Patris doctrina ſtabilis: Verbum, non ſonantis per ſyllabam, ſed permanentis cum Patre.* (D. Thomas à Villa-Nova. S. Auguſtinus.) Magnum quidem & adorabile Verbum, ſed *Verbum abbreviatum in carne*, ut carnalis homo, qui, niſi quod carnale eſt, capit, hoc Verbum per verbum capere poſſet. Quàm melleis verbis de hoc Verbo abbreviato loquitur Mellifluus Serm. de Nativit. *Si nihil præter carnem carnalis homo novit audire, ecce Verbum caro factum eſt: audiat illud, vel in carne carnaliter, ut ita dixerim prædicatum.* (S. Bernardus.) Ut ſciant omnes, Verbum illud abbreviatum, in carne etiam ab indoctis & ſimplicibus percipi poſſe, primos hujus divinæ ſcholæ Diſcipulos, non divites voluit, non doctos, non Philoſophos, ſed paſtores ſimplices, & indoctos; quia *Intellectum dat parvulis.* Pſal. 118. 130.

IV. Lucæ 2. Cùm impleti eſſent dies Mariæ ut pareret, & peperiſſet Filium ſuum, & pannis eum involviſſet, reclinâſſetque eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio,

ſorio, Angelus Domini venit ad paſtores, agentes vigilias noctis ſuper gregem ſuum, & ait: *Evangelizo vobis gaudium magnum: quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus. Hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, poſitum in præſepio.* Invenietis Filium Dei Altiſſimi, Verbum Patris, Divinam, æternamque Sapientiam, & in ſignum veritatis, *Invenietis ibi infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*; & ecce: *Venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem, cognoverunt de verbo.* O rem miram! Notate verba: *Videntes* tenerum infantem ſupra fœnum, inter bovem & aſinum, præ frigore vagientem, poſitum in præſepio, *Videntes* hanc S. Humanitatem: *Videntes cognoverunt.* Ad hoc ſpectaculum ſtupet cœlum, mirantur Spiritus Angelici, ſupremæ Intelligentiæ, *Videntes* de Verbo, quod hactenùs hauſerant ex ſinu Patris, in tam vili cathedra deprædicari altiorem doctrinam, quàm ipſi perceperant. Audite cœleſtem Sponſam omnes Angelicos ſpiritus ad hoc ſtabulum invitantem

Lucæ 2. 10.

Cant. 3.

V. Cant. 3. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius.* Quæro, cur ſponſa illos non invitet ad coronam, quâ coronavit eum Pater, cùm illa ſit glorioſior? *Pater*, ut inquit Guilielmus Pariſ: *coronavit eum ante omnem diem*; coronavit Divinitate in die æterno generationis ejus; Mater autem coronavit eum in die deſponſationis illius, dum, concipiens Verbum, humanitate coronavit; ſi diadema Patris ſit Divinitas, infinitè excedens illud, quo coronavit eum Mater, cur ergò non invitantur Spiritus Angelici, qui ſunt *Filiæ Sion*, ad videndum potiùs Patris, quàm Matris diadema? Quia hoc ipſis mirabilius videtur, quàm illud. Quod Pater æternus fœcundo ſuo intellectu generet Verbum, in quo plenitudo Divinitatis inhabitat: *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*: Col. 2. 9. hoc aliqualiter concipere poſſunt; quia ſciunt, quòd Deus infinitus non poſſit generare, niſi Filium infinitum, æqualiter unum in eſſentia, & diſtinctum in Perſona, cùm non poſſit ſeipſum generare: licèt hoc illis ſit incomprehenſibile, & altiſſima abyſſus, non eſt tamen novum; quòd è ſinu illo Paterno ſe Verbum manifeſtet, ſtupent quidem: ſed quòd Deus homo fiat, infinitus finitus, æternus temporalis, Verbum ex Patre natum, iterùm naſcatur in utero Virginis, in forma ſervi, & ille ipſe Unigenitus, qui è ſinu Patris docuerat adeò ſublimes ſpiritus, modò in ſtabulo, ex cathedra præſepii, fiat Magiſter ſimplicium, prodigia ſunt, ſuper quibus non eſt, quòd ſolùm Propheta Regius omnes inclamet: *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram*; ſed & Sponſa cœleſtis Angelicos ſpiritus: *Egredimini.*

Guilielmus Pariſienſis.

Coll. 2. 9.

Pſal. 45. 9.

VI. Quid? Deus in ſtabulo, *Quia non erat ei locus in diverſorio?* Lucæ 2. 7.
Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, tremit præ frigore? Pſ. 103
Quem cœlum, & cœli cœlorum capere non poſſunt, 3. Reg. 8. 27.
exigui ſtabuli ambitu continetur?

qui

Pſal. 103. 2. qui *Amictus lumine ſicut veſtimento*, non habet, undè nudum ejus corpuſculum tegatur? 3. Reg. 8. extructo templo, orbis miraculo, pro quo ædificando reliquerat David Salomoni 100000 auri talenta, & mille millia, & ſeptemdecim talenta argenti, præter ingens metalli & ferri pondus, exclamat Salomon, quaſi pudore ſuffuſus: *Ergone putandum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælorum capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* Quid modò diceres Salomon, ſi non in templo tuo, quod eſt in Jeruſalem, ſed in ſtabulo Deum incarnatum videres? S. Thomas à Villa-Nova ſtupore plenus, quaſi ipſis vidiſſet oculis, deſcribit locum, & partum: *Intrat Virgo Regia domicilium, paleis, & animalium ſtercore ſordidatum, domunculamque, vento & frigori perviam, gratanter inhabitat. Non ibi ſella, non lectus, non menſa, non ignis, non denique alia ſuppellex, præter humile præſepium, paſcendis animalibus aptum, in quo reclinavit eum.* Quaſi Matri compatiens, infantulum alloquitur: *Hæc ſunt bone Jeſu, partûs ſolatia, quæ Matri puerperæ præparas? hæ delitiæ, hæc ampla palatia, hic miniſtrantium apparatus?* Hæc promiſſio, illi ab Angelo facta: *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob?* In ſtabulo poneris, qui contines mundum? Jaces in præſepio, & ſuper te mugiunt animalia, qui in nubibus tonas? Dicebas ipſe Iſaiæ 66. *Cælum ſedes mea; terra autem ſcabellum pedum meorum*; & nunc aliam ſedem, aliud ſcabellum non habes, quàm vile præſepium, & quidem inter bruta fætida, inter aſinum & bovem, jacens ſupra fœnum? Deus ſupra fœnum? Horret animus vel ſolo cogitatu.

3. Reg. 8. 27.

S. Thomas à Villa-Nova.

Iſaiæ 66. 1.

VII. Gen. 31. Jubente Deo, revertitur Jacob ad patrios lares cum Rachele uxore ſua, totaque familia; at illa furata erat idola patris. Audit Laban abiiſſe Jacob cum ſuis; illum inſequitur, & comprehenſum in monte Galaad objurgat, cur ita abiiſſet: ipſique exprobrat inter alia: *Cur furatus es deos meos?* Quibus auditis, ait Jacob: Quid? Furti me arguis? *Apud quemcumque inveneris deos tuos; necetur coràm fratribus noſtris. Scrutare*; neſciebat enim, quòd Rachel furata eſſet idola, quæ, Labano omnia perſcrutante, abſconderat idola *Subter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper*: ſicque ſcrutantem omne tentorium, & nihil invenientem, eluſit: perſuadens ſibi, quòd pater numquam credere potuiſſet, idola ſua ſubtus ſtramenta cameli latitare, in loco tam vili, & abjecto jacere, quæ tamen ſolummodò erant ſimulacra dæmoniorum. Et Deus verus, Verbum Patris, unigenitus Dei Filius homo factus, & vix natus, jacet nudus ſupra ſtramenta? Et quidem inter bruta, inter bovem & aſinum? *Quis credidit auditui noſtro? Audite, & admiramini & obſtupeſcite.*

Gen. 31. 30.

Verſ. 32.

Verſ. 34.

Rom. 10. 16.

VIII. Gen. 8. 8. Mandante Deo, ingreditur Noë, Sem, Cham, & Japheth filii ejus, & uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eis in arcam, & omne animal ſecundùm genus ſuum, univerſaque jumenta in genere ſuo, &c. D. Chryſ. quaſi unà cum illis intraſſet arcam, omniaque conſideraſſet, unum præ omnibus

nibus miratur: *Ego virtutem juſti admiror, quando conſidero, quomodò potuerit verſari in medio beſtiarum.* Dico ergo iterùm cum D. Cypriano: *In cæteris mirabilibus mihi aliquæ ſatisfaciunt rationes, hic me totius complectitur ſtupor, quando conſidero, quomodò* Verbum Patris, æterna Sapientia, *potuerit verſari in medio beſtiarum.* Ugo tamen Victorinus videtur aliqualem dare velle rationem, dum ſic loquitur:
Ugo Vict. *Ponitur Dei Sapientia inter bovem & aſinum, ut erudiret rudem, moveret tardum: rudem ſenſu, tardum intellectu.* Preſſiùs D. Bern. Serm. 3. de Nativ.
S. Bernard. ſibi interroganti reſpondens: *Quid ergò ſtabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet ſeculi vanitatem.* Indubiè, quod eructant, hauſerunt ex Apoſtolo Tit. 2.
Tit. 2. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo.*

IX. Quàm ſunt nobis mutata tempora! Quomodò ſecula ferrea converſa ſunt in aurea! In lege veteri mittebatur homo, ut exemplum ſumeret ab ipſis beſtiis: *Vade ad for-*
Proverb. 6. 6. *micam, ô piger;* Vade inquiebat Deus: Vade, piger in opere ſalutis tuæ, diſce à formica tibi providere pro æternitate, antequàm tempus tranſeat.: *Interroga jumenta, & docebunt*
Job 12. 7. *te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi.* Vade ad jumenta, & diſce ab eis gratitudinem, ſervitutem, & ſubjectionem Domino debitam, qui paſcit te, & implet omni benedictione: diſce à volatilibus cœli, non jacere in luto, à Deo creatus, ut ſupra ſtellas te ſubleves. Diſce ab ipſis vermiculis, in patientia ſufferre quamcumque injuriam, qui culpâ tuâ ipſis factus es vilior. Quid? Terra ipſa, de qua formatus es, ſufficienter docebit te, non ſuperbire, neque vindicare, licèt pedibus conculceris: *Loquere terræ, & reſpondebit* Verſ. 8.
tibi. Hæc erant exemplaria, à Deo homini propoſita, quæ imitaretur; at modò omnium eſt mutata facies; Deus factus homo, elinguis licèt infans, modò dicit: *Diſcite à me.* Dominus infinitæ Majeſtatis humanâ Matt. 11. 29.
carne ſe veſtit, ut ſit exemplum ſenſibile, conſequenter planum, & proportionatum, ut exaretur à rudi ſua & inculta creatura. *Ego ipſe, qui* Iſaiæ 25. 6.
loquebar, ecce adſum. Sicque teſte D. Ambroſio Serm. 5. de Nat. ad illa verba Gen. 5. *Ad imaginem Dei factus eſt homo: Ecce in hac die, mutatâ vice, factus eſt Deus ad imaginem, &* S. Ambroſius.
ſimilitudinem noſtram, ut totus noſter fieret. Quis modò non videat adimpleta, quæ Propheticè dicta ſunt

X. Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet,* Iſaiæ 7. 14.
& pariet Filium, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum? Si umquam, modò audiendus eſt Melleus Bern. Serm. 3. de Nat. *O Sapientia, quæ de* S. Bernardus.
occultis traheris! O verè incarnata, & velata Sapientia! & tamen, Fratres, ipſe eſt, promiſſus olim parvulus, ſciens reprobare malum, & eligere bonum. Naſciturus Dei Filius, cujus in arbitrio erat, quodcumque vellet, elegit quod moleſtius eſt, præſertim parvulo, & pauperis Matris Filio, quæ vix pannos habebat ad involvendum, præſepe ad reclinandum. Non eſt tale judicium mundi: aut iſte fallitur, aut mundus errat; ſed Divinam falli impoſſibile eſt Sapientiam. Chriſtus, qui non fallitur, eligit, quod

quod carni moleſtiùs eſt; id ergò meliùs, id utiliùs, id potiùs eligendum ...... *Malum ergò voluptas corporis, bonum ergò afflictio eſt, ſiquidem & hanc eligit, & illam reprobat puer ſapiens.* Dicat mihi aliquis, cur inter alios titulos, & nomina, quibus Iſaias Chriſtum prædicit nominandum, ipſum
Iſaiæ 9. 6. vocet: *Conſiliarium? Vocabitur nomen ejus: Admirabilis, Conſiliarius?* Si infans naſcitur, quomodò *Conſiliarius?* Jam in præſepio conſilia Evangelica prædicat, non verbo, ſed opere, ex præſepis ſuggeſtu, quibus & mundi leges damnat, & illis contraria humanis inſtillat pectoribus: *Cœpit ab ea hora, quâ mundo apparere voluit, priùs facere, quàm docere altiſſimam paupertatem, rerum omnium abdicationem, ſic ut ei non eſſent panni, niſi viles, non ſua, ſed aliena ædes, non amicorum, non conſanguineorum, non conducti ſtabuli, determinati hoſpitii, ſed loci vagi*
Caſſianus. *atque communis, ut non crederetur natus alicui priùs, ſed communis omnibus factus, & totum diceretur eſſe Divinum, ubi nihil apparet humanum.* Ita Caſſianus Lib. 1. Cap. 1. Sed magìs nervosè D. Chryſ. Hom. de Nat. *Clamat*
S. Chryſoſt. *præſepe, & condemnat ſuperba ædificia, palatia inſana, domos tot ſumptibus erectas, quibus tamen ad breve tempus, ſcilicet, tamquam in diverſorio, manendum. Clamat ſtragula ex fœno, clamat præſepe, & ſugillant eburneos lectos, plumeos, & molles Clamant panni, invehunturque in ſericas veſtes; vociferantur infantis lacrymæ, riſus, tripudia, &c. lac, quo infans nutritur, opipara & opulenta, ac lautiſſima convivia.* Et tamen, proh dolor! malunt multi Chriſtiani de Synagoga diaboli ſeductoris eſſe, veſtigia ejus ſequi, quàm nati Salvatoris conſilia, & juſſa exequi, facti inimici Crucis Chriſti, non ſolùm non ſequentes exemplum Præceptoris ſui, ſed aliud ſibi conſtituentes exemplar, cui adeò aſſimilantur in vita, quantùm aſſimilatur filius patri; ſic ut de illis dici poſſit: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Joann 8. 44.
Hoc plorans deplorat Bern. Serm. 4. de Nat. ad verba Luc. 2. *Et hoc vobis* S. Bernardus.
ſignum: invenietis infantem, pannis involutum, & poſitum in præſepio; Altè prædicantem ſimplicitatem Chriſtianam, & damnantem ſeculi faſtum. *In ſignum*, inquit mellifluus, *poſiti ſunt panni tui, Domine Jeſu, ſed in ſignum, cui à multis hodie contradicitur.* Panni tui poſiti ſunt in ſignum humilitatis tuæ, ſed à multis in ſignum contradictionis: quia ab ipſis Chriſtianis, filiis tuis, ſequacibus tuis, indies illis contradicitur, purpuram & byſſum illis præferentibus. Æterna Sapientia eligit ſtabulum, eligit præſepe, eligit, quod moleſtius eſt, & homines *Voluptatum magis amatores,* 2. Timot 3. 4.
quàm Dei, ſuperbè ſapiunt, divitiis inhiant, carnalia quærunt, & Chriſto, de cathedra præſepii prædicanti, *Dixerunt: Recede à nobis ſcientiam* Job 21. 14.
viarum tuarum nolumus.

XI. Duas ſcientias docuit Chriſtus in ſtabulo; unam ſpeculativam, qualis eſt ipſa Incarnatio, &c. aliam practicam, qualis eſt animæ ſalus, acquirenda per obſervantiam lectionum ejus, per imitationem humilitatis, & paupertatis ejus. Prima ſcientia, quæ eſt ſcientia finis, facilè admittitur; ſecunda autem, quæ eſt ſcientia mediorum, *Scientia viarum*, non item; econtrà, dicunt: *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Quæ injuria

major inferri poſſet Divinæ Sapientiæ, quàm nolle illi credere? Dicere viro honeſto: *Mentiris*, maxima injuria eſt. Idipſum dicunt Chriſto non verbo, ſed opere, illi omnes Chriſtiani, qui ſequuntur vitanda, & vitant ſequenda, pleni iniquitate, opere reprobantes ſcientiam ſalutis, ob quam Filius Dei venit in mundum: *Ad dandam ſcientiam ſalutis*: præferentes cathedram peſtilentiæ, de qua hauriunt ſcientiam, Divinæ totaliter oppoſitam. Excandeſcens hîc Magnus Auguſtinus, exclamat: *Ut quid igitur Deus factus homo, ſi non corrigitur homo?* Quid juvàt ſpeculativè credere Deum Incarnatum, ſi idipſum practicè non credam? Loquatur pro me Origenes: *Quid mihi prodeſt, ſi in illa tantùm carne, quam de Maria ſuſcepit, dicam veniſſe Chriſtum, & non oſtendam etiam in hac carne mea, quòd venerit?* Hóc non eſt credere Incarnationem, ſed deſtruere.

Lucæ 1. 77.

S August.

Origenes.

XII. Peto, cur Deus ſit factus homo? aut quid Incarnatione, & morte ſuâ intenderit? Tollere peccata mundi; iſto ſigno diſtinctivo eum cognitum fecit Præcurſor ejus, dicens: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*; ecce victima, quæ deſtruet peccatum mundi. Dicit peccatum in genere, quia non venit Chriſtus auferre hoc, vel illud peccatum in particulari tantùm, ſed quidquid participat malitiã peccati: *Tollit peccata mundi*, ita ut teſtante Iſaiâ 17. deſtructio peccati ſit unicus fructus ab ipſo intentus; *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.* Iſte eſt ſcopus, in quem Deus Incarnatus unicè dirigit omnes cogitationes, omnes actiones, promiſſiones; proteſtationes omnes, omnes labores, totam denique vitam & mortem deſtruere, auferre, & relegare de animabus noſtris iniquitatem; undè ſequitur manifeſtè, quòd quis peccans; quantùm in ipſo eſt, primarium effectum redemptionis noſtræ impediat, & deſtruat quidquid in iſtum finem fecit Verbum Incarnatum. Idipſum aſſerit Propheta Regius Pſal. 10. 3. *Quoniam, quæ perfeciſti, deſtruxerunt*; quod; eodem teſtante, exprobrant Deo Patri inimici ejus.

Joan. 1. 29.

Iſaiæ 27. 9.

Pſal. 10. 3.

XIII. Pſal. 88. *Exprobraverunt inimici tui, exprobraverunt inimici tui commutationem Chriſti tui*; diaboli infernales rident, & eludunt Filium tuum: *Exprobraverunt commutationem Chriſti tui*, quòd ſtultam adeò, & inauditam commutationem tractet cum genere humano, ut ille, quem laudant aſtra matutina, in cœlum ſuum, viliſſimum præſepium eligat, in aulicos, bovem & aſinum, naſcatur ut parvulus in ſtabulo ſuper ſtramenta; quòd cognóſcat bos & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem eum non cognóſcat; imò poſt tantum Incarnationis beneficium, malint homines eſſe de Synagoga ſatanæ, quàm divini Præceptoris doctrinam ſequi. Ego illos cum S. Leone Papa alloquor Serm. 9. *O miſeri, qui non intelligunt quem ſequantur, cujus ſervituti ſe ſubjiciunt, & quantò ampliùs ei ſervierint, tantò majora tormenta ab eo ſuſcipient.* Quàm durum, quàm ſenſibile unigenito Dei Filio, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo*, videre ſe ab ingrato homine relin-

Pſal. 88. 52.

S. Leo Papa.

relinqui! Quàm glorioſum diabolo, ruinam noſtram & præcipitium quærenti, videre plures ſe Chriſto habere ſequaces! Ne ſpeculari, aut exaggerare me putetis, teſtetur hoc & pro me loquatur Doctor Mellifluus Bern. ad Fratres in eremo. Narrat ſe quâdam vice audiiſſe diabolum Crucifixo improperantem hæc verba: *Ego nec crucem pertuli, nec alapas accepi, nec mortem ſuſtinui, & multos ſodales habeo; tu autem, Chriſte, tales mihi ſodales demonſtra.* Non ſum crucifixus, nec paſſus pro aliquo: plures tamen habeo, qui me ſequuntur, quàm te; plures malunt de mea eſſe Synagoga, quàm tuam frequentare ſcholam: *Tu autem, Chriſte, tales, & tot mihi ſodales demonſtra.* NN. mei, cogitate, qualis tunc fuerit Chriſti dolor: quàm penetrans jaculum; audire ſibi à dæmone improperari dolores, Paſſionem, & mortem ſuam. *O miſeri, qui non intelligunt, quem ſequantur.* Si hîc aliquis noſtrûm foret de numero illorum, qui malunt eſſe de Synagoga ſatanæ, audiat ille, quomodò in ipſum ſuum pandat aculeum Eccleſiæ Apis Mellea D. Bernardus: *Contra te clamat ſtabulum, clamat præſepe, clamant lacrymæ, clamant panni.*

S. Bernardus.

S. Leo.

XIV. Peto modò à vobis NN. mei: Numquid meritò pronunciat S. Aug. quòd infidelis peccando infernum mereatur, ſed Chriſtianus non ſolùm mereatur infernum, ſed ut pro eo creetur novus, in illo incomparabiliter crudelioribus torquendus pœnis? Habet peccatum Chriſtiani circumſtantiam, ſupra peccatum ipſius Luciferi: ſcilicet quòd fiat contra Incarnationem, exempla, doctrinam, & ipſam mortem Redemptoris. Gratia data Lucifero, & coapoſtatis ejus, non habuit pretium, Chriſti tinctum Sanguine, quod habuit gratia nobis data 1. Pet. 1. 2. *In aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti, gratia vobis, & pax multiplicetur.* Si Apoſtolus, Philoſophos antiquos declaret inexcuſabiles, quia, edocti in ſchola naturæ, non glorificaverunt Deum, quem cognoverant ut Auctorem naturæ, *Ita ut ſint inexcuſabiles, quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt:* qualem nos Chriſtiani in die illo tremendo producere poterimus excuſationem? Nos, nos, qui edocti in ſchola fidei, confitentes Deum, qui, ut ſalvos nos faceret, factus eſt homo, pejus illũ tractamus ipſis barbaris? NN. mei dum adhuc tempus eſt,

1. Petri 1. 2.

Rom. 1. 20

XV. *Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus Verbum.* Loquor cum Davide Pſal. 68. *Videant pauperes, & lætentur;* videant Dei Filium, natum in ſtabulo, pannis involutum, poſitum in præſepio, ad extremum paupertatis redactum: *Videant, & lætentur*, quòd in paupertate ſua, fratres & ſocii ſint Chriſti: *Videant* humiles, *& lætentur*; videant adeò humiliatum Deum, ut aſſumpſerit formam ſervi: *Videant* Deum inter bruta, *& lætentur*, quòd in humilitate, imitatores ſint Chriſti: *Videant* virgines, *& lætentur*: *Videant* Chriſtum ex caſtiſſima Virgine natum, ut Sponſum virginum, *& lætentur*, quòd ſponſæ ſint Chriſti: *Videant* peccatores contriti corde, *Videant*, quantùm à Chriſto amentur, qui, ut illos in priſtinum ſtatum reſtituat, non dubitavit aſſumere

Lucæ 2. 15.

Pſal. 68. 33.

Mm 2 corpus

corpus mortale: *Videant*, & dicant cum S. Greg. Naz. (S.Greg. Naz.) *Divinam imaginem accepi nec ſartam tectamque habui; ille meam carnem ſuſcepit, ut & imagini ſalutem, & carni immortalitatem offerat. Videant, & lætentur*, quòd tanti à Chriſto habeantur. *Exultent*, inquit Leo Papa, (S. Leo.) *in laudem Dei corda fidelium, credentium, & mirabilia ejus confiteantur filii hominum, cùm in hoc præcipuè Dei opere humilitas noſtra cognoſcit, quanti eam æternus Conditor æſtimaverit, quòd nos ad imaginem ſuam fecerit, reparationi noſtræ longè ampliùs tribuit, cùm ſervuli formæ ipſe ſe Dominus comparavit.* Dico cum Iſaia 26. (Iſaiæ 26. 11.) *Videant, & confundantur; Videant* divites, ſuperbi, & elati corde, quòd Dominus omnis Majeſtatis pro domo non habeat, niſi ſtabulum, pro tapetibus ſtramen, pro aulæis aranearum telas, præſepe pro ſolemni lecto; *Videant, & confundantur*, quòd ipſi in lectis ſint eburneis, & parietes tapetibus pretioſis inſtructi: *Videant, & confundantur. Quid enim magis indignum, quid deteſtandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videas Deum cœli puerulum factum & ultrà apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis impudentia eſt, ut ubi ſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur, & intumeſcat*; inquit D. Bern. Serm. 1. de Nat. *Videant* voluptuoſi amatores ſeculi, *& confundantur*: *Videant* Puerulum Jeſum flentem, trementem præ frigore, *& confundantur*, dum & in ipſis natalitiis, ebrietatibus, voluptatibus, crapulis, & luxuriis ſuis indulgent: *Videant* vindicativi, *& confundantur: Videant* Deum, pro homine hominem factum, cùm adhuc inimicus eſſet, primò pacem obtuliſſe: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: (Lucæ 2. 14.) *Videant* ingrati peccatores, *& confundantur*: *Videant* amoris ignem in teneri Infantis ardere viſceribus, *& confundantur*, videntes in ſe ne vel ſcintillã micare: *Videant* pigri, & acedioſi, *& confundantur*: *Videant* Chriſtum dejectum, ut nos elevet, humiliatum, ut nos exaltet: *Ipſo noſtræ ſalutis causâ dejecto, & terreno facto, nos propter ipſum evecti, ac cœleſtes facti ſumus.* (S.Greg. Naz.) Confundantur ſuper intolerabili pigritia, & acedia ſua, quâ Chriſto, manum porrigenti, correſpondere dedignantur: *Videant* Chriſtum natum adorantes Angelos, quorum non aſſumpſit naturam: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*: (Heb. 2. 16.) & erubeſcant, quòd illi, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & Incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & homo factus eſt*, vix genu dignentur flectere. Audiant Apoſtolum, de Verbo Incarnato loquentem.

XVI. Hebr. 1. *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ,* (Heb. 1. 6.) *dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Sed ubi, & quos inter adorant Angeli Verbum humanatum? In præſepio, ubi erat parvulus, plangens, & patiens paſtores inter, & jumenta: non ergò dedignabantur Angeli, ibi inter perſonas adeò viles & abjectas verſari? Non ſanè; audiatur ratio à D. Thoma à Villanova data: (Thomas à Villa-nova.) *Ibi Principatus & Poteſtates, Cherubim ac Seraphim, ibi Reges, & paſtores, & jumenta permixti, communem Creatorem adorant. Nullus contemnit alium, nullus ibi dicit: Quis*

es

es tu? Et quid ſum ego? ſed mirabili concordiâ Angeli, Principatus, ſuæ celſitudinis & dignitatis obliti, jumentis aſſociati non dedignantur Dominum inter ruſticos adorare. Et ſubdit: *Quis enim tunc ſuæ dignitatis meminiſſe deberet, cùm Divinam Majeſtatem coram oculis ſuis videret præſepio reclinatum, pannis involutum, in puero tenero præ frigore vagientem?* Audiant hæc, & confundantur illi, qui in Bethlehem, in domo panis, Panem Angelorum manducaturi, dedignantur in communi ſcamno Communionis illum ſumere, ne communi plebi commixti, ſuæ derogent excellentiæ. Audiant dico, & confundantur. Nos autem NN. *Tranſeamus uſque Bethlehem & videamus hoc Verbum, quod factum eſt*, & habitavit in nobis, ut habitemus in illo. Tranſeamus terrena omnia, tranſeamus Angelos, Cherubim, Seraphim, creaturas omnes: non enim creatura eſt hoc Verbum, ſed creaturarum omnium Conditor: tranſeamus ſenſum, tranſeamus intellectum, tranſeamus uſque ad fidem & fidei oculis videamus hoc Verbum, quod Dominus oſtendit nobis: fides hoc Verbum videt, illius dignitatem fides agnoſcit, etſi in præſepio, paleiſque infantem cernat, Deum tamen Omnipotentem novit. Non ſolùm ſimus, ut Angeli, puri, & immaculati, ſed cùm nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, conſequenter Angelis digniores. Concludo cum D. Chryſoſtomo: *Revereamur noſtrum caput, cogitemus, cujus capitis ſimus corpus, cui omnia ſunt ſubjecta: Hoc exemplo nos Angelis oportet eſſe meliores, & Archangelis majores, ut qui iis, honoribus ſimus præpoſiti: non enim Angelos apprehendit Dominus.* Utinam! Utinam! Dicat omnis populus, Amen. S. Chryſoſt.

I N D E X

LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

In quo prima cyfra, ante quamlibet ſententiam poſita, caput Scripturæ, ſecunda verò capitis verſum indigitat; ubi tamen unica tantùm ante ſententiam occurrit, illa capitis immediatè antè citati verſum demonſtrat. Cyfræ verò poſt ſententias poſitæ, hoc modo ſe habent, ut prima hujus Adventûs de peccatis Alienis paginam, ſecunda verò cujuſque ſermonis numerum marginalem inſinuet.

Geneſis.

CAp.2. ℣.21. Replevit carnem pro ea. 236 4.
Cap 3. 1. Cur præcepit vobis Deus? 56. 11.
℣. 1. Cur precepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradiſi. 97. 1.
℣. 1. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus. 113. 6.
℣. 4. Maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ. 35. 10.
℣. 5. Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum. 45. 11. *Item* 99. 3.
℣. 7. Fecerunt ſibi perizomata ex foliis ficûs. 207 11.
℣. 8. Cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt ſibi folia ficûs 64 11.
Cap. 3. 15. Ipſa conteret caput tuum. 71. 4.
℣. 16. Sub viri poteſtate eris 102. 9.
Cap. 4. 9. Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? 75. 15.
℣. 9. Ubi eſt Abel frater tuus? 145. 4.
℣. 27. Septuplum de Cain dabitur Ultio, de Lamech ſepuagies ſepties. 23. 12.
Cap. 9. 23. *& ſeq.* At Sem & Japhet pallium impoſuerunt humeris ſuis & operuerunt verenda patris ſui 95. 14
℣. 25. Maledictus Charnaam ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. 200. 17.
Cap. 13. 7 Facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham & Loth. 183. 6.
Cap. 15. 8. Domine Deus, unde ſcire poſſum 20. 8.
Cap 16. 5. Iniquè agis contra me 183. 5.
Cap. 20. 4 Num Gentem ignorantem & juſtam interficies? 26. 17.
Cap. 21. 9. Ejice ancillam & filium ejus. 196. 10.
℣. 10. Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum filio. *Ibidem.*
Cap 22. 18. In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes terræ. 98. 2.
Cap 27. 3. *&* 4. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras ..... affer ut comedam, & benedicat tibi anima mea. 259. 7.
℣. 8. Acquieſce fili mi conſiliis meis. *Ibidem.*
℣. 9. *&* 10. Affer mihi duos hædos optimos ut faciam ex eis eſcas patri tuo. *Ibidem.*
℣. 11. Noſti quod Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis. *Ibidem.*
℣. 13 In me ſit iſta maledictio. *Ibidem.*
℣. 20. Quomodò tam citò invenire potuiſti fili mi. 215. 6.
Cap. 28. 19. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ priùs Luſa vocabatur. 122. 6.
Cap. 31. 30. Cur furatus es deos meos? 8. 9. *Item* 213. 3.
℣. 32. Apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus noſtris. *Ibidem.*
Cap. 34. 1. Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. 199. 15.
℣. 24. Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus. *Ibidem.*
Cap. 37. 30. Puer non comparet, & ego quò ibo? 214. 5.
℣. 32. Tunica filii mei eſt; fera peſſima devoravit eum. 102. 9.
℣. 33. Fera peſſima devoravit Joſeph. 215. 5.
Cap. 38. 24. Depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu ſedit in bivio. 70. 3.
Cap. 49. 3. Ruben primogenitus meus, principium doloris mei. 192. 4.
℣. 5. Simeon & Levi vaſa iniquitatis bellantia. *Ibidem.*
℣. 5. Simeon & Levi fratres vaſa iniquitatis bellantia. 49. 17.
℣. 6. Quia in furore occiderunt virum. *Ibidem.*
℣. 7. Maledictus furor eorum, quia perrinax. *Ibid.*
℣. 28. Benedixit ſingulis benedictionibus propriis. 192. 4.

Exodi.

CAp 1. ℣.16. Quando obſtetricabitis hebræos, & partûs tempus advenerit, ſi maſculus fuerit interficite eum. 51. 3.

℣ 17.

℣. 17. Timuerunt autem obſtetrices Deum , & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti. 204. 6.
Cap.2. 9. Accipe puerum iſtum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier, & nutrivit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis. 170. 4.
Cap.5. 1. Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi in deſerto. 53. 6.
℣. 2. Quis eſt Dominus ut audiam vocem ejus? & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum & Iſraël non dimittam. *Ibidem.*
℣. 4. Ite ad onera veſtra. *Ibidem.*
Cap.8. 8. Orate Dominum ut auferat ranas à me. 229. 12.
Cap.15. 27. Venerunt in Elim , ubi erant duodecim fontes. 232. 16.
Cap.17. 16. Bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem. 184 8.
Cap 20. 10. Non facies omne opus in eo , tu & filius tuus & filia tua , ſervus tuus & ancilla tua. 54. 7.
℣. 18. Cunctus populus videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ. 91. 6.
Cap.21. 9. Si bos cornupeta fuerit ab heri vel nudiuſtertius , & conteſtati ſunt Dominum ejus, neque recluſerit eum, occidat virum aut mulierem, & bos lapidibus obruetur ; & Dominum ejus occident. 189. 13.
℣. 33. Si quis aperuerit ciſternam & non operuerit eam , cecideritque bos aut aſina in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum. 77. 16. *Item* 246. 4.
Cap.22. 1. Si quis furatus fuerit bovem aut ovem , & occiderit vel vendiderit quinque boves pro uno bove reſtituet , & quatuor oves pro una ove. 238. 12.
℣. 6. Si egreſſus ignis comprehenderit ſtantes ſegetes in agris , reddet damnum qui ignem ſuccenderit. 72. 6.
℣. 18. Maleficos non patieris vivere. 188. 12.
Cap.23. 3. Pauperis non miſereberis in judicio. 224. 3.
Cap.24 4. Reſponditque omnis populus unâ voce: Omnia verba Domini , quæ locutus eſt , faciemus. Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones. 5. 7.
Cap.25. 17. Facies propitiatorium ex auro puriſſimo. 122. 5.
Cap.32. 11. Placatuſque eſt Dominus , ne faceret malum quod locutus fuerat contra populum ſuum 96. 15.
℣. 21. Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum? 62. 9.
Cap 34. 7. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus , in tertiam & quartam generationem. 37. 15.

Levitici.

CAp.4. ℣.27. Si peccaverit anima per ignorantiam, feceritque unum ex his, quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea, intellexerit iniquitatem ſuam , offeret arietem immaculatum Sacerdoti , juxta menſuram , æſtimationemque peccati. 16. 3.
Cap.5. 1. Si peccaverit anima & audierit vocem jurantis , teſtiſque fuerit quòd aut ipſe vidit , aut conſcius eſt , niſi indicaverit , portabit iniquitatem. 161. 7.
℣. 16. Ipſumque quod intulit damni , reſtituet : & quintam partem ponet ſuprà. 239 13.
Cap.8. 30. Aſſumenſque unguentum & ſanguinem , qui erat in altari , aſperſit ſuper Aaron, & veſtimenta ejus. 209. 15.
Cap.19. 13. Non morabitur opus mercenarii tui uſque mane. 218. 11. *Item* 237. 7.
℣. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo , ſed argue eum , ne habeas ſuper illo peccatum. 149. 7.
Cap.20. 2. 3. & 4. Si quis dederit de ſemine ſuo Moloch morte moriatur : populus terræ lapidabit eum. 84. 16.
Cap.23. 4. Si occurrens bovi inimici tui ; aut aſino erranti reduc ad eum. 147. 6.
Cap.24. 18. Qui percuſſerit animal reddet vicarium , id eſt animam pro anima. 246. 5.
Cap.25. 15. Homo qui maledicit Deo ſuo , portabit peccatum ſuum. 165. 13.

Numerorum.

CAp.17. ℣.8. Ille ſequenti die regreſſus , invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi. 101. 7.
Cap.20. 7. Tolle virgam & congrega populum tu , & Aaron frater tuus , & loquimini ad petram. 117. 13.
℣. 10. Audite rebelles & increduli. *Ibidem.*
℣. 11. Cùmque elevaſſet Moyſes manum , percuſſit virgâ bis ſilicem. *Ibidem.*
℣. 12. Non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. *Ibidem.*

Deuteronomii.

CAp.1. ℣.16. & 17. Audite illos , & quod juſtum eſt judicate , ſive civis ille ſit , ſive peregrinus. 223. 3.
Cap.5. 11. Non erit impunitus , qui ſuper re vana nomen ejus invocaverit. 165. 13.
Cap.7. 5. Idola comminuite , confringite ſtatuas. 69. 18.
Cap.12. 3. Diſperdite nomina eorum de locis veſtris. *Ibidem.*
Cap.16. 18. Magiſtros conſtitues in portis tuis , ut judicent populum juſto judicio. 224. 3.
℣. 19. Munera excæcant oculos ſapientum , & pervertunt verba juſtorum. 227. 8.
Cap.22. 1. Non videbis bovem fratris tui errantem & præteribis, ſed reduces eum. 147. 6.
℣. 21. Quod ſi verum eſt quod non ſit in puella inventa virginitas ; ejicient eam extra fores domûs patris ſui, & lapidibus obruent. 85. 11.
Cap.24. 15. Eâdem die reddes ei pretium laboris ſui. 218. 11. *Item* 237. 7.
Cap 25. 17. Memento quæ tibi fecerit Amalec in via ..... delebis nomen ejus , cave ne obliviſcaris. 184. 8.
Cap.27 18 Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. 189. 15.
Cap.28 28. Percutiet te Dominus amentiâ & cæcitate & furore mentis , ut palpes in meridie , ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris. 27. 19
Cap.32. 29. Utinam ſaperent & intelligerent ac noviſſima providerent. 20. 8.

Joſue.

Joſue.

CAp.7. ℣.1. Filii autem Iſraël prævaricati ſunt mandata & uſurpaverunt de anathemate. 86. 12.

℣. 1. Tulit de anathemate pallium coccineum valde bonum, ducentos ſiclos argenti, &c. 221. 17.

℣. 11. Peccavit Iſraël, & prævaricatus eſt pactum meum 56 12.

℣. 25. Filios & filias .... & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. 86. 12.

Cap.9. 5. Induti veteribus veſtimentis. 177. 15.

℣. 14. Os Domini non interrogaverunt. 20. 8.

Judicum.

CAp 5. ℣.23. Maledicite terræ Meroz, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini. 156. 17.

℣. 25. Aquam petenti, lac dedit. 132. 3

Cap 8. 12. Non eſt ille ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potiùs qui iram excitet. 182. 3

℣. 27. Fecit Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ephra. fornicatuſque eſt omnis Iſraël. 68. 17.

Cap.9. 53. Quod me vidiſtis facere, ſtatim facite. 115. 8.

Cap.15. 4. Cœpit trecentas vulpes, caudaſque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio. 73. 7.

Cap.16. 15 Quomodò dicis quod amas me, cùm animus tuus non ſit mecum? 139. 13.

℣. 17. Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea. *Ibidem.*

℣. 19. Cœpit abigere eum, & à ſe repellere. *Ibidem.*

℣. 21. Philiſthæi eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam, vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt. 67. 16.

Cap.18. 1. In diebus illis non erat Rex in Iſraël. 188. 12.

Cap.19. 12. Cur tantum nefas in vobis repertum. 261. 9.

℣. 29. Ferte ſententiam, & in commune decernite, quid facto opus ſit. *Ibidem.*

Primi Regum.

CAp.1. ℣.1. Affligebat eam æmula ejus, & vehementer eam angebat. 114. 7.

℣. 2. Quare calce abjeciſtis victimam meam, & munera mea quæ præcepi, ut offerentur in templo. 85. 11. *Item* 201. 17.

℣. 12. Domine ſi dederis ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus. 252. 13.

Cap.2, 5. Sterilis peperit plurimos. *Ibidem.*

℣. 23 Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio res peſſimas. 187. 11.

℣. 30. Loquens locutus ſui, ut domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo uſque in ſempiternum. 186 11.

Cap.3. 13. *Prædixi ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem. Ibid.*

℣. 14. Juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domûs ejus. *Ibidem.*

Cap.5. 1. Philiſthym tulerunt Arcam, & intulerunt eam in templum Dagon. 106. 15.

℣. 3. Ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini. *Ibidem.*

Cap.9 9. Venite & eamus ad videntem. 20. 8.

Cap.10. 27. Filii Belial dixerunt, Num ſaluare nos poterit iſte? 118. 15.

Cap.15. 2. Hæc dicit Dominus exercituum, recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraël ..... ergò vade & percute Amalec. 185. 9.

℣. 23 Abjecit te Dominus ne ſis Rex. *Ibidem.*

Cap.17. 33. Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare adversùs eum. 240. 15.

℣. 34. Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo vel Urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos. 148. 7.

Cap.18. 7. Percuſſit Saul mille, & David decem millia. 116. 10.

Cap 19. 10. Niſuſque eſt Saul configere David lanceâ in pariete. 203. 4.

Cap.22. 18. & 19. Irruit in ſacerdotes & trucidavit in die illa 85. viros, veſtitos Ephod lineo. 51. 3.

Cap.24. 5. Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum. 116. 10.

℣. 7. Propitius ſit mihi Dominus ne faciam rem hanc.

Cap.26. 8. Concluſit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas, nunc ergò perfodiam eum lanceâ. 116. 10.

℣. 9. Ne interficias eum, quis enim interficiet Chriſtum Domini & innocens erit? *Ibidem.*

℣. 15. Quare non cuſtodiſti Dominum tuum Regem? 56. 12.

℣. 17. Numquid vox tua eſt fili mi David? *Ibid.*

℣. 19. Nunc ergò audi, Domine mi Rex, verba ſervi tui: ſi Dominus incitet te adverſum me, adoretur ſacrificium. *Ibidem.*

Cap.31. 5. Arripuit Saul gladium, & irruit ſuper eum. Quod cùm vidiſſet armiger ejus, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo. 61. 6.

Secundi Regum.

CAp.2. ℣.16. Apprehenſoque unuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarii ſui. 198 13.

Cap.6. 3. Ait Rex Sibæ: tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth. 227 8.

Cap.11. 2. Ex adverſo ſuper ſolarium ſuum. 71. 5.

℣. 14. Scripſit David epiſtolam ad Joab, miſitque per manum Uriæ: ponite Uriam ex adverſo belli. 51. 4.

℣. 27. Tranſacto luctu, miſit David & introduxit illam in domum ſuam, & facta eſt ei uxor. 58. 14.

Cap.12. 8. & 9. Ego unxi te in regem Iſraël, & ego erui te de manu Saul, quare ergò contempſiſti verbum Domini. *Ibidem.*

℣. 14. Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, filius, qui tibi natus eſt, morte morietur. 161. 6. *Item* 247. 6.

℣. 12. Tu feciſti abſcondite, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël. 9. 9.

℣. 13.

℣. 13. Tranſtulit Dominus peccatum tuum à te. 2. 2.
Cap. 13. 12. Uriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem, quamobrem non recedet gladius de domo tua. 58. 14.
℣. 14. Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, filius qui natus eſt tibi morte morietur. *Ibidem.*
℣. 21. Noluit contriſtare ſpiritum Ammon filii ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat illi. 200. 16.
℣. 28. Obſervate cùm temulentus fuerit Ammon vino, & dixero vobis, percutite eum & interficite, nolite timere: ego enim ſum qui præcipio vobis. 51. 5.
℣. 39. Ceſſavit Rex David perſequi Abſalom. 200. 16.
Cap 15. 16. Egreſſus eſt ergò, & univerſa domus ejus pedibus ſuis. 125. 10.
Cap. 16. 7. Egredere vir ſanguinum, & vir Belial. 112. 4.
℣. 20. Inite conſilium quid agere debeamus, ingredere ad concubinas patris tui. 42. 4.
Cap. 19. 21. Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Chriſto Domini? 43. 6. *Item* 112. 4.
℣. 22. Et ait David quid mihi & vobis filii Sarviæ? Cur efficimini mihi hodie in ſatan? Et ait Rex Semei: Non morieris? 112. 4.
Cap. 24. 17. Ego ſum qui peccavi, & ego iniquè egi, vertatur manus tua contra me. 171. 6.
℣. 19. Conſtitue altare Domino in area Areuna Jebuſæi. *Ibidem.*
℣. 25. Propitiatus eſt Dominus terræ. *Ibidem.*

Tertii Regum.

CAp. 1. ℣. 42. Nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum & prædixi tibi! &c. Tu noſti omne malum, cujus tibi conſcium eſt cor tuum. 10. 11.
Cap. 11. 7. Mons unctionis. 123. 8.
Cap. 12. 30. Et ibat populus ad adorandum vitulum uſque in Dan. 63. 9.
Cap. 13. 2. Cùm eſſet virgo, difficile videbatur quidpiam inhoneſti agere cum illa. 110. 21.
